# SEXTI AURELII PROPERTII CARMINA QUAE EXTANT EX RECENSIONE...



S. A. PROPERTIVS

*ex antiquo desumtum*

SEXTI AVRELII

# PROPERTII

## CARMINA QVAE EXSTANT

EX RECENSIONE

C. T. KVINOEL

TOMVS PRIMVS



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS VIDVAE POMBA ET FILIORVM
ANNO MDCCCXXII

## TYPOGRAPHVS TAVRINENSIS

L. S.

Inter recentioris artis monumenta nobilis ea fertur Albanii tabula, in qua summus artifex saltantes in orbem Cupidines sic expressit, ut in simili admodum forma et aetate,

diversum eorum ingenium ostenderet. Non minorem quam ex pulcherrima tabula voluptatem, ex latinis lyricis poëtis, mea nunc opera excusis, percipere te puto, candide Lector, qui omnes, quum praestantissimi sint, ac de amore scripserint, mirifice tamen differunt inter se. Vt igitur Tullius in Bruto, varia oratorum, qui ante se fuerant, genera describens, mutabiles, ita dixerim, latinae eloquentiae vultus delineavit, sic multiplicem, nec unquam eamdem amatoriae poëseos speciem ex eorum comparatione adumbrare licuisset. Et fuit quidem in Catullo, tum grata Anacreontis negligentia, tum expressior stili vis ex paullo antiquioris linguae quasi visceribus depromta; fuit in Ovidio et expolitus sermo, et facilis copia cum verborum ac

sententiarum antithesibus, quibus, credo, iuvenis poëta se romanis puellis commendaret, quae iam attice ludere didicissent; ab iis autem omnino se removerunt Tibullus et Propertius, ille ut naturam, hic ut venustatem artis sequeretur. Si in horum numero iam ponimus C. Gallum a Virgilio et Quinctiliano memoratum, quis non laudaverit romanae urbis fortunam, unde brevissimo eo temporis intervallo, quo Lesbiae amator a Propertio distat, tot venustissimi scriptores prodierint? Quod si dissimilem poëtarum graecorum indolem miramur, quum tamen ad tam dissitas aetates pertineant, et alii quidem in Ionia paullo post Homerum, alii in Aegypto sub Ptolemaeis floruerint, quanto admirabilius videri debet, lyricos latinos, qui omnes

*

Caesarem viderunt, et in eadem urbe fuerunt, omne prorsus elegantiarum genus in amatoria levitate exhaurire potuisse?

Nec vero suam in arte diligentiam, quemadmodum plerique facimus, dissimulavit Propertius, sed palam professus est, utpote qui Callimachi et Philetae illius Coi aemulus esse vellet, cuius subtilem in scribendo curam ex ipsius epitaphio apud Athenaeum, mihi videor coniicere. Quocirca felicissimum fuisse existimo, quum non solum imitationis studio poëticos spiritus non extinxerit, sed Tibullo etiam acrior vehementiorque visus sit. Inde factum est, ut Romanorum nonnulli eumdem aequali suo praeponerent, et Antonium Muretum, exquisiti iudicii virum, dubium fecerit, ipsine, an

Tibullo primas deferret. Quis enim, inquit, alterutri principatum denegaverit? Verissimos in Tibullo affectus, absolutissimam in Propertio artem invenies; ille nihil scripsit, nisi urbane, ut romanum os statim agnoscas, hic multa graeca dictioni feliciter admiscuit; ille munditie et simplicitate nitet, hic ubertate. Itaque quotiescumque eos simul comparo, suavior mihi primus, admirabilior postremus videtur. Optandum sane esset, ut minus sedulum in persequendis poëtarum fabulis se praebuisset; nec enim tantam obscuritatem versibus offudisset. Sed haec multo minor tunc fuit, quum nullus esset statuarius aut pictor, quin nobilem aliquam narrationem a mythologia ductam, scalpro et coloribus repraesentaret. Poterat tunc poëta in pul-

vino sedens cum amica, complures fabulas in laqueari vel in Attalico opere depictas, eidem ostendere, quas postea describeret; poterat ex gemmato poculo, ex onyce, vel ex hydria Boëthi manu elaborata, Danaës aut Ledae argumentum capessere, quod in elegis pertractaret. Nec solum in artificum tabernis, ut apud nos, pervulgata Deorum ac Dearum signa conspiciebantur, sed multa etiam recondita a tragicis scriptoribus, vel a Parthenio, Apollodoro, Conone grammatico, aliisque desumta, quorum libelli Sosiorum pumice expoliti, matronarum manibus tererentur. Si praeterea multas peregrinas superstitiones cogitamus, in privatis aedibus passim adhiberi coeptas, si monstrosa Serapidis .et Isidis simulacra e Sinope

et Canopo in urbem advecta, si varia initiationum et divinationum genera, quae muliebres animos, spe metuque anxios, praesertim versarent; iam videbimus, nihil ferme tam arcanum fuisse in veterum gentium religionibus, quin posset ab urbanioribus sermone usurpari. Ex quo patet, quanto minor hac in re licentia nostris poëtis sit concedenda, qui nimirum, quae cognita et popularia Propertii aetate fuerunt, sine doctrinae ostentatione nequeant versibus includere. Nihil porro tam minuit poëseos vim, quam nimia legentis contentio, nec vero amatorios elegos scribimus, ut docti commententur. Quae unquam amica, quam modo Venus afflaverit, abstrusam doctrinam in amatore laudavit? Vah! hominem huiuscemodi, qui sic

amet ambitiose, ut nihil e suo penu depromat, sed in antiquis fabulis sedulo quaerat, quae sibi sint scribenda. Quin potius se ipsum depinxerit, ut misere torqueatur, ut moereat, ut insomnis evigilet, ut sui denique immemor sub alienis arbitriis vitam traducat? Tunc enim praeter infinitam colorum varietatem, illud etiam efficiet, quod in poësi amatoria maxime spectandum est, ut suas ipse narrans sollicitudines, sapientes ab amando deterreat.

Sed ego sane prolixior. Vt ad Propertium revertar, eiusdem editionem selegi, quae mihi omnium praestantissima visa est. Tu ipse ex praefatione viri doctissimi, fronti operis praemissa, facile intelliges quae potissimum causae me impulerint, ut Germani interpretis commentarios

Brokusianis et Vulpianis praeferrem. Tu interea vale, amice Lector, meaeque industriae, quae tua egregia humanitas est, aequo animo fave.

Dabam Augustae Taurinorum, Nonis Iuniis, An. MDCCCXXII.

# PRAEFATIO

## CHRIST. THEOPH. KVINOEL

Multorum hominum doctissimorum studia expertus est Sextus Aurelius Propertius, mirificae suavitatis, eximiaeque eruditionis poëta. Vt enim antiquiores carminum ipsius interpretes, et eos omittamus, qui in observationum libellis, quas in varios scriptores veteres ediderunt, etiam in Propertii elegiis explicandis emendandisve multum operae posuerunt: inter editores recentiores, qui nos quidem praecesserunt, eminent: *Broukhusius, Vulpius, Barthius, Burmannus*, et qui, post obitum huius praestantis ingenii viri, inchoatam ab eo editionem absolvit, *Santenius*, vir longe doctissimus. Neque tamen horum virorum opera, supervacanea reddita est nova poëtae editio. Etenim Broukhusius, quo nomine iam a Barthio in Praefat. ad Prop. ( p. XI. ) et Schradero in Emendatt.

p. 87, iure meritoque est reprehensus, lectiones varias, in codicibus et editionibus antiquis repertas, negligenter ac perfunctorie annotavit, haud raro Heinsii coniecturas, nulla librorum veterum auctoritate munitas et confirmatas, in textum recepit, et vero etiam suas manifesto falsas, ne monito quidem lectore, Propertio obtrusit. Praeterea in locis nulla difficultate laborantibus, saepius copiam effudit inutilem et alienam; permulta autem obscura ac difficilia silentio prorsus praeteriit. Omnes denique Scaligeri traiectiones in contextu male retinuit. Scilicet Scaligerus, cuius caeteroquin doctrinae multa Propertius debet, (haud paucis enim in locis textum ipsum emendatiorem et ornatiorem dedit), quum ipsi viderentur plures lacerae esse et male cohaerentes Propertii reliquiae, nimia audacia, et satis properanter, contra librorum veterum fidem, permultos versus in alia loca transtulit, non solum ex una elegia in alteram, sed etiam ex libro uno in alterum; ante disiuncta, ordine mutato coniunxit, et novas haud raro elegias composuit. Quam tamen viri temeritatem et emendandi libidinem praestantissimi cri-

tici, Hemsterhusius (ad Prop. II, 19), Heynius (Obss. ad Tibull. I, 1, 1), alii, severe et graviter improbarunt. Ac recte quidem. Etenim poëtae elegiaci insigni sententiarum varietate delectantur, animi perturbationes, commotiones, et affectiones, saepius sibi invicem plane repugnantes exprimunt, earumque imagines vivis coloribus depingunt, saepe etiam evagantur, et ad episodiorum genus deflectunt, omninoque iis grata quaedam negligentia conveniens est. « Itaque, (utor verbis Heynii ad Tibull. de Codd. et Editt. p. 16) mirari non debemus, si in elegia dissidere interdum aliquid et hiare videmus, quorum nexus inveniri nequit. » Hunc vero elegiae genium quum non familiarem sibi reddidissent Scaligerus et qui eum secuti sunt; tam praepostere et audacter tot versus transposuerunt, et in alienos locos inseruerunt. Negari quidem non potest, in quibusdam Propertii carminibus tantam reperiri rerum varietatem, sententiis nullo idoneo vinculo inter se copulatis ac cohaerentibus, tantamque versuum perturbationem, ut illa carmina sic a Propertii manu venisse existimari nequeat; tot tamen ac tales

traiectiones, quales Scaligerus suscepit, nemo poëtarum lectione probe subactus et sensu pulchri ac venusti praeditus, ullo pacto probabit.

Vulpius igitur, qui in editione Propertii posteriore Passeratii, doctissimi poëtae interpretis, commentarios, et Broukhusii notas selectas exhibuit, iisque suas animadversiones, et varias lectiones codicis Bononiensis atque Guarneriani adiecit, iure meritoque illas Scaligeri traiectiones eruditissimorum hominum consensu repudiatas, reiecit. Quod vero hanc ipsam Vulpii editionem attinet, quamquam minime negaverim, eum non minus quam Broukhusium, variis locis lucem affudisse, saepius tamen nec lectionis melioris, nec interpretationis locorum intellectu difficilium rationem habuit, sed subinde Scaligeri, Broukhusii, aliorumque correctiones aperte falsas recepit, multa perperam explicavit, et plerumque id egit, ut non tam scriptorem interpretaretur, quam potius locos veterum recentiorumque poëtarum coacervaret, in quibus eadem sententia simili aliove modo expressa esset; qua tamen ratione ad intelligendum scriptorem nihil, vel saltem

parum effici, facile doctissimus quisque sua sponte intelliget. Non ergo tantis laudibus ac praeconiis digni erant Vulpii in Propertium commentarii perpetui, quantis eos, ita ut Broukhusio invidiam faceret, condecoravit Fridericus Gottlieb Barthius, in praefatione, quam editioni suae praemisit, pag. XXIV. Ac Barthius quidem in hac ipsa Propertii carminum editione, diligentius sane, quam hactenus factum erat, lectionis varietatem enotavit, et virorum doctorum coniecturas in suos usus convertit, sed in ipsis carminibus illustrandis parum profecit. Vulpii inprimis, Passeratii et Broukhusii commentarios, cum dilectu, neque tamen admodum diligenti, excerpsit, ita, ut e suis quoque copiis annotationes adspergeret. Sed multa prave accepit ac minus recte exposuit, locos obscuros maximam partem plane intactos reliquit, atque aperte corruptos saepius utcunque explicare, quam corrigere studuit; unde et haud dubie factum est, ut Burmannus in suis commentariis nullam huius editionis rationem habuerit.

Longe praeclarius quam antecessores ipsius de Propertio promeritus est nuper Burma-

nus. Multis enim in locis apposuit interpretationes veriores et clariores, lectionis varietatem, ex optimis libris undique congestam, exhibuit plenissimam, et hanc variantium lectionum silvam exornavit coniecturis virorum doctorum, quas indagare ac reperire potuit, omnibus. Neque tamen Burmannus, quamvis id pro ingenii sui sagacitate facile potuisset, textum correxit et restituit, sed rarius, quam par erat, a Broukhusio recessit, et Scaligeri versuum atque elegiarum transpositiones retinuit. Praeterea plures locos, qui alienae opis desiderium faciunt, inexplicatos reliquit, et multa notis admiscuit, per se quidem erudita et bona, quae tamen ad locum ubi notata sunt illustrandum nihil conferunt; quo refero aliorum scriptorum locos explicatos, coacervationes similium sententiarum, quae in aliis auctoribus reperiuntur, uberiores verborum explicationes, res antiquarias et mythologicas copiosius illustratas, ut adeo haec ipsa editio, vel ob nimiam nec satis digestam commentarii paulo prolixioris molem, parum accommodata et apta sit ad usus adolescentium literarum studiosorum, et ipsis homi-

nibus eruditis lectionem poëtae, non ab omni molestia liberatam, iniucundam reddat atque ingratam.

Quae hactenus a me dicta sunt de antecessoribus meis, nemo eo animo disputata existimet, ut de eorundem fama atque in Propertium meritis detraherem, sed eo consilio notata sunt, ut appareret, multa superesse in Propertio emendanda et illustranda, omninoque carere nos adhuc editione poëtae, quae textum correctum suppeditet, et rerum verborumque difficultates omnes removeat; quae contineat optima et utilissima quaevis, ex editionibus maioribus minoribusve, etiam aliis scriptis, cum dilectu prudenti atque diligenti enotata ac breviter enarrata, ut adeo lectr , vel paululum doctior, reliquas, quae antecesserunt, editiones non magnopere desideret, neque interpres opes in scriptorem hactenus congestas multo labore undique ipse conquirere cogatur. Me huius generis editionem parare voluisse haud dissimulo. Magnis autem cum difficultatibus atque molestiis eiusmodi laborem coniunctum esse, et satis superque ostensum est ab iis, qui in aliis scriptoribus la-

tinis edendis et interpretandis ita versati sunt, et ipse, quamvis in Propertii lectione diu multumque exercitatus, quum labori manum admovissem, accuratius cognovi. Quare nullus dubito, si quis doctrina et eruditione conspicuus, ingenioque poëtarum lectione assidua probe subacto ornatus, Propertii carmina denuo recensere et illustrare velit, quin ampla laudis comparandae messis ei proposita sit; spero tamen etiam, peritos harum rerum arbitros operam meam aequi bonique consulturos, mihique, si me subinde errantem repererint, benigne veniam daturos esse. Sed de huius editionis meae indole et consilio iam diligentius atque uberius exponere liceat.

Cum Vulpio et Barthio ordinem elegiarum veterem reduxi, atque, auctore Barthio, editionem Gottingensem secundam, quae A. MDCCLXII prodiit, ab operis describendam curavi, ita tamen, ut multis in locis e codicibus antiquis lectiones, quae mihi verae et genuinae viderentur, in locum corruptarum idoneoque sensu carentium reponerem. Nullum omnino locum, nisi vitii manifestum, sollicitare ausus sum, praesertim si veteris

codicis auctoritas praetendi non poterat. Hinc etiam rarius, et non nisi tum, quum e lectione vulgari commodus sensus elici non posse videretur, atque ubi certissima visa esset emendatio, aliorum, vel meas coniecturas, quae a vulgari scriptura non nimis recederent, admonito tamen lectore, in textum recepi. Elegias nonnullas temere coniunctas, apposita asterisci nota, separandas ac distinguendas esse significavi, non autem numerum elegiarum mutavi, ne nova exemplarium existeret discrepantia. Perquam rarenter, nempe ter tantum, III, 11, 59; XIV, 13; XV, 11, rationibus in notis allatis, iisdemque, ut spero, haud infirmis, versus transposui; secutus praeceptum magni Salmasii in Obss. ad ius Attic. p. 408, ita scribentis: « nihil mutandum est in scriptis auctorum, nec transponendum sine magna causa, praecipue si veterum librorum auctoritas non suffragetur. Vidi multas criticorum pares transpositiones in aliis auctoribus similiter hariolantium, quos omnes falsos esse mihi constat, in Horatio, in Manilio, in Propertio, et aliis. » -- Lectionum et correctionum receptarum omnium rationes in

altera operis parte allatae sunt. Haec critica libri pars continet praeter Burmanni et Santenii animadversiones lectionis varietatem spectantes, plerumque in compendium, etiam meliorem formam redactas, veterum et recentiorum criticorum coniecturas, emendationes, ingeniique lusus, iudicio meo qualicunque, quoties necessarium videretur, adiecto. Suis locis insertae quoque reperiuntur ex editione Barthii lectiones codicis haud malae notae Dresdensis, cum editione Aldina collati, quem in Tibullo iam diligenter excussit Heynius, Vir eruditissimus, et in praefatione ad eundem poëtam accurate descripsit.

In annotationibus textui subiectis id potissimum egi, ut omnem orationis habitum exponerem; ut sententiarum contextum et ordinem observarem; poëticum sermonem verbis interpretarer vulgaribus et propriis; ut legentium animos adverterem ad ea, quae praeclara et insigni aliqua venustate a poëta proposita sunt; ut quae ex grammatica, vel antiquitate, vel historia explicanda essent, explicarem; ut Graecorum quoque poëtarum locos, e quibus vel Propertius tanquam ex

fontibus hauserit, vel in quibus summa cum quibusdam poëtae nostri locis conspiratio deprehenderetur, excitarem; omninoque nihil inexplicatum relinquerem, in quo haerere possent adolescentes iam aliquantum in hoc literarum genere versati et provecti, ad ingenuae doctrinae solidaeque eruditionis laudem adspirantes. His enim inprimis commentarius meus destinatus est. Quod si vero etiam doctorum virorum, quibus criticae potissimum observationes scriptae sunt, usibus, in locis certe obscurioribus (multa enim sunt in Propertio, quae viros satis acutos et exercitatos, etiam repetita lectione tenere possint) inservire mihi mea opera contigerit, impense laetabor.

Caeterum indices nominum, verborùm formularumque, curae ac diligentiae Ludovici Christiani Zimmermani, Darmstadini, iuvenis doctrinae antiquae cupidissimi et studiosissimi, debentur. Atque haec de opera a nobis in adornanda hac nova Propertii carminum editione, posita, dicenda habuimus. Scrib. Gissae d. XVI Ian. MDCCCV.

# IOH. ANTONII VVLPII
# VITA PROPERTII

CVM NOTIS

## FRID. GOTTL. BARTHII.

Sex. Aurelium Propertium in ea Vmbriae regione natum fuisse, quae fines Etruriae proxime contigit, certo scimus; id enim ex Elegiarum ipsius [1] testimonio satis constat. Cuinam tamen Vmbriae oppidorum quae adhuc supersunt egregius hic civis adiudicari debeat, omnino incertum est. Rem dubiam faciunt celebres doctorum virorum controversiae atque opiniones [2]; videlicet Philippi Beroaldi, Flavii Blondi, Petri Criniti, Lilii Gregorii Gyraldi, Leandri Alberti, Iosephi Scaligeri, Casparis Scioppii, Iusti Lipsii, Ioannis Passeratii, Thaddaei Donnolae, Diomedis Montesperellii, Francisci Caroli Corradi, aliorum. Plerique Mevanatem, ex Mevania

1. Cf. L. I, El. 22, et Lib. IV, El. 1 vs. 63 et 64, qui posterior versus ridiculo Leandri Alberti errori occasionem praebuit, quasi Callimachum, poëtam notum Cyrenaeum, in Vmbria genitum Propertius dixerit; in quo Blondum quoque ac Ciattum ratio fefellit, auctore Donnola, de patria Prop. §. 32; vid. et Fabr. Bibl. Lat. edit. Ern. tom. I, p. 433 n. l.

2. Has omnes collegit et ad examen revocavit Donnola singulari libello, ante laudato, de patria Sex. Aur. Propert. quem Henr. Leonard. Schurzfleischius Vitembergae 1713 recudendum curavit, observationibusque instruxit non contemnendis. Eundem librum, in epitomen, non tamen satis fidelem, redegit Ph. Silvius, qui Propertium in usum Delphini splendide magis quam ad doctorum expectationem edidit. Nic. Heins. Not. in Prop. p. 740 Tudertinum Propertium facit.

scilicet Vmbriae oppido, fuisse contendunt; et his manuscripti codices favent [1]; Ameriam alii, nonnulli Assisium, Hispellum aliqui [2], vel Fulginium, vel Falcum, vel Spoletium, vel Perusiam, eius patriam faciunt. Ego vero implexa huiusmodi spineta atque odiosa prorsus declinare statui: neque enim mihi argumenta, quae singuli attulerunt, per otium considerare licuit. Non erat haec scriptio paucarum literarum: singulare ac iustum volumen sibi postulabat: me autem diuturno Propertianae huius Editionis labore defessum, requiem spectare, ac manum de tabula aliquando tollere oportebat; ne volumini etiam moles adderetur, non sine emtoris et lectoris fastidio. Praeterea iniquum fortasse fuit, ab homine alieno causas Vmbrorum disceptari; quibus vel ingenium superat, quo sua quique iura strenue defendant; vel animi moderatio, ad haec minus utilia relinquenda. Si enim Propertius Vmber est, ut certe est, cur eius natalium gloria, civilibus rixis compositis, in omnes pariter Vmbros

1. Hi tamen non plus auctoritatis habebunt in hac re, quam in alio errore, quo Nautae cognomen Propertio imponunt iidem codices manuscripti. Vide Broukhusium ad inscriptionem libri primi.

2. Horum antesignanus est ipse Donnola Hispellas, qui exemplum Leonis Allatii, Homerum suum popularem facientis secutus, Propertium patriae suae vindicavit, eadem fortasse felicitate qua ille (vid. Wood über den Homer. pag. 32 et 59). Vnde etiam Nahmmacherus in eius sententiam, tanta verisimilitudinis specie commendabilem, pedibus ivit, in libello frugifero, qui inscribitur: Anleitung zur kritischen Kenntniss der latein. Sprache. Hunc sequitur quoque Boysen in dem Auszuge der allgem. Welthist. tom. VI p. 365; vide et nos infra in vita Propertii sec. Coss. digesta. Broukhusius quoque in princ. edit. suae credit, omne forte argumentum hoc exhausisse Donnolam, licet librum ipsum oculis nunquam usurpaverit.

derivari non possit? Moneo tamen eruditos, tum demum veram Poëtae nostri patriam detectum iri, quum primum inscriptio vetus aliqua exstiterit [1], quae nos doceat, ex quo Vmbriae municipio fuerit Passiena familia. Sane pervulgata sunt, quae scribit Plinius Caecilius ep. 15 lib. VI « Passienus Paullus, splendidus eques romanus, et in primis eruditus, scribit elegos. Gentilitium hoc illi (al. gentilium): est enim municeps Propertii, atque etiam inter maiores suos Propertium numerat » Fortasse mater Passieni Paulli ex Aurelia municipali familia originem duxerat. Hisce in praesens omissis, de nomine et cognomine Propertii dicamus. Aurelia [2] gens Romae, ut viri docti consentiunt, plebeia quidem fuit, si primum illum delectum spectemus, quo Romulus, et alii romani reges, a reliquo populo patricios distingui voluerunt; sed nihilominus curulibus magistratibus postea gestis valde nobilitata. Dividitur ab historiae peritis [3] in familias tres; Cottarum, Orestum, Scaurorum. Hae singulae viris illustribus floruere, quibus rei publicae dignitas prima semper fuit, potiorque vita

1. Attulit quidem Donnola §. 118 sqq. e Gruteri aliorumque operibus inscriptiones, quae nomen Propertii prae se ferunt, neque tamen in earum ulla locus nominatur. Easdem inscriptiones laudavit quoque Broukhusius in limine Comment. sui.

2. Ex Sabinis oriundam et a sole primum Auseliam dictam fuisse hanc gentem, auctor est Festus. Caeterum super nominibus poëtae nostri suaviter nugatus est Io. Goropius in Vertumno p. 30.

3. Pertinent huc qui de nominibus et gentibus familiisque Romanorum scripserunt. Gentes vero singulas cum familiis rom. vide inprimis e Commentariis Fulvii Vrsini in Thes. Graev. tom. VII, et apud Patinum in Famil. Rom. Consule et quos Schwarzius laudavit in observatt. ad Nieupoortum sect. VI, cap. 5, §. 1.

ipsa. Nihil autem Propertio nostro, equiti municipali, cum senatoriis hisce familiis: quamobrem neque honores adeptus est, atque ab iis petendis abstinuit. Iacere semper eum voluit fortuna: id ipse [1] Tullo patrono suo narrat, Cynthiamque suam allocutus, neque se sanguine avito nobilem [2], neque triumphos ullos [3] maiorum ostentare posse, libenter fatetur. Quae non ita sunt accipienda, ut putemus, eum domi obscuro genere, atque ex plebe [4] media fuisse. Immo, quum pars illa Vmbriae, in qua natus est, Etruriae fines proxime attingeret, coniecturae locus esse videtur, maiores eius non claro solum, sed, si diis placet, regum etiam Etruscorum sanguine generatos. Hanc suspicionem iniicit Servius ad versum 697 libri VII Aeneidos. Eius verba sunt: Hos (Capenates, seu Capenos, Tusciae populos) dicit Cato Veientum condidisse auxilio regis Propertii, qui eos Capenam, quum adolevissent, miserat. Fuit autem Propertius ille, ut videtur, rex Etruscorum antiquissimus: Veientum porro, seu Veii, urbs ampla in Etruria et magnifica, Romae ipsius quondam aemula, quam post decem annorum obsidionem vir fortissimus M. Fu-

1. Lib. I, Eleg. 6, vs. 25.

2. Lib. II, Eleg. 24, vs. 38.

3. Lib. II, Eleg. 34, vs. 56.

4. Equestri loco natum fuisse Propertium testatur, praeter Plinium supra a Vulpio laudatum lib. VI ep. 15 de Passieno Paullo, quem splendidum equitem romanum vocat, ipse quoque poeta noster lib. IV, Eleg. 1, vs. 131; bulla aurea enim erat insigne liberorum equestri ordine ortorum: vid. Broukh. in lim. comment. idem quoque colligas e lib. IV, Eleg. 8, vs. 77. Namque equites sedebant imo theatro, matronae et promiscuum vulgus summo; unde Propertio foeminas spectaturo cervix erat reflectenda.

rius Camillus diruit, ac solo aequavit. Poëta noster idcirco, domesticae gloriae quasi admonitus, non sine sensu doloris exclamat Eleg. 10 libri IV v. 27:

> Et Veii veteres, et vos tum regna fuistis;
> Et vestro posita est aurea sella foro [1].

Vtinam exstarent libri Originum a M. Porcio Catone conscripti: haec omnia, nunc satis dubia et obscura, in aperto loco et propatulo sita essent. Quod autem suspicari fas est de Propertio nostro, eum scilicet, quamvis privatum hominem, regum tamen satu editum, id Silius Italicus libro XII Punicorum, vers. 393, de Romanorum poëtarum patre Ennio plane affirmare non dubitavit:

> Ennius antiqua Messapi ab origine regis.

Calaber Ennius fuit: Messapus in Calabris regnavit. Hac etiam fortasse de causa Propertius tantopere optaverat in C. Cilnii Maecenatis clientela et comitatu esse: homo scilicet Etrusca origine ac generosa, potentissimi et nobilissimi viri amicitiam et consuetudinem sibi expetebat, qui et ipse Etruscum genus et regium sine mendacio profitebatur.

De tempore natalium poëtae nostri, apud Chronicorum scriptores nulla mentio. Facilis tamen coniectura, fuisse annum conditae Vrbis DCXCVI, Luc. Calpurnio Pisone, A. Gabinio Coss. [2], quo anno

1. Haec omnia suo loco intacta relinquimus. Mox tamen videbimus, Vulpium, quae hic Propertio una manu liberaliter dat, altera rursus eripere. Maecenatis exemplum simile hac in re satis est notum. Vid. Meibomii Maecen.

2. Non multum certe a vero hanc coniecturam abesse, ratio ipsa docet: licet nos aliquot annis saltem iunio-

M. Tullio Ciceroni igni et aqua interdictum est. Id colligimus ex verbis ipsius Propertii, qui Eleg. 1 libri IV, v. 127 seqq. infortunia Poëtae sic memorantem genethliacum inducit:

> Ossaque legisti non illa aetate legenda
> Patris, et in tenues cogeris ipse lares.
> Nam tua quum multi versarent rura iuvenci,
> Abstulit excultas pertica tristis opes.
> Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
> Matris et ante deos libera sumta toga:
> Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
> Et vetat insano verba tonare foro.

Narrat, se, quum adhuc puer esset, orbatum patre, spoliatumque paternis opibus tristissima illa tempestate, qua post Philippense bellum praedia Itala veteranis Augusti militibus demensa et distributa sunt. Auream deinde bullam, quae pueros ingenuos a servis et libertinis discernebat, se diis Penatibus suspendisse, scribit, virilemque togam sumsisse. Quae quidem vestis mutatio fieri solebat anno aetatis XVII vel etiam XV [1]: sed primum potius de Propertio ut credamus, id argumentum suadet, quod statim [2] a praetexta deposita ad Musarum otium se contulit adolescens, relicto fori tumultu, et cau-

rem faciamus Propertium, in eius vita chronologica. Non iniuria, ut credimus.

1. Togam puram anno aetatis XVI ineunte sumta fuissse illo aevo, censent viri docti. Cf. Massoni vitam Ovid. ad annum eius XV et XVI, et ibi n. c. laudatos viros doctos.

2. Vnus et item alter annus hic parum facit. Caeterum cardinem totius argumenti verti in explicatione voculae *mox* vs. 131 l. c. satis patet. Quae quum vel ab historicis saepe ad longius temporis spatium trahatur, apparebit nos huic loco minime vim fecisse, quum aliquot annis serius post perticam illam tristem carmina composuisse, adeoque et serius natum Propertium asseruimus. Cf. infra vitam Propertii chronolog. ad A. V. 717.

sidicorum clamoribus contemtis; et ideo grandiusculum fuisse oportet, qui ad fingendos elegos ingenium et calamum admoveret. Procul enim aberant veteres illi omnium elegantiarum promi condi ab hac barbarorum hominum sententia, quae nunc obtinet: poëtica studia ludicra et puerilium tantum annorum oblectamentum esse. Constat autem divisionem agrorum, quae iussu Augusti facta est, in annum ab urbe condita DCCXIII incidisse; a quo si anni XVII retrorsum numerentur, inveniemus, Propertium Coss. quos diximus in lucem editum. Haec fere Ianus Dousa Schediasmate succidaneo in Tibullum.

Poëtae huius nostri pater videtur fuisse Sex. ille Propertius, cuius nomen delatum eo tempore, quo P. Clodius tribunus plebis rempublicam seditionibus miscebat, civiumque locuplĕtium bonis inhiabat, queritur Cicero in oratione pro Domo sua [1]. Non ita multo post a patris interitu matrem quoque, apud quam educatus fuerat, amisit; sic enim apud Cynthiam [2]:

> Ossa tibi iuro per matris, et ossa parentis;
> (Si fallo, cinis, heu, sit mihi uterque gravis)
> Me tibi ad extremas mansuram, vita, tenebras.

Ope ingenii, et facultate scribendi carminis, Maecenatis patrocinium et amicitiam consecutus est [3];

1. C. 19; cf. Broukhus in principio Commentarii sui.

2. Lib. II, El. 20, vs. 15 sqq.

3. Videtur id post publicationem lib. I a Propertio factum, in quo toto libro, qui Tullo inscriptus est, nulla fit Maecenatis mentio, quum Eleg. 1 lib. II ad Maecenatem manifesto dedicationis locum obtineat.

cuius hortis in Esquilina regione positis proxime habitavit [1]. Mirum autem cur nec Horatium Propertius, nec Propertium Horatius ullo in loco poëmatum suorum, mutuo benevolentiae pignore, nominaverit [2]; quum tamen in eodem contubernio vixerint, eidem patrono cari. Sed enim quotidie verum experimur illud Hesiodeum: κεραμεὺς κεραμεῖ. Testatur vetus Auctor Vitae Virgilii [3], poëtas qui Augusto imperante floruere, adeo inter se non amavisse, ut omnes aliorum laudi atque gloriae maxime inviderent: unum Virgilium, ob naturae bonitatem prope singularem, omnibus probari et placere potuisse. Eius Auctoris verba sunt: « Quare coaevos omnes poëtas ita adiunctos habuit (Maro), ut, quum inter se plurimum invidia arderent, illum una omnes colerent: Varius, Tucca, Horatius, Gallus, Propertius ». Ecce invidos homines etiam Horatium et Propertium. Non enim excellens ingenium et rarum praestantes viros invidentium numero semper exemit: sed plerique laude sibi debita non contenti, eminere volunt inter omnes in omni genere scribendi, aemulum pati nequeunt, graviter indignantur, si quis parem gloriam

1. Cf. Prop. lib. III, El. 23, vs. 24.

2. At enim, aeque mirum posset videri, cur ne Tibullus quidem Horatium unquam nominaverit, a quo tamen aliquoties laudatus fuerat; quod temporum iniuria, non negligentia aut tepore amoris Albiani factum fuisse indicat Broukh. ad Tibull. p. 242. Vide Fabric. Bibl. lat. tom. 1 ed. Ernest. p. 430 sqq. Neque enim quod Virgilius Horatii ne verbo quidem mentionem unquam iniecerit. Vide quae Heynius de hac re indicat ad vitam Tibulli nota *v*. pag. 65 sqq. edit. pr.

3. Vide Donati vitam P. Virgilii §. 17 in edit. Virgil. Heynii.

vel affectet, vel assequatur. Horatius, quamvis hac aerugine aliquantum infectus, Virgilium summopere dilexit: eique optimam indolem, candidos mores, ingenium ingens, denique pastoralis et agrestis Musae palmam tribuere non dubitavit (Sat. 10 lib. I):

> Molle, inquit, atque facetum
> Virgilio adnuerunt gaudentes rure Camoenae.

Propertius vero miris laudibus eundem extollit Elegia ultima libri secundi [1]. Mihi videtur garrulus ille [2], quem sibi Via sacra deambulanti venisse obviam et lateri moleste adhaesisse, scribit Venusinus poëta Sat. 9, Lib I, Propertius noster fuisse: id quod non infirmis omnino argumentis coniicere

1. Vid. 59-80.

2. Miror hanc coniecturam summo viro tantopere arrisisse, quum tamen varia sint, quae illam omni probabilitatis specie destitutam nobis sistant. Argumenta certe, quibus eam adstruere conatur Vulpius, tam levis sunt ponderis, nihil ut sit facilius, quam ad ea omnia respondere, uti per partes singulas eundo faciemus. Me inprimis male habet, quod etiamsi Propertium vindicare nolim, Horatii tamen moribus coniectura hac labes adspergitur non turpior qualibet illarum, quas Lessingius, aliique summi viri, amabili illi vati, musis amico, tanto cum studio deterserunt, quorum opuscula coniunctim legi possunt in libello, qui Francofurti ad Moenum A. 1763 prodiit hac insignis inscriptione: *Der geraechte und gerettete Horaz nebst einigen andern Auszügen etc.* Quod enim vitium detestabilius cogitari potest illa invidentia, quam, vi huius coniecturae, Horatius in Propertium exercuisset? quum tamen Venusinus olor ipse testetur eadem satira a Vulpio laudata lib. I sat. 9 vs. 48 non vivi isto modo apud Maecenatem. Sed totum opinionis commentum eo vel maxime subruitur, quod temporum ratio plane repugnat. Horatius secundum Bentlei calculum satirarum librum I scripsit annis V. C. 715-717. At circa hoc tempus Propertii mater, vel secundum ipsum Vulpii computum, nondum mortua esse potuit. Namque liber primus Propertii profecto ante A. V. 717 scriptus non est, et ipse Vulpius ad librum I, eleg. 11, vs. 21, agnoscit matrem Propertii adhuc vivam, quod adeo illi garruli notae apud Horat. vs. 26 et 27 non convenit. Si nostram annos Propertianos computandi rationem sequaris, poëta noster, quo tempore Horatius hanc satiram scripsit, nondum togam virilem sumserat secundum lib. IV, eleg. 1, vs. 133. Vid. nostram vitam poëtae chronologicam.

licet. Hominem sane scribendis carminibus aptum [1] haec ipsius verba demonstrant:

> Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
> Non Varium facies: nam quis me scribere plures
> Aut citius possit versus?

amatorculum vero, et deliciarum studiosum ea quae sequuntur continuo: *quis membra movere Mollius?* [2] Atqui Propertius Eleg. 4 Libri II hoc de se aperte confessus est:

> Nequicquam perfusa meis unguenta capillis:
> Ibat et expenso planta morata gradu.

ut nimirum Cynthiam suam imitaretur, cuius pedes molliter ire solebant. Adde, quod fama istius loquaculi Romam impleverat: propterea Horatius ait: Notus mihi nomine tantum [3]. Superbia Propertii poëtica [4], qua se Romanum Callimachum appellavit (ut alia plura huius generis missa faciam) in

1. Non scribendi simpliciter, sed citissime. At vero si Propertiani carminis natura paullo penitius perspexeris, facultatem multa et cito scribendi ei non facile dederis. Nam qui in hora ducentos fundere potest versus stans pede in uno, ille profecto lutulentus quoque fluet, quod vitium non cadit in Propertium. Vt taceam argumentum hoc nimis esse generale ac de aliis quoque valere.

2. Fallitur vir doctus egregie. Membra molliter movere est saltare: locus Propertii vero agit de studio amatoris felicia momenta amicae innotescendi captantis.

3. Videtur Vulpius hoc sibi velle, Propertii nomen per ipsius versus, Cynthiam puta, iam Romae cognitum fuisse. Si hoc fuit, mater Propertii nondum composita fuit, cf. not. 2 p. 25. Ergo vir summus vineta sua ipse caedit. Sin Propertius nondum ediderat suam Cynthiam, quod per nostram numerandi annos rationem credibile fit, quomodo potest Romam iam fama nominis sui implevisse?

4. Horatii verba hominem vanum et ineptum pingunt, humilibus artibus favorem Maecenatis aucupari studentem; Propertius vero exemplo ipsius Horatii (cf. lib. II, od. 20; et lib. III, od. 30) magnitudinis suae sibi conscius nihil sese indignum fecit, dum se Rom. Callimachum vocavit, cf. in hanc rem Klotzii commentationem in opusculis varii argum. pag. 147.

illis apparet: Noris nos, inquit: docti sumus. Et mox, quum ex Horatio de Maecenate sciscitatus fuisset, cuius familiaritatem affectabat, haec subiungit:

Haberes
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
Submôsses omnes.

Interrogatus vero a Flacco: Est tibi mater, Cognati, quis te salvo est opus? ita respondet: haud mihi quisquam: Omnes composui. Quae omnia [1] Poëtae nostri moribus et infortuniis, de quibus superius locuti sumus, conveniunt mirum in modum. Sed illa quoque animadvertenda sunt. Horatius Sat. 10, Lib I, quo loco amicorum nomina recenset, quibus velit sua poëmata placere, Propertium omittit [2]. Simium vocare videtur eadem Satira, fortasse quod poëta noster in eius imitatione plurimus esset, id autem ex locorum collatione manifestum [3]. De Propertio quoque dictum arbitror:

Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum [4].

Non semel in Elegiis Propertii Calvus et Catullus memorantur, et alter alteri adiungitur. Denique Horatius Epistola II Libri II, Propertium videtur

1. Virum doctissimum vehementer alucinari sibique ipsi non constare, patet ex iis, quae hactenus annotata sunt a nobis.

2. Huic argumento ab omissione et silentio petito non adeo multum tribuendum esse, et per se et ex not. 2, pag. 24, patet.

3. Imitatus videtur praesertim Horatium Propertius, uti hoc ipsi passim monstravimus. Illo tempore autem neque Horatius adeo multa ediderat, quae Propertius imitari potuisset, neque etiam Propertius ipse quidquam in vulgus emiserat.

4. Lib. I, sat. 10, vs. 19: etiam hic ratio temporis obstat.

Callimachum [1] vocare per ludum et iocum ( utor verbis Ioannis Passeratii ad Eleg. 1 Lib. III ):

> Discedo Alcaeus puncto illius: ille meo quis?
> Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
> Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit.

Dixerat nimirum Propertius Eleg. 9, Lib. I:

> Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.

Eo tempore ad Maecenatem uterque ventitabat, et alter alteri sua legere solitus erat: neque tamen quasi per cuniculos inter se obtrectare desinebant [2]. Nondum a me impetrare potui, ut hanc suspicionem ponerem: de cuius tamen audacia et novitate doctiores iudicabunt.

> Forsitan haec aliquis ( nam sunt quoque) parva vocabit.
> Sed, quae non prosunt singula, multa iuvant.

et, ut eleganter P. Syrus:

> Auxilia humilia, firma consensus facit.

Huc pertinent verba Quintiliani lib. V Instit. Orat. c. 12: « Firmissimis argumentorum singulis instan-

1. Concedamus Horatium fortasse lib. II, ep. 2, vs. 91 seqq. Propertium in animo habuisse, sed per ludum et iocum Callimachum aut Mimnermum vocasse, vehementer negamus, nisi forte iam senior Horatius etiam se ipsum lusit, quum vs. 91 *Carmina compono* dixit, quae verba de odis accipienda esse res ipsa docet. At ne ulla quidem nos cogit necessitas, ut adeo faciles ac liberales simus in concedendo. Loquitur enim Horatius neque de se neque de Propertio, sed de omnibus suae aetatis poëtis lyricis et elegiacis in genere, pravo studio ductis vel potius seductis, se suaque omnia spreto sani critici iudicio nimium probandi ac laudandi. Caeterum confer ad locum Horatii Bentleii observat. ad Callim. fragm. tom. 1 edit. Ern. pag. 440. Si Propertius vere est Callimachus, haud dubie eum tangit Ovid. Amor. I, 4, 19.

2. Aut hoc non potuit Horatius, aut non scripsit:

> — Absentem qui rodit amicum,
> Qui non defendit alio culpante
> — Hic niger est: hunc tu Romane caveto.
>
> Sat. I, 4, 81 sqq.

dum, infirmiora congreganda sunt; quia illa per se fortia, non oportet, circumstantibus obscurare, ut, qualia sunt, appareant: haec imbecilla natura, mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere, quia magna non sunt, valebunt, quia multa sunt » quae ad eiusdem rei probationem omnia spectant. Cui praeiverat M. Tullius in Partitionibus Oratoriis: « verisimilia autem, inquit, partim movent suo pondere, partim etiam si videntur esse exigua per se, multum tamen, quum sunt coacervata, proficiunt ». Et lib. II de Nat. Deor. « Quae si singula nos forte non movent, universa certe inter se connexa, atque coniuncta movere debebunt ». Gallo cuidam, viro nobili, amoribus dedito, nec non Tullo consularis familiae, qui plures in urbe forisque magistratus gessit, gratissimus fuit Propertius. Ovidium, Ponticum, Bassum poëtas, aequales suos, familiariter dilexit; quorum iudicia, si quid populo recitaturus esset, prius experiri consueverat. Hostiam [1] puellam, summo genere natam, quam, vero nomine dissimulato, Cynthiam dicere maluit, ut ab Apuleio [2] accepimus, immodice amavisse

1. *Hostiliam* eam dictam fuisse opinatur Passeratius. Sed recte monuit Burmannus pag. 2 id repugnare poëtarum veterum consuetudini, qui semper in fictitiis amicarum nominibus easdem syllabas, numeros, et quantitatem veri nominis observare soliti sint; vid. Gevart. ad Stat. pag. 58, et Bentlei. ad Horat. Carm. II, 12, 13. Kuin.

2. Pag. 11 ed. Pricaei, qui quoque arbitrari videtur, Cynthiam dictam fuisse Hostiliam, quia *Hostiliae* cuiusdam mentio fit in vetusta, quam profert, inscriptione; quod vanum argumentum recte dicit Burmannus pag. 2, quum *Hostiorum* familia aeque nota sit in antiquis monumentis, quam *Hostiliorum*; cf. Glandorpii Onomast. pag. 407. Kuin.

videtur. Hanc omnibus naturae artisque dotibus ornatam nobis describit, a Musarum praecipue sacris non abhorrentem. Qui vero Propertium una Cynthia contentum credidere, Elegiam illam ( 22 Libri II ) satis considerasse non videntur, qua se multis amoribus obnoxium, et cuiuslibet formae mulierum spectatorem elegantissimum sincere admodum profitetur. Quod postea carmen imitatus est Ovidius ( Eleg. 4 libri II Amorum ); ut et alia innumera huius poëtae. Suspicari tamen licet, eum in argumento ficto, et elegis conveniente, saepius lusisse [1]. Octaviano Caesari non semel blanditus est, immemor puto iniuriarum, quas ab ipso et militibus eius acceperat, maximique principis gratiam obsequio carminis aucupatus. Callimachum et Philetam e Graecis, Tibullum [2] et Virgilium e Romanis ad imitandum sibi proposuit: quod ne quis forte a me temere affirmari putet, consulat animadversiones nostras ad Elegiam 11 et 16 libri III. Caeterum gloriam Elegiae ex Graecorum fontibus Romam primum deductae sibi falso [3] tribuit, quum ante illum Catullus id tentavisset ma-

1. Id equidem haud negarim, sed confer tamen, si tanti est res, quae nos hanc in rem disputavimus in den Vorlesungen über einige Elegien des Properz pag. 12 sqq.

2. Ratione Tibulli iudicabis e vita Prop. chron.

3. Catulli exemplum non adeo offecerit gloriae Properti, quum, quae tentavit ille, paucissima sint, ut adeo locum ipse sibi inter eroticos scriptores elegiacos vix vindicare posse videatur. Difficilius est Gallum ab hoc laudis curriculo excludere, nisi quod nihil fere eius supersit, ex quo iudicium ferre liceat. Propertius aetatem tulit, quare ei hanc laudem minime delibatum eamus, non magis, quam Horatio, lyricae poëseos ad Romanos translatae, gloriam sibi sumenti, licet et alii, maxime Catullus, ante ipsum aliquid saltem in eo genere tentarint.

gno successu. Helladem certe omnem depopulatus, transmarino sale scripta sua condivit, veterum fabularum, uti apparet, studiosissimus. Credibile est, Ovidium ad Fastorum libros et Heroidum epistolas conscribendas Propertii lectione excitatum: praeivit enim poëta Vmber pluribus Elegiis quarti libri, et elegantissima illa epistola Arethusae ad Lycotam: nec audiendus hac in re Nicolaus Heinsius [1], qui contrariam omnino sententiam tuetur. Quamquam autem vires ingenii sui consulto extenuat, magno tamen spiritu, et heroicis aptissimo praeditus fuit, cuius rei fidem faciunt ea, quae de antiquitatibus Vrbis Romae, de Augusti victoriis et de Cornelia matrona Paulli Censoris uxore, magnifico verborum apparatu, et numeris elegiae modum excedentibus, erudite cecinit. Nonnulli, ut testatur Quintilianus [2], Propertium Tibullo in elegia praeposuere. Passienus quoque Paullus, gentilis eius, carmine scribendo, si Plinium Caecilium audimus, ab ipsius vestigiis ne latum quidem unguem discessit. Iratus amoribus suis, quod non ex sententia succederent, Athenas petere decrevit: an vero profectus fuerit, incertum est. Fortasse ultimam senectutem exegit in studiis illis, quibus se operam daturum aetate ingravescente, olim significaverat. Etenim Dousae existimanti iuvenem decessisse, quod se amicae a genuum virore semper commendaverit, assentiri non

1. In principio comment. ad Ovid. epist. Heroid.

2. Lib. X, c. 1.

possum: quasi vero necesse fuerit, eundem illi scribendi ac vivendi terminum esse. Magis movet Ovidii auctoritas, qui libro II Tristium vs. 465, Propertium vita functis annumerare videtur:

Invenies eadem blandi praecepta Properti:
  Districtus minima nec tamen ille nota est.
His ego successi, quoniam praestantia candor
  Nomina vivorum dissimulare iubet.

Ovidius porro quum in Ponto ageret, annos L natus erat. Idem initio Ibidis, quod poëma in exsilio composuit:

Tempus ad hoc lustris mihi iambis quinque peractis
  Omne fuit Musae carmen inerme meae.

Quinquagesimus autem annus Nasonis erat annus ab V. C. DCCLXI. Ortus enim fuerat anno DCCXI. Si eo tempore Propertius vixisset, annorum fuisset LXV. Exploratum mihi non est, an Propertius ille Celer, praetorius, cui Tiberius Caesar veniam ordinis ob paupertatem petenti decies sestertium largitus est, satis comperto paternas ei angustias esse, uti refert Cornelius Tacitus libro Annalium I,[1] Poëtae huic nostro propinquitatis vinculis coniunctus fuerit. Haec erant quae historica fide, aut probabilibus coniecturis afferri potui de Propertio: si quis Milesiis fabellis, aut Romanensibus delectatur, eae praesto sunt: Namque hoc tempore quasi herba irrigua succreverunt uberrime[2].

1. Cap. 75.

2. Pertinet huc vel maxime:
La vie de Properce Chevalier Romain. Et la traduction en prose et en vers français de ce qu'il y a de plus intéressant dans ses poësies. Avec des remarques et l'histoire des principaux événemens de son siècle, qui ont rapport à ses ouvrages. Par Mr. Gillet de Moivre. — à Paris 1746.

# SEX. AVR. PROPERTII VITA

PER ANNOS, QVANTVM LICVIT

PROBABILI CONIECTVRA, DIGESTA,

AVCTORE

## FRID. GOTTL. BARTHIO

A. V. C. *Varr.* 702, Propertii 1.

*Pompeius III sine collega.* supremis mens.
*Scipio Metellus, Consules.*

In hunc annum nos, probabili coniectura, non tam I. Dousam et Heynium secuti, quam ratione ipsa ducti, vel potius compulsi, Propertii nostri natales conferimus. I. Dousa in Sched. Succid. in Tibull. *duobus minimum lustris, vel certe sesquilustro iuniorem* fuisse vult nostrum Aurelium Albio Tibullo, cuius natales Ayrmannus falso in A. 705, ipse vero in A. V. 697 referebat. Idem Dousa l. c. Propertium post Horatium (A. V. 689, L. Aurelio Cotta et L. M. Torquato Coss. natum) anno plus minus octavo, nonone, an decimo? natum autumat. Heynius autem Vit. Virgil. ad A. V. 711, tom I, pag. 147, *Hoc anno*, inquit, *a. d. XIII kal.*

*April.* (*XX Martii*) *Ovidius natus est; nec multo ante Propertius; Tibullus autem iam ante* 705 *natus erat*; *quamquam alii eius natales ad A.* 690, *Propertii autem* 697, *referre volunt.* Nos igitur, rebus diu pensitatis, momentisque vitae Propertianae modo sic, modo aliter ordinatis, tandem mediam hanc ingressi sumus viam, qua omnia satis probabiliter cohaerere nobis videbantur, sibique invicem respondere; quamquam neque negare, neque infitias ire volumus, annum 967, quem Vulpius nostri natalem statuit, quemque Io. Christoph. Gatterer, *in Handbuch der Vniversalhistorie* P. I, p. 933, utrique poëtae, et Tibullo et Propertio vindicat (namque A. M. 3926 incidit in A. V. C. 697), prima fronte praeferendum quibusdam videri posse. Sed neque nos multum aberrabimus a vero. Ovidius enim Trist. Lib. IV, El. 10, vs. 41 - 54 (coll. lib. II, vs. 463 -- 67) sic enarrat tempora poëtarum aevo suo celebratissimorum, ut Gallum, Virgilium, Tibullum, Horatium, non tam inter ἡλικιώτας et plane συγχρόνους sibi, sed inter veteranos ac seniores quasi poëtas recenseat. Propertium vero diserte vs. 46, ait sibi iure sodalitii iunctum fuisse, quemadmodum etiam Ponticum et Bassum, amicissimos Propertio nostro, dulcia refert convictus sui fuisse membra;

> Temporis illius colui fovique poëtas;
> Quotque aderant vates, rebar adesse Deos.
> Saepe suos volucres legit mihi grandior aevo,
> Quaeque necet serpens, quae iuvet herba, *Macer*.

Saepe suos solitus recitare *Propertius* ignes,
  Iure sodalitii qui mihi iunctus erat.
*Ponticus* Heroo, *Bassus* quoque clarus Iambo
  Dulcia convictus membra fuere mei.
Et tenuit nostras numerosus *Horatius* aures,
  Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
*Virgilium* vidi tantum: nec avara *Tibullo*
  Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit *hic* tibi, *Galle; Propertius illi*;
  Quartus ab his serie temporis ipse fui.

Cornelius Gallus totis annis XXX (nempe A. V. C. 681) ante Ovidium natus, obiit morte voluntaria A. V. C. 728, secundum eundem Dousam *l. c.* cuius rationes etiam Burmanno Sec. probari video ad Anthol. Lat. Tibullus nascitur secundum Dousam A. 697, ut inter hunc et Gallum 16 anni interiecti sint, totidemque dentur intervallo usque ad Ovidii natales. Propertius tamen successit Tibullo, sicut ipse Naso Propertio nostro. Hic certe non pauciores quam 6 vel 8 anni inter utrumque assumi posse videntur. Propertius quoque propior adhuc Nasoni fuisse videri possit, dum se eius sodalem profitetur, quod in hominem multis annis maiorem non cadit, uti agnovit quoque doctus Anglus Crusius in *the Lives of the Roman poets*. Vol. 1, pag. 104. Interpretat. german. Christ. Henr. Schmidii, qui nobiscum facit, et eundem A. V. C. 702 Propertio assignat natalem, licet aliam aeram sequi videatur, unico anno a nostra, quae Varroniana est, differentem.

De patria Propertii nova subnascitur difficultas, dum non septem, sed vel novem urbes, uti e Dou-

nolae libello *de patria Prop.* constat, de hoc inter se certant honore. Attamen plures harum urbium sunt vel recentioris originis, ita ut diu post Propertium ipsum natae sint, vel ita situ suo dispositae, ut descriptioni, quam poëta de sua suppeditavit patria, minime respondeant, adeoque veritatis vi repulsae, de petitione sua Propertium sibi vindicandi decedere cogantur. Quatuor igitur inprimis urbes restant, quae celebres satis ac disertos causae suae patronos nactae sunt, quarumque iura iam accuratius ad examen vocanda sunt, ut appareat, secundum quam illarum vindicias dare integrum iudicem deceat.

Tribus in locis Propertius de patria sua egit. E primo loco, nempe Lib. I, Eleg. ultima, apparet, Vmbriam eius esse patriam. Sic enim ait ad Tullum:

> Si Perusina tibi patriae sunt nota sepultae
> Italiae duris funera temporibus,
> Proxima supposito contingens *Vmbria* campo
> Me genuit, terris fertilis uberibus.

Obiter tantum observo, *Perusiam* ipsam, quae Ciatti opinio est, non posse patriam poëtae haberi, neque adeo in censum quatuor illarum urbium venire, quae de patria poëtae nostri contendendi aliquam iuris speciem habeant. Nam *Perusia* non in Vmbria, sed in Hetruria sita est.

Ex altero loco, Lib. IV, El. 1, vs. 63 sqq. apparet, Propertii patriam in valle Vmbriae ita sitam fuisse, ut arces eius scanderent de vallibus. Ita enim canit Romanus Callimachus:

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.

E tertio denique eiusdem elegiae loco vs. 121-126 cognoscimus, in Vmbria sitam fuisse patriam eius oram, et quidem ubi nebulosa cavo rorat Mevania campo (*saxo* pro *campo* legit Crusius l. c. qua auctoritate, aut quo sensu? equidem non dixerim; namque in meis libris nullam plane deprehendi varietatem). Haec enim sunt verba Astrologi ad Propertium (coll. vs. 71 et 77):

*Vmbria* te notis antiqua penatibus edit.
Mentior? an patriae tangitur ora tuae?
*Qua* nebulosa cavo rorat *Mevania* campo,
Et *lacus* aestivis intepet *Vmber* aquis,
*Scandentisque arcis* consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Haec omnia si recte pensitamus loca, patria Propertii non erit *Mevania* ipsa, quae est plurimorum (etiam Torrentii ad Suet. Calig. c. 43), et in his quoque Broukhusii opinio, sed potius urbs *in vicinia Mevaniae* sita, quod agnovit etiam Chr. Henr. Schmidius ad Crusii Vit. poët. rom. tom. I, pag. 100, not. o; sicuti nec *lacus Vmber* eius patria est, licet in illius vicinia quaerendus sit. Accedit, quod Mevania urbs in planitie sita est, non vero, ut Propertii patria, in colle. Neque vero ipsa urbs rorare dicitur, sed *Mevania nebulosa cavo campo*, ut adeo *Mevania* h. l. totum agrum significet, non urbem.

Sed neque *Ameria*, quae Scaligeri sententia est (probata etiam a Barthio ad Stat. Silv. I, 2, 253),

intelligenda est. Namque illa urbs *extra vallem Spoletinam* sita est. Neque Mevaniae proxima, sed 30 prope passuum millibus ab ea, longiusque a Perusiae finibus abest.

Eadem ratio excludit quoque *Assisium*, 9 circiter millibus passuum a Mevania remotum; licet Maittairius in edit. Londin. post Mevaniam hoc oppidum nominet: accedit, quod hic quoque frustra *lacus Vmber* quaeratur.

Relinquitur ut HISPELLVM assumamus Propertii patriam, eique civem hunc addicamus, qui licet minor sit magno Homero aut Marone, inter elegiacos tamen poëtas non ultimum locum obtinet, satisque decoris habet ad patriam suam ornandam. Hispellum nempe, cum agro suo, in valle Spoletina, *unice situm illum habet*, quem Propertius ll. cc. designavit. Namque eius *murus*, sicuti Donnola ex oculari docuit inspectione, *acclivis* est, et ex imo ad verticem *consurgit*. Verbum enim *scandendi*, quo Propertius utitur, est, *pedetentim et per diversos gradus se se attollere*, quod fit in urbe ad clivum quendam, reclinato situ posita. Deinde *lacus Vmber* manifesto est *Clitumnus*. Vide not. ad IV, 1, 124. Coll. lib. II, El. 19, vs. 25. Probabile enim est, Cynthiam in patria poëtae rusticatam fuisse, quorsum ipsi mox volare Propertio animus erat sec. v. 27. Tandem *Perusiae opposita* est ita, ut per campum Mevanatem et Clitumnum progrediendum sit ad urbem patriam Propertii, *quae consurgit vertice*

*scandentis arcis* s. *montis paullatim se cum urbe attollentis*. Adde quod Hispellum solum *noti Penates* ( IV, 1, 121 ) vocari possunt ab Horoscopo, *partim* propter Coloniam Rom. a Iulio Caesare eo deductam, *partim* propter balneum ibi frequentatissimum [1]. Haec omnia Donnola fusius exposita testimoniorum auctoritatibus munivit, aliis etiam levioris momenti argumentis plurimis adiectis, quae qui cognoscere avet, is facili negotio librum ipsum Donnolae adire poterit. Nos potiora et gravissima adeo complexi argumenta ex eo proposuimus, quia cognoveramus, Philippum Silvium non satis accurate in ea re versatum fuisse, ita ut eius epitome lecta, multo quidem incertior sis, quam ante. Caeterum sepulcrum Propertii recentiore aetate Hispelli detectum, non leve pondus addit Donnolae sententiae, ut adeo Propertium in posterum *Hispellatem* habendum vix dubitari posse videatur. Cf. infra *mortem* Prop. et vitam Vulpii ibique not. 2, p. 18. Satis interim ridicule *Auctor Memor. Trivolt.* loco infra laudando, *j'accorderais*, inquit, *sans beaucoup de peine à Thaddée Donnola qu'il était de Spello, quand il se serait épargné de prodiguer tant de doctrine sur un sujet tel que celui-là.* Ne igitur et nos cuipiam prolixitate nimia in hac re occasionem demus, fidem Donnolae elevandi, verbum non amplius addemus.

1. Cf. notas ad l. c.

A. V. C. 711, Propertii 10.
*C. Vibius Pansa. A. Hirtius.*

Bellum Mutinense. Ovidius natus. Circa hoc tempus, vel certe non ita multo post, fortasse anno sequente, pater Propertii mortuus sit necesse est. Vulgaris post P. Crinitum sententia, quam et Maittairius et Crusius, Angli, sequuntur, fert, eum L. Antonium secutum, in Perusina clade interiisse, et ad aram Divi Iulii, cum aliis equitibus ac senatoribus immolatum fuisse. Enim vero haud dubie falsi sunt, hanc amplexi opinionem. Namque lib. IV, El. 1, vs. 130 *pertica tristis*, quae in A. V. 713 incidit, subiungitur morti patris Prop. quum *Perusina* deditio in A. V. sequentem 714 demum incidat. Neque poëta haec tempora Augusto in memoriam revocaturus fuisse videtur. Phrasis quoque *ossa legere* indicat haud obscure, patrem Propertii domi potius suae mortuum; num ex vulnere in eo bello accepto, an ex dolore quoque de fama agrorum militibus distribuendorum? incertum. Hoc dubitatione caret, poëtae nostri aetatem tum adhuc teneram fuisse, quum pater ipsi eriperetur. Vid. A. V. 714.

A. V. C. 713, Propertii 12.
*P. Servilius Vatia Isauricus II. L. Antonius.*

Octavianae perticae metatio etiam Propertio nostro, patre iam orbato, maximam agrorum partem aufert; qua de re poëta IV, 1, 129 sqq.

> Nam tua quum multi versarent rura iuvenci,
>   Abstulit excultas *pertica tristis* opes.

Cf. Heyne Vit. Virg. per annos digest. ad h. a. Circa hanc tempestatem Tibullus non potest puer novem annorum fuisse, quoniam longe aliter de hac clade loquitur, quam vel noster, inprimis libr. IV, Carm. 1, vs. 183-190:

> Nam, mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
> Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
> Horrea, foecundas ad deficientia messes,
> Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
> Et domino satis, et nimium furique lupoque:
> Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
> Quum memor *anteactos* semper dolor admovet *annos*:
> Sed licet asperiora cadant, spoliesque relictis, etc.

et lib. I, El. 1, vs. 19-22:

> Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
>   Custodes, fertis munera vestra, Lares.
> Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
>   Nunc agna exigui est hostia magna soli.

ubique tanquam dominus et paterfamilias, qui ipse rem suam familiarem curat et administrat, loqui mihi videtur. Praeterea Propertius etiam maiorem fecisse iacturam videtur, quam Tibullus: nam Propertio *parva domi fortuna relicta* erat sec. libr. II, El. 34, vs. 55: unde etiam Augusti et Maecenatis maxime liberalitatem implorasse credendus est, quod Tibullus non fecit. Vide in hanc rem I. Dousae Praecid. in Tibull. cap. 18.

A. V. C. 714, Propertii 13.

*Cn. Domitius Calvinus II. C. Asinius Pollio.*

Bellum Perusinum. Hoc in bello videtur *Gallus* [1], Propertii nostri amicus, vel propinquus, insidiis latronum interfectus fuisse. Cf. lib. I, El. 21, inprimis vs. 7 et 8, El. 22, vs. 6 - 8. Sunt qui in hoc posteriori loco *propinquum* capiant de ipso patre Propertii, per graecismum ita vocato. In his, praeter Donnolam l. c. §. 22, est quoque Schurzfleischius, qui in nota ei loco subiecta, *Errat enim Ph. Silvius*, inquit, *qui in interpretatione ita locum* παραφράζει « *Tu namque passa es corpus mei cognati iacere discerptum* » *ceterum propinquos vocat parentes e graecismo. Graeci enim eosdem* τῶν ἐγγὺς *nomine aliquando appellant.* Hactenus ille. Poterat etiam addere, contraria ratione *cognatos* quoque nomine parentum insigniri. Sic v. c. Capitolinus in M. Philos. c. 5: *Omnibus parentibus suis* (is

1. *Gallus* nomen proprium amici Propertii, haud dubie fictum, I, 5, 31; 10, 5, 13: II, 20, 1. Certe non est confundendus cum celebri illo Cornelio Gallo, Foroiuliense, Elegorum scriptore, et Euphorionis Chalcidensis interprete. Namque is paulo grandior natu videtur, quam ut omnia loca in eum satis commode conveniant. Adde quod is iam A. V. 717 Lycoridem suam amiserat. Male igitur Dousa F. ad I, 5, 23: *Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti*, scribit: « hinc veteris prosapiae ac multarum imaginum apparet fuisse Gallum, contra Suetonii sententiam, qui eum ex humili ad praefecturam Aegypti ab Augusto provectum autumat in Octavi c. 66. » Eiusdem tamen poëtae, qui praeses Aegypti se ipse interfecit, meminit Propertius II, 34, 91. Ab utroque diversus est ille propinquus Propertii, in bello Perusino occisus, cuius fit mentio I, 21, 7. Tandem Gallus quoque est filius Arriae, frater Luperci, qui concidit ante aquilae rostra cruenta IV, 1, 95. Barth. Cf. et Burmannum in obss. ad Prop. I, 5.

autem pridem extinctus erat, qui eum genuerat) *reverentiam exhibuit.* Coll. Lamprid. Alex. c. 67; Trebell. Poll. xxx Tyrann. c. 10, et Casaubon. ad ll. cc.: sed praeterquam quod iste usus seriori demum aevo invaluisse videtur, ratio temporum ipsa obstat, uti ex antecedd. patet.

A. V. C. 717, Propertii 16.

*M. Vipsanius Agrippa. L. Caninius Gallus.*

Hoc anno ineunte togam virilem, pro more seculi illius, Propertius sumsit. Vide quos laudat Heynius in Vit. Virg. ad A. V. 699. Ita enim noster lib. IV, El. 1, vs. 131 sq.

*Mox*, ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris et ante Deos libera sumta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

Neque est, quod particula *Mox* quempiam moveat, quasi inter *perticam illam tristem* et *togam puram* non intercesserint integri quatuor anni: notum enim est, vel Historicos, nominatim Florum, similibus connectendi particulis tam late ac vage uti. Et Propertius alibi pari ratione hanc vocem ponit lib IV, El. ult. vs. 33, et lib. III, El. 11, vs. 29, *modo* similiter satis longum spatium designat, uti e nostra adnotatione patet ad v. 50 eius elegiae. Assumo vero hunc inprimis annum, quia poëta cum eo statim coniungit studium carminis scribendi; in quod Romae maxime incubuisse, adeoque circa idem tem-

pus eo se contulisse censendus est, sicut e versu breviore colligas, qui spretam iuris scientiam a nostro subindicat, forique meminit. Cui Propertii aetas nondum apta satis pangendo carmini videtur, is velim cogitet, Ovidium quoque admodum iuvenem carmina sua recitasse publice, sicut ipse canit lib. IV Trist. El. 10, vs. 55 sqq.

> Vtque ego maiores, sic me coluere minores:
> Notaque non tarde facta Thalia mea est.
> Carmina quum primum populo iuvenilia legi:
> Barba resecta mihi bisve semelve fuit.

A. V. C 721, Propertii 20.

*Caesar Octavianus II. Volcatius, L. F. Tullus.*

Circa hoc tempus *Lycinna* quaedam Propertium Veneris sacris initiat, ita tamen, ut ipse non tam amet, quam ametur: unde iure suo de *Cynthia*, posteaquam amoris tirocinium iam posuerat, I, 1, 1:

> *Cynthia* prima suis miserum me cepit ocellis,
> Contactum nullis ante Cupidinibus.

Et elegia 12, v. vlt. eiusdem libri:

> Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

De *Lycinnae* autem conatibus irretiendi nostrum ipse lib. III, El. 15, vs. 5, quam elegiam equidem vel maxime tanquam filum quoddam Ariadneum in computandis annis Propertii sequor. Inde enim, nisi me omnia fallunt, manifesto patet, Propertium statim a sumta virili toga in Lycinnae amoribus per unum aut alterum annum versatum esse: quod et Passeratio ad istum locum ita videtur. Sed captus

post a *Cynthia* noster Lycinnam deserit, et, quum eleg. 15 libri III scriberet, per triennium fere cum Cynthia consueverat, sicut ipse canit v. 7 sqq.

> Tertius, haud multo minus est, quum ducitur annus,
> Vix memini nobis (*mihi et Lycinnae*) verba coisse decem.
> Cuncta tuus sepelivit amor: nec femina post te
> Vlla dedit collo dulcia vincla meo.

Iam si Propertius quinque annos serviit Cynthiae, ut ipse lib. III, El. 25. vs. 3 canit:

> Quinque tibi potui servire fideliter annos.

rationibus bene subductis apparebit, hos *septem annos* simul sumtos incidere in annum aetatis Propertianae 17 usque ad 24. Ad idem temporis spatium quoque plurimarum elegiarum conscriptio, amatoriarum nimirum, necessario referenda erit.

A. V. C. 723, Propertii 22.

*Caesar Octavianus III. M. Valerius Messala.*

Cynthiam amare incipit Propertius. Factum id inprimis videtur, posteaquam illa ab amatore suo, Africam petente, derelicta fuerat. Cf. libri III Eleg. 20, et quae passim ad eam adnotavimus. Haec enim elegia mihi quidem videtur una ex illis esse, quas poëta ante omnes reliquas, etiam libri primi, scripsit *, quam vero, cum quibusdam aliis, utpote nondum satis emendatam, neglexit et suppressit tum, quum librum primum ederet. Cur hoc mihi persuadeam, haec inprimis causa est, quod in illo

* Ex illarum numero est etiam el. 22 lib. II. Coll. v. 21 sqq. Kuin.

carmine nomen Cynthiae nondum occurrit, quod a poëta post id demum tempus adhibitum Hostiaeque impositum fuit a Cyntho (sicut a Delo nomen Deliae), quum in amicitiam amoremque eius insinuasset. Neque enim de nuptiis et coniugio Propertii cogitandum est cum docto Anglo Crusio, (Lives of the Roman poets) obnuntiante etiam iure eius interprete Schmidio, sed praetexit modo poëta honestatis speciem turpi amori. Tantum vero aberat, ut haec cautio a Propertio adhibita vim aliquam in Cynthiae animo ad constantiam amoris haberet, ut potius mox alium praeferret amatorem, quocum in Illyriam proficisci meditabatur. Neque per absentiam illius Praetoris Illyrici sine rivali esse potuit poëta, uti colligas e lib. II, El. 24, vs. 31, qui ille ipse videtur, qui uxorem habebat Lib. II, El. 21, v. 4. Illum praetorem Macedoniae et Achaiae censet Scaligerus, quod Macedonia Illyricum continebatur. Vid. Castigatt. in Prop. p. m. 219, coll. 198. Circa idem tempus videtur etiam Elegia 21 libri III scripta fuisse [1], quum ex impatientia amoris, cui Cynthia non satis respondebat, iter Athenas suscipiendum simularet. Vix enim adducor ut credam, poëtam unquam iter fecisse, ne per Elegiam 14 quidem eiusdem libri. Potest enim et haec ex enthusiasmo poëtico scripta fuisse. Namque poëta ne cum Tullo quidem in Asiam proficisci voluit. Cf. lib. I, El. 6 [2]. Ex his omnibus facile constabit

1. Vid. notata ad Argum. el. 17 lib. I.

2. Argumenti huius levitatem, vel

de moribus et ingenio Cynthiae, ut Broukhusius adeo haud dubie fallatur, et fallat egregie, quum tam magnifice de illa senserit. Fuit enim eius ingenium plus quam meretricium, ad lactandos et emungendos amatores maxime compositum. Cf. II, 16, 11 sq. II, 32, 17-20 etc.

Quod si igitur Propertius adeo iuvenis Cynthiam dilexit, quae tamen multo plures annos habuisse videtur poëta nostro, quid mirum, si eam, aestu irae abreptus, secum comparatam, *anum* vocat? quum praecipue apud Latinos *anus* iam vocari possit, quae propter annorum copiam non amplius parit, et Propertius ad eam quoque dicat:

> Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus;
> Frater ego, et tibi sim filius unus ego.

lib. II, El. 18, vs, 33 sq. nisi forte sterilitatem Cynthiae his verbis innuere voluit poëta. Vide et quae infra ad A. V. 726 dicentur. Iam igitur confer loca II, 18, 20, et II, 32, 6: ad priorem locum etiam Vulpio iam matura aetate Cynthia fuisse videbatur.

Ceterum hoc anno a. d. IV Non. Sept. facta est pugna ad Actium, cuius passim meminit Propertius variis Elegiis, quae tamen non nisi post triumphum A. V. 725 habitum, et *librum primum* iam editum scriptae videntur. Cf. III, 2, 50, et Heyn. ad Virgil. Aen. VIII, vs. 675, 698 etc.

me non monente, unusquisque facile perspiciet. Kuin.

A. V. C. 724, Propertii 23.

*Caesar Octavianus IV. M. Licinius Crassus.*

Aegyptus in formam provinciae Romanae redacta. Cornelius Gallus praefectus Aegypti. M. Valerius Messala ab Augusto cum imperio in Asiam mittitur ad turbas ab Antonii gladiatoribus illic excitatas componendas aliasque simul res constituendas. Cf. Dio Cass. lib. LI, non longe a princ. Atque ad hoc ego tempus refero tam scriptionem elegiae 6 libri I, quam editionem totius illius libri, quem *Volcatio Tullo*, qui A. V. 721 cum Caesare Octaviano Consul fuerat, elegia prima addita *, inscripsit. Ab hoc tamen ipso Tullo diversum statuo illum, ad quem est Elegia 6 libri I, et 22 libri III. Scilicet ille Tullus, cui Propertius inscripsit suam Cynthiam, est *L. Volcatius Tullus L. F.* (Is Lucius fortasse ille ipse est, qui A. V. 688 Consul fuit cum M. Aemilio Lepido) qui cum Caesare II. Consule consulatum gessit. Sed is ipse Consul haud dubie fuit *patruus illius Tulli iunioris*, ad quem est elegia sexta libri primi, significante ipso Propertio v. 19. Neque enim antiquior ille Tullus, cum Lepido Consul, adeo rebus gestis inclaruit, ut Propertius eius cum laude meminisse videatur. Rectius credas, poëtam vivo suo patrono Tullo adulatum fuisse versu illo: *Tu patrui meritas conare anteire secures.* Hic igitur adhuc iuvenis erat, et, ni fallor, ae-

* Vid. Argum. el. 1 lib. I, et el. 17. Kuin.

qualis fere Propertio, nec dum aliquem magistratum gesserat, sed omnis eius fortuna et spes adhuc in herba erat, siculi ex Eleg. 22 lib. III, vs. 39-41, non inepte colligas. Hic iunior Tullus, filius fratris Consulis, a Propertio vocatur, v. 34, El. 6, lib I, *pars accepti imperii:* quae phrasis nihil aliud significat, quam iuvenem illum Tullum fuisse in cohorte, i. e. inter comites et amicos viri cuiusdam clari et Consularis, cui Octavianus singulare quoddam imperium s. militare s. utrumque (loquitur certe non tantum de iure v. 20, sed et de armis v. 29) dederit. Sicuti El. 21, lib I, v. 4, *pars militiae* est unus de militibus. Cf. vet. Scholiast. ad Horat. lib I, Ep. 3, v. 1. Neque est quod quis putet, ita vim vocis *imperii accepti* non satis exhauriri: nam solent optimi scriptores et Graeci et Latini ita loqui. Sic v. c. ut unico saltem in hanc rem utar exemplo, Lucianus *in Apolog. pro mercede conductis* T. 1, p. 721, c. 12, publici imperii se participem factum, s. publice in maximam partem imperii se venisse, (δημοσίᾳ τῆς μεγίστης ἀρχῆς κοινωνεῖν) scribit, quum tantum eorum, quae agebantur in iudiciis, commentarios scribendos curaret, et decreta reponenda traderet. Memorat elegia 6 inprimis Athenas et Asiam. Quum vero elegia scripta esse debeat intra annos 5, nempe ab A. 721, quo Tullus ipsius patruus Consul fuit, computo instituto, ad A. V. 724, quo librum primum nos statuimus editum, exoritur quaestio, quamnam ob causam, et cui Octavianus ad Actium victor singulare imperium in

Asiam dederit, cuius inter comites Tullus iuvenis esse potuerit. Iam quamquam libentius ab aliis doceri ipse velim; tamen, quum res horum annorum circumspicienti non alia huc faciens occurrat, quam turbae illae gladiatoriae, ad quas componendas Caesar Octavianus Messalam A. V. 724 misit, non dubitamus eas e Dione Cassio l. c. breviter commemorare, si forte coniectura nostra peritis et aequis harum rerum arbitris arrideat. Antonius nimirum, victoriae suae de Caesare deportandae certus, ad ludos triumphales, quos se facturum sperabat, *Cyzici* magnam gladiatorum manum aluerat, exercendamque curaverat. Posteaquam igitur isti homines cognorant, Antonium apud Actium fugatum, deinde in Aegyptum confugisse, ad ferendum ipsi auxilium iter susceperant, ac variis turbis per varias Asiae provincias, Galatiam maxime et Ciliciam, excitatis, tandem in Syriam concesserant, ubi Q. Didio Syriae praefecto ea sese dediderant conditione, ut ne gladiatores posthac essent, utque *Daphnen*, Antiochiae suburbium, eis habitandum concederet, donec Caesari ea res significaretur. Ili quidem gladiatores, addit Dio, postea a Messala decepti, alii alio dimissi, quasi legionibus adscribendi, ac per occasionem interfecti sunt. Iam etsi Messala tum temporis non ipse Romae fuit, potuit tamen ea res ibi nota fieri, et post pugnam Actiacam, quum ipse Augustus in Italia Brundusii esset, ita ordinari, ut multis occasio praeberetur eo proficiscendi. Videtur vero deinde Messala totam Asiam

minorem, cuius potior pars ab Antonio steterat, rerum ordinandarum populorumque in deditionem accipiendorum causa, percurrisse, (quod etiam sexta elegia Propertii lib. I, v. 31 sqq. innuit), ac deinde quoque Cyzicum accessisse, unde gladiatores isti emigraverant, ut adeo manifestum sit, hanc urbem in potestate ac fide Antonii fuisse. Augustus certe sequentibus temporibus simili cursu itinerum usus est, (vid. Heyn. Vitam Virgil.) quo tempore etiam Cyzicenis libertatem ademit: quod quum factum sit demum A. V. 734, M. Apuleio et P. Silio Nerva Coss. eademque libertas restituta iisdem A. V. 739, teste eodem Dione, Coss. M. Druso Libone et L. Calpurnio Pisone, facile quisque videt Broukhusium frustra de ea re cogitasse. Locus igitur I, 6, 20: *Et vetera oblitis iura refer sociis*, non tantum ad Cyzicenos pertinet, sed ad omnes Asiae et Graeciae fortasse quoque populos, qui in societate P. R. fuerant, quibusque ius dicendum erat, id quod longo tempore, propter bella civilia fieri impeditum et omissum fuerat: unde *obliti* dicuntur. Tullo vero hoc tribuitur, quia accepti erat imperii pars. Idem deinde Tullus Cyzici, amoenitate loci captus, per aliquot annos haesisse videtur; unde Propertius ipsum Elegia 22 libri III invitat, ut Romam revertatur, ibique honores consuetos consequi studeat.

Circa hoc tempus Propertius nondum innotuerat Maecenati, quippe Tullo patrono usus unice; unde

nulla Maecenatis toto libro I mentio, neque etiam Augusti.

A. V. C. 725, Propertii 24.

*Caesar V. Sex. Apuleius.*

Tres Caesaris triumphi: Illyricus, Actiacus, Aegyptius. In hunc annum referri debet scriptio eleg. 3 lib. III, propter vs. 43-46. (et el. 2, 15; coll. vs. 44) Conf. Heyn. Observat. ad Virg. Aen. VIII, 726.

A. V. C. 726, Propertii 25.

*Caesar Octavianus VI. M. Agrippa II.*

Hic VI Caesaris Octaviani Consulatus maxime notabilis est, ob summum studium, quod impendit, vitiis, quibus Romani ob bellorum licentiam assuefacti fuerant, penitus elidendis, et moribus melioribus introducendis. Summus igitur ille Princeps, perfecta hoc anno censura, solemnibus sacrificiis romano more lustrum condit, ludos Actiacos quinquennales exhibet, Apollini in Palatio templum cum bibliotheca perficit ac dedicat, variaque praeterea ordinat: maxime vero, *primum omnium*, legem de maritandis ordinibus ferre conatur; quam deinde repetitam *decem annis post*, A. V. 737, iterum tulit, ut auctor est Dio Cassius, neque tamen etiam tum prae multitudine recusantium perferre potuit; donec tandem post annos rursum 25 eadem lex perferretur, Papio Mutilo et Q. Poppaeo Coss.

unde ea lex *Papia Poppaea*, uti et *Iulia* audiit, quoniam iam antea a Iul. Caes. tentata fuerat; qua de lege, praeter caeteros, inprimis Heineccium, docte ac dilucide egit *Io. Aug. Bachius*, in Hist. Iurispr. Rom. lib. III, c. 1, Sect. II, §. 7 sqq.

In hunc igitur annum 726 scriptio elegiae 7 libri II incidat necesse est, cuius statim initium *certe sublatam* hanc legem ait. De posteriore demum legis huius ferendae conatu A. V. 737, cogitare prohibet finis maxime servitutis quinquennalis Propertii, iam tum factus necessario. Accedit, quod tum fortasse iam thesauro Orcivo tradita fuerat Cynthia; etenim elegia 7 libri IV in illud tempus incidere videtur. Idque eo minus dubium videtur, quum Propertius ipse quoque haud ita multo post in Libitinae censum relatus sit. Vide Lipsii Exc. C ad Tacit Ann. III, p. 732 sqq. edit. Gronov. qui tamen elegiam 7 libri II ad A. 736 demum refert, non sat accurate.

In eundem quoque annum incidit scriptio Eleg. 31 eiusdem libri secundi, quae de templi Apollin. dedicatione agit. Cf. in eam rem Heyn. in Vit. Virgil. chronol. ad hunc ipsum annum.

A. V. C. 727, Propertii 26.

*Caesar Octav. VII. M. Agrippa III.*

Augusti nomen Caesari Octaviano datum a senatu, Munatii Planci inprimis sententia. Vide Heynium l. c. De nomine ipso eiusque potestate consulant

iuvenes Schwarzii Observatt. ad Nieupoortum p. 195 sqq. Ante hunc igitur annum scriptae non esse possunt illae Propertii nostri elegiae, in quibus nominis huius fit mentio. Cf. e. c. II, 10, 15. III, 11, 50. III, 12, 2 etc.

A. V. C. 728, Propertii 27.

*Caesar Augustus VIII. T. Statilius Taurus II.*

Cornelii Galli mors voluntaria; quae accidit non, ut Horatiano interpreti placet, A. V. 724, namque praefuerat Gallus Aegypto per quatuor annos, et anno 724 Aegyptus demum provincia Romana facta est, sed anno a nobis posito. Cf. Dio lib. LIII. Non igitur ante hunc annum scripta est Eleg. 34 lib. II, propter vers. 91 sq. inprimis quum etiam Aeneidos Virgilianae honorificam mentionem faciat noster vs. 61 sqq. Coll. Vita Virg. chronol. ad A. V. 724 fin. et Heyn. ad Aeneid. VIII, 675.

A. V. C. 730, Propertii 29.

*Caesar Augustus X. C. Norbanus Flaccus.*

Aelius Gallus Arabicam suscipit expeditionem; vix tamen per biennium in terris illis commoratus, maxima militum parte, morbo quodam insolito, nullique notorum simili, amissa, ab Arabibus sua regione expellitur: auctores Strabo (lib. XVI, p. 780; Plin. VI, 28) et Dio Cassius lib. LIII (p. 723), qui tamen in ducis errat nomine,

dum Aelium Largum appellat. Imposuit Dio Broukhusio quoque ad Prop. lib. II, El. 10, vs. 2, ita ut Casaubonus quoque humani quid passus est, Strabonem de Cornelio Gallo explicans. V. Ruaeum ad Virg. Aen. VII, 605, et, quem laudat, Valesium ad Ammianum (v. ad II, 10, 13).

Circa hoc tempus scripta videtur elegia (III, 4, et) 10 lib. II, propter vs. 16: *Et domus intactae te* (Auguste) *tremit Arabiae.* Neque enim Broukhusius audiendus, qui ad vs. 2 elegiae laudatae de A. V. 752 cogitat, propter locum Ovidii de A. A. I, 177 sqq. quum tamen ibi de alia longe expeditione in Parthos *per Caium* sermo sit. Vid. Masson. Vit. Ovid. chronol. ad A. V. excitatum.

### A. V. C. 731, Propertii 30.

*Caesar Augustus XI. A. Terentius Varro Muraena*

M. Marcelli mors, in quam praeclara extat elegia Propertii lib. III, 18.

Augustus praeterea sub finem anni captivos et signa a Parthis repetit; quod postulatum si negatum fuisset, bellum in Parthos susceptum iri suspicio erat Romae, quin etiam de Indis subiiciendis varia Romae agitata fuisse, probabile videtur. Cf. lib. III El. 4, et vid. Heyn. Vit. Virgil. h. a. et V. C. 734 fin. Videtur nimirum id negotii datum fuisse *Aelio Gallo*, paullo ante commemorato, ut adeo elegiae Propertianae, Parthici mentionem belli facientes, ad hunc annum et antecedentem Arabicam

expeditionem simul referendae videantur. Frustra enim Nic. Heinsius Adv. I, c. 2, p. 12 de C. Cassio Longino Crassi in Syria Quaestore, adeoque A. V. 712, cogitat libr. IV, El. 3.

Quin hic ipse annus mihi videtur ille, quo Propertius librum secundum et tertium elegiarum suarum publici iuris fecit, ut adeo hi tres elegiarum libri intelligendi sint, quum poëta lib. II, El. 13, vs. 25, canit:

> Sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli,
> Quos ego Persephonae maxima dona feram.

Neque enim plures fortasse libros edere constituerat, et quartus deinde post eius mortem ab amico quodam reliquis adiectus fuit. Accedit, quod quinque servitutis anni Cynthiae praestitae (III, 25, 3) iam A. V. 728 finem suum consecuti fuerant. Quod si quis ex me quaerat, cur ea ipsa elegia libro secundo legatur, neque demum tertio? facilis est responsio; quoniam nimirum neque Propertius, neque Horatius carmina sua ordine chronologico composita ediderunt [1], sed ille promiscue coniecit in illos

1. Recte. Non enim assentiri possum Lipsio, qui var. lect. I, 6 observat, Propertium II, 13, 25 indicare, se re vera tres tantum elegiarum libros, quos amoribus dicavit, scripsisse, quartum vero disparis argumenti, in quem grandiora carmina coniecit, ab illis separandum, et *monobiblon* inscribendum, aliosque male titulum illum ad librum primum retulisse. Nec placet Vulpii sententia (ad Catull. I, 6, et in Commentario ad l. c.) per *tres* illos *libellos*, non Propertii, sed paucos aliorum libellos, Callimachi, Mimnermi, Philetae, vel aliorum poëtarum, quibus legendis ac terendis assidue tempus insumserat, intelligendos esse. Arbitror tamen partem illam eleg. 13 lib. II a vs. 43 fin. ad calcem esse ponendam. Kuin.

duos libros quidquid elegiarum ad manum erat, sicut Horatius odas libri I et II, uno tempore coniunctim editi, promiscue ordinavit, uti iam contra Bentleium monuimus *in den Vorlesungen über einige Elegien des Properz*, Dresdae edit. 1775, 8. Denique hoc quoque observandum est, Propertium duobus posterioribus libris, inprimis tertio, quasdam elegias adiecisse, quas antea supprimere voluerat, uti patet ex iis, quae ad A. V. 723 dicta sunt. Vt vero hunc inprimis annum publicationi horum librorum constituam, facit maxime Elegia 12 libri III ad Postumum; ad quem si scripta sit quoque Elegia 3 libri IV, [1] quod plerisque placet interpretibus, et ratio ipsa probare videtur, dubitari non poterit, quin utraque elegia scripta sit durante illo duorum annorum spatio, quo Aelius Gallus in Arabia commoratus est. Adde, quod liber IV, El. 6, vs. 78 mentionem facit Aethiopici belli, quod in annum sequentem incidit.

A. V. C. 732, Propertii 31.

*M. Claudius Marcellus Aeserinus. L. Aruntius.*

Aethiopes caesi et eorum terra praesidiis occupata. Cf. Heynii Vita Virg. ad h. a. et quae sub finem praecedentis anni notata sunt.

1. Sed vid. notata ad vs. 7.

11, ut adeo tempus scriptionis huius carminis lugubris in hunc ipsum annum incidere videatur. Pater eius Scipio fuit Consularis ille, cui *Scriboniam*, matrem Corneliae, abduxit Octavianus, secundum Sueton. in Octav. c. 62, ex eaque *Iuliam* suscepit filiam; mox tamen, cum eadem facto divortio, statim *Liviam Drusillam*, matrimonio *Tib. Neronis*, et quidem gravidam, eripuit. Factum hoc est, secundum Dionem Cassium A. V. C. 716, aetatis Augusti 25. Hanc ob causam Cornelia se vocat *sororem Iuliae* vs. 59. Nupserat vero *Paullo Aemilio Lepido*, qui A. V. 732, M. Claudio Marcello Aeserino et L. Aruntio Coss. cum L. Munacio Planco Censor fuit, quod et Cornelia innuit vs. 41 et 67. Tres habuit liberos (cf. vs. 61), duos filios *Lepidum* et *Paullum* (cf. vs. 63) unamque filiam. Mortua vero est haec Cornelia haud dubie circa finem anni praecedentis 737. Namque eo manifesto ducunt verba ipsius Corneliae vs. 65 sq.

> Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
> Consule quo facto tempore rapta soror.

*geminata sella curulis* nihil aliud significare potest, quam fratrem Corneliae bis magistratum curulem gessisse, *Aedilitatem* nempe et *Praeturam*; sed quum iam Consul designatus esset, neque tamen iam consulatum inisset, Cornelia *soror rapta* est. Nam si fratrem adhuc consulem vidisset, dicere non posset fratrem modo geminasse sellam curulem, idque se ipsam vidisse. Vox *tempore* vero, in versu

breviore, pertinet ad participium rapta: *ego soror illius rapta sum tempore*, pro *tempori*, i. e. in tempore, iusto, opportuno tempore, quum iam sat felix fuissem, neque fortunae inconstantiam expertae, quidquam sinistri et praeter optata mihi accidisset. Pertinet huc Donati observatio ad Ter. Andr. IV, 5, 19: *veni in tempore, i. e. opportune*: *nos sine praepositione dicimus tempore*, *tempori*.

A. V. C. 739, Propertii 38.

*M. Drusus Libo. L. Calpurnius Piso.*

Cyziceni libertatem ab Augusto A. V. 734 ademtam recuperant. Sicambri Augustum compositis venerantur armis, sicuti Horatius canit Carmin. lib. IV, od. 14 fin.; Coll. od. 2, vs. 36: dum scilicet, Augusto, post cladem Lollianam (quae sec. Dionem in annum praeced. 738 incidit) Varianae comparandam, sec. Sueton. Octav. c. 23, exercitum contra illos adducente, in suas regressi terras, obsidibus datis, pacem acceperunt. Vide quae in hanc rem disputavit Io. Massonus tam in vita Ovid. ad h. a. quam in vita Horat. p. 319 et 343 sqq. Huius ipsius rei meminit quoque Propertius celebri illa Eleg. 6 libri IV, quae adeo novissimam continet temporis notam in Propertii carminibus, ut probabile sit hanc Elegiam vel hoc ipso anno, vel sub finem praecedentis anni, mense septembr. scriptam esse, quo tempore nimirum *Ludi quinquennales* ab Augusto in memoriam Actiacae vi-

ctoriae instituti celebrati fuere sec. Dion. Cass. lib. LIV. Nam potuit Propertius tanquam vates etiam de re certo sperata et proxime futura canere: *Ille paludosos memoret servire Sicambros* IV, 6, 77. Et videtur sane haec elegia in illa celebritate in honorem Augusti scripta esse ab Aurelio nostro; ut adeo vel haec sexta vel undecima libri quarti pro novissima, quae ex ingenio Propertii fluxerit, habenda sit. Nam reliquae omnes, quas ille continet liber, haud dubie ab amico quodam poëtae post mortem illius editus, possunt multo ante scriptae esse, inprimis eleg. *tertia*, (cf. supra ad A. V. 731) quum Ovidius quoque epistolas Heroidd. ad hunc exemplum compositas, paullo post id tempus ediderit. Elegia *septima* vero in mortem Cynthiae, etiam ante scripta sit oportet, quemadmodum elegia *octava* in multo prius tempus incidit; quam tamen poëta, viva adhuc Cynthia, edere fortasse noluit. Quum igitur elegiae pleraeque contineantur intra spatium annorum V. C. 732-739, videtur Propertius paullo post mortuus esse, adeoque vaticinium Cynthiae exitum habuisse IV, 7, 93:

Nunc te possideant aliae; *mox* sola tenebo.
Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.

Namque si Propertius adhuc vixisset anno sequente, victoriam Drusi, de Rhaetis reportatam, ab Horatio tam magnifico luculentoque carmine (lib. IV, od. 4) celebratam, silentio praetermissurus non

fuisset: nisi tamen aliquot fortassis elegiae in fine codicis illius detriti atque corrosi, qui in cella vinaria inventus fuit, longinquitate temporis perierunt. Quae si falsa est suspicio, libenter equidem subscribo sententiae Io. Massoni in vit. Ovid. A. V. 739 in fine scribentis: *Caeterum quandoquidem Propertius anno praeterito postremum, quod in eius Operibus occurrit, carmen exaravit, ut in eius vita fusius demonstravimus;* ( vid. praef. Kvin. in fin.) *nec aliud est, quod ad subsequentes annos referre per certas temporis notas liceat: hinc eius obitum ulterius protrahendum, nequaquam arbitramur; maxime quum constet huncce Poëtam iam ante editam Artem Amatoriam* ( vid. lib. III, vs. 333, 536 ) *decessisse.* Hinc igitur patet Propertium admodum iuvenem, et quum multo etiam brevius forte spatium, quam ipse Tibullus, percurrisset, mortuum esse; cui rei *indicio quoque fuerint tot ac tanta poëtae ipsius testimonia, quibus ut viridissimo flore ephebus passim, ac velut in primis adhuc illis adolescentiae fretis a se depingitur;* quae sunt verba Iani Dousae in Sched. Succid. Tibullum ad maturius ac serius aetatis spatium pervenisse vel hoc esse potest argumento, quod Horatius illius iudicio se usum scribit in sermonibus suis lib. I, ep. 4, vs. 1: quin in nobili illo carmine, quo Venusinus poëta Tibullum consolatur ob Glyceram ab alio praereptam, ( lib. I, od. 33) tanquam seniorem eum describit, cui iunior praenituerit.

Atqui homo 30 vel etiam 26 annorum, si Diis placet, (vide Tibulli vitam ab Ayrmanno datam) nondum in decrepitis, aut iis haberi potest, qui iuvenculae uxorculae officium suum probare non amplius possit, quum praesertim forma sat elegante Tibullus esset, eodem Horatio teste l. c. epist. 4, vs. 6. Imposuit viris doctis nomen *iuvenis* in carmine Domitii Marsi sat noto ac decantato:

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios.

quum non meminissent, iuvenum seu iuniorum appellatione insignitos iam inde a Servii Tullii temporibus, quorum aetas annum nondum 46 supergressa esset. Simili ratione Sallustius C. Caesarem Pontificatus maximi candidatum 36 annos natum adolescentulum vocavit. Vide Gell. Noct. Att. lib. V, c. 28. Quod si vero pro certo teneri potest, carmen Tibulli primum sec. Ayrmannum incidere in A. V. 723, quo anno Messala consul fuit; quod heroicum est; et sequentibus demum annis, usque ad A. V. 727 elegias passim compositas ab eodem fuisse, e nostra annorum computatione simul apparebit, quum Propertii Cynthia iam A. V. 723 edita, et toto foro lecta fuerit, nostrum non iniuria tanquam primum se iactitasse, qui elegis ad Graecorum exemplum scribendis operam dederit, *poëtae famam cum primis affectans*, quod Tibullus non fecisse videtur; (cf. Heyn. Praef. ad

Tib. §. 4 ) unde fortasse etiam neque Augusti, neque Maecenatis favorem captavit. Cf. Prop. III, 1, 3, et quae ibi ad vit. Vulp. notata indicamus. Sic, ut hoc addam, diu ante Aesopum fabula ab Hesiodo, Stesichoro, et aliis usurpata, propter Aesopi frequentiorem usum Aesopia dici coepit.

De *sepulcro* Propertii, recentiore detecto memoria, pauca iam adiicienda videntur. Quum probabile sit, eum in villa, quam haberet ad urbem patriam, sepultum fuisse, plane non dubito, quin illud sepulcrum, quo A. 1722 *apud Hispellates* repertum fuit, vere sit Propertii sepulcrum. Sed agedum totam relationem de hac detectione apponamus, quorum illa in *Mém. de Trévoux*, quem librum forte paucissimis iuvenum excutere contigerit, a. 1723 p. 840 sqq. francogallico idiomate consignata reperitur: *Le* 7 *de juin* 1722 *en démolissant un mur à Spello dans le palais de la Princesse Pamphile, on trouva une pierre quarrée, longue d'un peu plus d'un pied et demi romain, et large de* 13 *ou* 14 *poucées, surmontée d'une espèce de fronton triangulaire très-simple, comme tout le reste de la pierre. On voit au milieu de cette pierre la tête d'un jeune homme, sur laquelle pendent deux festons de fleurs et de fruits. Le fronton est chargé dans le milieu d'une fleur; et aux côtés l'on voit deux figures bizarres, représentant par-devant des lapins, qui se terminent par derrière en queue de Siréne.*

*Au-dessous de la tête du jeune homme, on lit cette Inscription en caractères romains :*

Sex. Aurel. Propert. Sex.
F. Lem.

*Au-dessus de la tête, qui est dans une espèce de quadre, on voit cette autre inscription:* L. Cominus L. F. Lemon. *Celui qui nous instruit de cette découverte, juge, que cette seconde inscription, quoiqu'ancienne, est néanmoins postérieure à la première. Les lettres, dit-il, en sont monstreuses, trop larges, et très-mal formées; au lieu que celles de l'inscription qui est au bas de la pierre, sont beaucoup plus grandes, rondes, d'une bonne main, et d'un bon siècle. D'ailleurs il parait par la construction de la pierre, par sa situation, et par sa forme, qu'elle n'a été dressée que pour Properce.* Sur tout cela il faut l'en croire sur sa parole, si l'on n'est pas à portée de s'en instruire par soi-même; car il ne représente ni la forme des caractères de ces inscriptions, ni les autres marques auxquelles on aurait pû reconnaître qu'elle est la principale et la plus ancienne. Quoiqu'il en soit, il conclut de ce monument, que *Properce était de Spello, autrefois ville Episcopale, mais qui n'est plus qu'un bourg d'Ombrie, à une lieue de Foligno. Les ruines d'un théatre, et d'autres monumens attestent son ancienne grandeur. L'Abbé Passarini*

*a pris soin de ramasser les inscriptions de Spello, qu'on nommait autrefois* Colonia Iulia Hispelli, *pour les donner au public. Ce livre est peut-être déjà imprimé. C'est là, que du côté de la porte de S. Barnabé se trouve un lieu très-agréable, planté d'oliviers, où l'on voit les restes d'une maison, qu'on appelle encore aujourd'hui* la maison du Poëte, *laquelle, suivant l'ancienne tradition du pays appartenait à* Properce, *et c'est en ce lieu-là que son tombeau vient d'être découvert: car le palais Monaldi, d'où la pierre a été tirée, était autrefois aux seigneurs Urbani, qui possédoient aussi cette maison de campagne de Properce. - La découverte du tombeau de Properce était reservée à l'illustre Dame Thérese Grilli, Princesse Pamphile. - Ce mot. abregé* Lem. *signifie dans ces inscriptions, comme dans plusieurs autres,* Lemonia, *en sousentendant* Tribu.[1]

Ceterum quemadmodum hinc discimus Propertii tribum; ita domum se Romae habuisse in monte Esquilino significat ipse lib. III El. 23 vs. ult. coll. lib. IV, El. 8 princ. Cynthia in Suburra habitasse videtur.

1 De monumento illo insigni tabulae vetustissimae, Hispelli in Vmbria a. 1722 reperto, unde Propertii patria, nomen patris et tribus fuit erutum, cuius inscriptio est etiam apud Murator. p. MCDLV. I. Vid. Montfaucon in supplemento antiqq. tom. 3, lib. I, c. 4, p. 17 sqq. Kvin.

# SEX. AVRELII
# PROPERTII
# ELEGIAE

SEX. AVRELII PROPERTII

# ELEGIARVM

## LIBER PRIMVS

## CYNTHIA

### ELEGIA I

#### AD TVLLVM

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante Cupidinibus.

ELEGIA I

Ad Volcatium Tullum, fautorem et amicum suum, qui A. V. DCCXXI cum Caesare Octaviano Consul fuerat. Poëta, qui iam tum, quum ad hanc elegiam scribendam se accingeret, de itinere, coll. v. 29 sqq. Athenas suscipiendo, vide argum. ad el. 17, cogitasse videtur, sortem suam deplorat, quod Cynthiae, puellae durae et asperae, cuius amore et oculis se primum captum confitetur, mores pervincere, mentemque convertere non possit, et varia quaerit remedia, quibus dolori suo et amoris morbo mederi valeat; atque felicissimos praedicat eos, quibus deus facili aure annuat (vers. 31) iisque apprecatur, ut sint semper in tuto amore pares (v. 32). Praeclaras huius carminis virtutes, affectuum veritatem ac varietatem, elocutionis vim et praestantiam, tractationis artificium, unusquisque, nisi plane sit hebes, facili negotio observabit. Caeterum Cynthia, Propertii amica, quae proprio nomine Hostia dicebatur (vid. schol. Iuvenal. VI, 7; Barth. Advers. LVI, 3; Apuleius in Apologia p. 11, ed. Pricaei) fuit neptis illius Hostii, qui bellum Istricum cecinit, unde *avus* illius *illustris* nominatur, vid. II, 13, 10; III, 20, 8; Broukhus. ad III, 18, 8. Digna est, quae inter claras eruditione foeminas referatur, quae Propertio tam felici auspicio ingenium moverit, vid. III, 1, 3 seqq. coll. II, 1, 4; I, 1, 1. Ipse eam nominat puellam doctam II, 13, 11; I, 7, 11; in ea laudat artem cantandi et carminis pangendi I, 2, 27, coll. I, 1, 9; 3, 19 sqq.; loquendi I, 2, 29, saltandi II, 3, 17; texendi I, 3, 41, atque cum Corinna et Sapphone eam

Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus.
Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, et nullo vivere consilio.
Et mihi iam toto furor hic non deficit anno:
Quum tamen adversos cogor habere deos.

comparat II, 3, 21. Fuit praeterea mirae venustatis puella I, 2, 5; 4, 8; II, 1, 8 sqq. 18, 19, ubi vid. not. etc. liberioris tamen vitae vagorumque amorum appetens (*Cynthia forma potens, Cynthia forma levis* II, 5, 28), superba III, 16, 9; 24, 1 al. avara et lucri cupida II, 16, 12; 24, 11; III, 13; iracunda acris et vehemens III, 8, 1; I, 4, 18; 5, 8; IV, 8, 51 sqq. Per quinque annos Cynthiam inconstantem et perfidam perdite amavit Propertius, vid. III, 25, 3.

1-8. Meleager in Brunck. Anal. Tom. I, pag. 12, XXXVII: Τόν με πόθοις ἄτρωτον ὑπὸ στέρνοισι Μυΐσκος, Ὄμμασι τοξεύσας, τοῦτ' ἐβόησεν ἔπος· Τὸν θρασὺν εἷλον ἐγώ· τὸ δ' ἐπ' ὀφρύσι κεῖνο φρύαγμα Σκηπτροφόρου σοφίας ἠνίδε ποσσὶ πατῶ. *miserum* σχέτλιον, vocabulum de amantibus proprium; *cepit ocellis* perquam significanter, nam *oculi sunt in amore duces* II, 15, 12, sunt sedes amoris, et γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσιν βέλος, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. IV, 13, 6; Prop. II, 21, 8. – *cepit*, ad amorem pellexit, *meos praedata est sensus* II, 1, 55. – *contactum* antea *intactum* II, 12, 18, quem non tetigerant iactu II, 34, 60. Cupidines, quorum innumerabilis est multitudo, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 19, 1. – 3. *lumina constantis fastus*, oculos, qui constanter fastum, contemtum amoris prae se ferebant. – *deiecit*, oculos in terram figere est tristis, pudibundi, Ovid. Heroidd. XI, 35; modesti, Lucian. dial. Marin. XV, 4, tom. II, p. 127; Musaeus vers. 160: servi et captivi, Prop. II, 30, 9; Tibull. I, 2, 89 sq. Iacobs ad Anthol. Gr. Vol. I, P. I, p. 57 explicat: Amor fastum deiecit, qui olim supercilio meo insederat. – 4. *Et-pedibus*. Frequens metaphora de amore victis; v. II, 30, 7. Meleager ep. 28: κεῖμαι· λὰξ ἐπίβαινε κατ' αὐχένος, ἄγριε Δαῖμον. add. Ovid. Remed. 529; in quos Amor crudele et arbitrarium imperium exercet, qui Amori *ludum dant*, ut loquitur Horat. Carm. III, 12, 1, eique penitus succumbunt. Imago depromta est a victoribus, qui hostium cadavera calcare, et in captivorum colla pedem ponere solebant, vid. Barthius ad Stat. Theb. II, 713. – *castas* pudicas, Cynthiae dissimiles. – *improbus* nequitiarum magister. – *nullo vivere consilio*, ita ut nullum consilium capere possem. Κύπρις τὰ θνητῶν συντέμνεται βουλεύματα Sophocl. ap. Stob. Grot. pag. 241. – *anno* de longo tempore capiendum, vid. III, 16, 9. *furor* de vehementioribus animi affectibus usurpari solet, hinc et saepius pro ipso amore ponitur, vid. Barth. in Grat. Cyneg. v. 284. Obss. Miscell. Tom. II, pag. 234: h. l. amor erga Cynthiam significatur. – 8. *adversos deos*, quum tamen dii mihi irati sint, amori meo non faveant, quum Cynthia dura sit ac difficilis puella.

Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Saevitiam durae contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat et hirsutas ille videre feras.
Ille etiam Hylaei percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam:
Tantum in amore preces, et benefacta valent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes,

9-16. In alios Amor non adeo saevus ac crudelis fuit. Docetur hoc exemplo Milanionis, amatoris Atalantae, puellae Arcadicae, Iasii filiae. Vid. de ea interpp. ad Aelian. H. V. XIII, 1; Spanhem. ad Callim. hymn. in Dian. vs. 216; Heyne ad Apollod. pag. 119, 676; Palaeph. f. 14; Munker. ad Hygin. f. 99; Barth. ad Stat. Theb. VI, 565. - *durae contudit*, fregit, domuit difficilem, *ferocem contudit* Tibull. III, 6, 13. – *Partheniis in antris*, circum, iuxta antra Parthenii, Arcadiae montis, v. Obss. velut amens errabat, et solitarius suas querelas effundebat. Ovid. Art. Am. II, 190 seqq.: *Saepe suos casus, nec mitia facta puellae Flesse sub arboribus Milaniona ferunt. Saepe tulit iusso fallacia retia collo: Saepe fera torvos cuspide fixit apros. Sensit et Hylaei contemtum saucius arcum.* – *ibat videre*, graecismus, ut videret, id est circumspiceret, observaret, investigaret, venatum ibat. – *Videre* est Graec. [illegible], hoc est investigare, quod ita legitur apud Theocrit. Idyl. XVII, 10; VI, 28; add. Horat. Carm. I, 1, 27; Ovid. Met. I, 523. E re nostra videtur quoque esse locus Livii II, 12: *ut sentias, quam vile corpus sit iis, qui magnam gloriam vident*, id est appetunt. - 13. *Hylaeus* Centaurus, Atalantae procus, qui clava percusserat Milaniona, eumque graviter vulnerarat. Hylaeus ipse ab Atalanta, quum ei vim inferre vellet, confossus est. Vid. Apollod. III, 9, 2; Heyne ad Virg. Georg. II, 457; Aelian. H. V. XIII, 1. - *vulnere* ictu Virg. Aen. V, 433 - *rami*, id est clavae, sic *verbere* pro flagello Virg. Georg. III, 106. - *ergo*, ita tandem. - *velocem*, utpote venatricem, *fugacem* vocat Ovid. Am. III, 2, 29. - *potuit domuisse* Graecorum more, pro domuit, ut I, 12, 15; Ovid. Heroidd. IV, 168; V, 86. Vid. Torrent. ad Horat. Carm. III, 3, 43; Burm. ad Lucan. III, 449. - *tantum-valent* Tibull. III, 4, 75 seq.: *Ergo ne dubita blandas adhibere querelas, Vincuntur molli pectora dura prece.*

17. Iners, non ingeniosus Amor, nec novas vias monstrat, novas cogitat, excogitat artes, quibus votorum meorum compos fieri possim, nec ducit me via nota, qua prius ducere solebat me amantem. Referri enim haud dubie haec verba debent, coll. vs. 36, ad Lycinnam quandam, puellam facilem, quacum coniunctus antea vixerat Propertius, ita tamen, ut ardentius ab ipsa amaretur, quam ipse illam amaret, vid. III, 15, 5 seq. unde

Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductae quibus est fallacia Lunae,
Et labor in magicis sacra piare focis;
En agedum dominae mentem convertite nostrae,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, et sidera et amnes
Posse Cytaeaeis ducere carminibus.
Aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici,

iure suo supra scribere poterat: *Cynthia prima fuit* etc.

19-24. Elegans apostrophe ad sagas et veneficas. Ab Amore desertus, Acheronta movere conatur. Sensus: vos magae et veneficae opem mihi ferte, incantationibus vestris Cynthiae amorem mihi conciliate, atque ita demonstrate, artem vestram non esse fallaciam, dolosam et vanam. - *fallacia*, docte pro arte. - *deductae* pro deducendae, usu poëtis frequentissimo. - *Lunam* et *sidera* cantu movere, ac in terram deducere (Gr. κατάγειν), tralatitia teratologia. Conf. de his, aliisque artibus magicis, quibus illa aetas tantopere delectata est, interpp. ad Tibull. I, 8, 17; Virg. Ecl. VIII, 69; Horat. Epodd. V, 17; Lucan. VI, 420; Martial. IX, 30; Ovid. Fast. III, 321; Iuvenal. VI, 442; Theocrit. id. II, 10. - *sacra piare*, sacra pie solemnique ritu peragere. Nihil amplius. Vid. III, 10, 19. - *labor*, significanter, quum opus difficile sit, et cum periculo coniunctum. - *meo palleat ore magis*, ut me amet, et ardentius quidem amet, quam ego ipsam. Carminibus magicis, herbisve id effici posse, credebat superstitio veterum. De *pallore amantium* (Horat. Carm. III, 10, 14), amantibus proprio, et amoris indicio, poëtae sexcenties, vide el. 5, 21; 9, 77 etc. - *ducere* pro duci II, 17, 8, vel *vobis* redundat; inest autem huic verbo dilogia, nam *saga magico ministerio sidera* ducit *de coelo* Tibull. I, 2, 43, et amnes reducit, ad fontes revocat, *fluminis rapidi carmine vertit iter* Tibull. l. c. - *Cytaeaeis*, Colchicis, carminibus, qualia Medea cecinit, vid. II, 4, 7.

25-34. Amicos patrios, vid. III, 24, 9, et cum iis Tullum ipsum alloquitur. - *lapsum* in amoris retia, quem vicit puella formosa. - *Fortiter* etc. omnia, etiam asperrima sustinebo amoris remedia, nec vos offendant ac deterreant querelae, quin et ipsa convicia mea. Imago desumta a medicis et chirurgis, qui ferro et igne saepe utuntur (Seneca Agam. 152: *Et ferrum et ignis saepe medicinae loco est*) nec offenduntur aegroti, servientis dolori suo, conviciis. - 29. Abducite me quolibet, usque ad extremas gentes, sequar. - *qua non ulla* etc. ubi neque Cynthia, neque ulla femina alia me sollicitare possit; Tibull. IV, 13, 10: *Qua nulla humano sit via trita pede*. - 31. *Vos*, amici patrii, quibus *annuit* nempe ore. - *deus* est Amor, cuius saepius hoc in carmine mentio fit, qui et multis aliis poëtarum in locis simpliciter *deus* vocatur, ut II, 34, 60 al. - *facili aure* ablativi absoluti, facili aure praebita. Vos,

Quaerite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes:
Sit modo libertas, quae velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, et ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili deus annuit aure,
Sitis et in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore desit Amor.
Hoc, moneo, vitate malum, sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quodsi quis monitis tardas adverterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea!

quorum preces deus lubenter et ita audit, ut eas ratas esse iubeat, iis annuat. - 32. *tuto amore*, perpetuo, qui careat rivalitatis et divortii periculo. - *pares*, mutuo vos amore amplectamini. Horat. Epod. XV, 14. - 33. Mihi haec non contingit felicitas. - *nostra Venus* deam amantium intelligunt, rectius vero de Cynthia haec verba explicantur. Conf. III, 17, 3. Quid per *noctes amaras* intelligendum sit, docet eleg. II, 17, 3: *quoties desertus amaras Explevi noctes*. Catull. LXVIII, 4 sq.: *Quem neque sancta Venus molli requiescere somno Desertum in lecto coelibe perpetitur*. Tibull. I, 2, 77: *sine amore secundo - quum fletu nox vigilanda venit*. add. Prop. I, 16, 22. - *vacuus tempore Amor*, hypallage, pro tempore vacuo, nempe a cruciatibus Veneris, ut II, 23, 22: *furta pudica tori* pro pudici tori. Sensus: Cynthia et Amor me perpetuo, omni tempore exercent. Tibull. II, 4, 11: *Nunc et amara dies et noctis amarior umbra*. Ovid. Heroidd. XII, 169: *Non mihi grata dies, noctes vigilantur amarae*.

35-38. *Hoc malum* quod mihi magno cum meo dolore subeundum est. Significat divortium, fugam per gentes extremas, conf. eleg. 17. - *moretur cura*, detineat amor; *cura* docte de puella, quae *curam* i. e. amorem pectori iniicit. V. Horat. Carm. II, 8, 8; Virgil. Georg. IV, 354; et not. ad II, 34, 9. *neque - locum*, neque ab amore assueto recedat. Vid. II, 22, 37; Ovid. Rem. Am. 13 sq. - 38. Quam illum suae inobedientiae poenitebit! et tunc recitabit verba mea, dicens: credere debuissem Propertio recte ac fideliter monenti. VULP.

## ELEGIA II

### AD CYNTHIAM

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo?
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaeque decus mercato perdere cultu,

ELEGIA II

Dehortatur poëta Cynthiam a nimio formae cultu, aliisque placendi studio, et nativam pulchritudinem omni adscititio ornatui longe maximeque praeferendam esse, copiosius demonstrat. Egregium carmen, exemplorum e natura et mythologia petitorum dilectu, et orationis elegantia inprimis conspicuum.

1. 2. Quid prodest, refert, *procedere* pro simpl. esse. Sed verbo *procedere* gressus delicatus et arte compositus exprimitur. Vid. Doering. ad Catull. XLII, 8. – *ornato capillo*, ornatus capillus non modo opponitur *capillis incomtis* eleg. 15, 11, et de comtis, pexis ac dispositis capillis, ut Virgil. Aen. VII, 74; Ovid. Fast. IV, 309, sed etiam gemmis distinctis intelligi debet, coll. v. 21. – *vita* vox blandientis, ζωὴ καὶ ψυχὴ, vid. Heinsium ad Ovid. Amor. III, 8, 11. – *Coa* subint. *ex*, ut Virg. Aen. I, 167; V, 663: τινύχια χαλκῷ Hom. Il. Z, 504. – *Vestes Coae*, e subtilissima bombycum, quos Cos, Aegaei maris insula, alebat, lanugine conficiebantur, erant ergo pellucidae, et corpus nudabant potius quam tegebant, unde *tenues*. Inventrix earum perhibetur fuisse Coa Pamphile, Platis filia. Vid. Plin. H. N. XI, 22. Aristot. Hist. Nat. V, 19: πρώτη λέγεται ὑφᾶναι ἐν Κῷ Παμφίλη Πλάτω θυγάτηρ. Conf. Heyne ad Tibull. II, 3, 54. Sed *tenues Coa veste sinus* exquisite dictum pro vestes sinuosas tenues. Vid. Burm. ad Petron. c. 122. – *movere* eleganter pingit sinuum in ambulando vibrationem.

3-8. *myrrha Orontea*, id est Syria, a fluvio Syriae Oronte. Myrrha est gutta scil. resina arbusculae arabicae, vocatur *Orontea* scil. Syria, quoniam omnino Orientis merces a mercatoribus romanis e Syria advehebantur. Vid. Mitscherlich. ad Horat. II, 7, 8. – *teque-muneribus* adscititio cultu aliis placere studere, eorum amorem venari, *amantes conquirere* vs. 23. Aliis *muneribus* dativus est, et Barthius explicat: *vendit se p. m.* quae adscititio ornatu pulchritudinem naturalem obruit et perdit, ita ut oculi spectatorum non in puellam ipsam, sed vestes et gemmas trahantur. Durius. – *naturae decus*, formam naturalem excellentem, idem quod *propria bona*, non adventicia. Sensus: Tu formosa sat es. Vid. II, 18, 30; Tibull. I, 8, 15: *Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore, Nec nitidum tarda comserit arte caput.* Ea forma polles, ut quidquid

Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae.
Nudus Amor formam non amat artificem.
Adspice quos submittat humus formosa colores,
Vt veniant hederae sponte sua melius:
Surgat et in solis formosior arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias:
Litora nativos per se dent picta lapillos,
Et volucres nulla dulcius arte canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Hilaira soror.

ad illam expoliendam conferas, eam potius deteriorem reddat. - *mercato* passive dixit, ut Avian. fab. 2, 9: *Et male mercatis dum quaerit sidera pennis*; add. Prop. IV, 5, 32. - *figura*, forma, facies pulchra, ut III, 20, 1. - *formam artificem* dicit formam multo artis molimine conciliatam et adornatam, pulchritudinem arte quaesitam. Vid. Obss.

9-14. Iam quo prius revocet Cynthiam a nimio formae cultu, praeclare argumenta ex ipsa natura petita profert. -*quos*, quam eximios. Vid. Obs. -*colores* docte pro versicolores flores Virg. Georg. IV, 306, ubi vid. Heyne. Tibull. I, 4, 29. -*submittat*, surgere faciat, emittat, gignat, verbum hac in re proprium, ut Lucret. I, 7. Vid. Burm. ad Valer. Fl. III, 528, et ad Petron. cap. 127. -*in antris*, iuxta antra, ut I, 1, 11. -*solis*, desertis, vid. Drakenb. ad Sil. III, 429, sibi et naturae relictis. -*sciat currere*, graecismus, pro currat. -*indociles*, non doctas, vid. Lennep. Animadv. ad Coluth. II, 1, pag. 75 seq. -*picta* ob calculos multicolores. -*per se nativos*, natura ipsa pictoris personam agente.

15-24. Sequuntur argumenta e mythologia desumta, nominatimque inducuntur foeminae, quae nullius artis ope amatoribus suis placuerunt. -*Non sic*, non formae cultu nimio, arte et ornatu adventicio. - *Phoebe* et *Hilaira* sorores, filiae Leucippi (unde Prop. Phoeben Leucippida dixit) forma praestantes, Lynceo et Idae desponsatae, quas Castor et Pollux rapuere. A poëtis vario modo haec fabula tractata et exornata est. Vide Ovid. Fast. V, 699 seqq.; Theocrit. Id. XXII, 137; Hygin. fab. 80; Apollodor. III, 11, 2, et Heyne pag. 730. - *Non* sic *Eveni filia*, Marpesa, fuit *discordia*, causa discordiae inter *Phoebum* et *Idam*. Idas, Apharaei scil. Neptuni filius, Marpesam, formosissimam foeminam, rapuerat, raptorem persecutus est pater usque ad fluvium Lycormam, et quum eum assequi non posset, ira inflammatus se in fluvium praecipitavit, qui inde Evenus dictus est, unde h. l. *patriis litoribus*. Tunc Phoebus, *cupidus*, amore puellae incensus, Tibull. I, 8, 74, Idae occurrit, ortaque inter eos contentione, Mercurius a Iove missus, eam ita diremit, ut Marpesae optio daretur, utrum vellet eligendi, et illa Idam

Non Idae, et cupido quondam discordia Phoebo
Eveni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes.
Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis,
Vni si qua placet, culta puella sat est.
Quum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram:
Vnica nec desit iucundis gratia verbis,

elegit. Vid. Homer. Il. I, 553; Hygin. f. 242; Ovid. Fast. V, 701; Met. VIII, 305; Apollodor. I, 8; *Phrygium maritum* nempe futurum, adhuc sponsum et amatorem; v. de hoc voc. usu Serv. ad Virg. Aen. IV, 536; intelligitur Pelops. - 20. *externis*, Phrygio curru. - *Hippodamia* Oenomai regis Elidis et Pisarum filia formosissima, quae quum a multis procis peteretur, pater omnes ad certamen currule provocavit, ita quidem, ut filiam curru celerrime vehendam Myrtilo aurigae committeret, hac lege, ut, si procus anteverteret currum, vel saltem attingeret, optatis Hymenaeis potiretur; sin minus, interficeretur. Multis ita interfectis, tandem Pelops Neptuni praesidio et Myrtili perfidia usus, vicit, Oenomaum interfecit, et Hippodamiam abduxit. Apollod. II, 4, 2; Pind. Olymp. 1; schol. Apollon. I, 753. - *nullis obnoxia gemmis*, faciei venustas nihil debebat cultui ex gemmis quaesito. - *Apelles* patria Cous, artis pingendi laude clarissimus, qui in picturis suis naturae decus, posthabitis adscititiis ornamentis, tantum exprimebat. Vid. Strabo lib. XIV, pag. 657, edit. Casaub. - *illis*, heroinis. - *vulgo*, undique. Virgil. Eclog. IV, 25.

25-32. Ne nimis irritaret poëta Cynthiam, quum tantopere laudasset heroinas illas, addit: tu mihi non minus places, aeque formosa es ac illae, quas nativa pulchritudo commendabat, places ob corporis venustatem animique egregias dotes. Auctor Inc. epigr. 743, Anal. Brunck. tom. III, pag. 313: Μορφᾶς ἃ πρωτεῖον ἔχειν δωρήσατο Κύπρις, Ἔργα δ᾽ Ἀθηναία τερπνὰ σαοφροσύνας, Μοῦσα δὲ καὶ σοφίαν, καὶ πακτίδα τὰν φιλέραςον Σύμφωνον ἱμερτοῖς μιξαμένα μέλεσι. - *Quum-lyram* arte carmina pangendi, eaque ad lyram canendi excellis, coll. II, 3, 20. Passim poëtis Apollo et Musae *carmina dictant*, *lyram donant*. Vide Burm. Anthol. Lat. tom. II, pag. 112; Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 1, 38. - *Aonius* proprie dicitur Boeotius, ab antiquis incolis Aonibus, vid. Pausan. Boeot. pag. 226; Strabo X, pag.

Omnia quaeque Venus, quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

## ELEGIA III

### AD CYNTHIAM

Qualis Thesea iacuit cedente carina
Languida desertis Gnosia litoribus:
Qualis et accubuit primo Cepheia somno
Libera iam duris cautibus Andromede;
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis

615; deinde Aonium vocatur, quod ad Musas pertinet, iisque dicatum est. Helicon enim mons Boeotiae, in cuius luco fons Aganippe Musis sacratus. - *Calliope* scil. *Calliopea*, Musarum regina, cum dilectu nominatur. Hesiod. Theog. 79: Καλλιόπη θ', ἡ γὰρ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων. - *unica*, praestantissima. Vid. Heins. ad Ovid. Met. III, 454. - *gratia*, dicendi lepos. Ovid. Met. XIII, 126: *neque abest facundis gratia dictis.* - *omnia*, nempe nec desint; venustas et sapientia. - *nostrae vitae*, mihi. - 32. Dummodo fugias luxum seculi, nimiumque formae cultum.

ELEGIA III

Poëta e comissatione reversus, vino madidus, adit Cynthiam, eamque dormientem deprehendit, neque tamen excitare audet. Illa vero tandem lunae radiis excitata, de perfidia et negligentia Propertii conqueritur. Est profecto haec elegia propter orationis dilectum et ornatum, picturarum colorumque praestantiam, et dramaticam quasi repraesentationem suavissimis annumeranda.

1-12. Cynthia sola, deserta, suaviter ac firmissime dormiebat. Hanc sententiam poëta v. 1-8 egregie exornavit. Comparatur Cynthia cum Ariadna, hoc est *Gnosia* (Gnosus enim erat regia Minois, regis Cretae) a Theseo (qui *parvo spatio Minoida dilexerat* II, 24, 43) in Naxi litore (in *quo somnus eam male prodiderat* Ovid. Ep. X, 5) derelicta. Fabula ipsa satis nota, vid. Ovid. loco citato; Catull. Carm. LXIV. - *carina*, Thesei nave scil. classe e Creta redeuntis. - *languida iacuit*, viribus exhausta dormivit, in *desertis litoribus*. - 3. Laetior imago sequitur. Andromede Cephei Aethiopum regis filia, unde *Cepheia*, ob superbiam matris Cassiopes, quae Nymphis sese praetulerat, scopulo alligata et monstro marino exposita, a Perseo liberata est, qui monstro trucidato eam in matrimonium duxit. Vid. Ovid. Met. IV, 662; Hygin. fab. 64; Heyne ad Apol-

Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia, non certis nixa caput manibus.
Ebria quum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego nondum etiam sensus deperditus omnes
Molliter impresso conor adire toro:
Et quamvis duplici correptum ardore iuberent

lod. p. 305. – *primo somno* prima nocte, qua cum Perseo concubuit. – 5. Ariadne dormiens ad Bacchicas fabulas pertinet. Vide Pausan. I, 20; Analect. tom. III, pag. 215, CCCIV, V. Itaque poëtae, qui vs. 1 mentionem fecisset Ariadnae in insula Naxo (quae Baccho sacra, et peculiare eius domicilium erat; Vid. Barth. ad Stat. Theb. VII, 686; Virg. Aen. III, 125, ibique Heyne) derelictae, sponte obversabatur imago Bacchae, quae, tripudiis et saltationibus diu continuatis, defatigata tandem *concidit*, et somno statim opprimitur. – *Edonis*, Baccha, Bacchi sacerdos, Maenas, ita dicta ab Edono Thraciae monte, Plin. H. N. IV, 11, ubi Bacchi orgia inprimis celebrabantur, vid. de hac voce Bentleius ad Horat. Carm. III, 25, 9; Servius ad Virg. Aen. XII, 365. *in herboso Apidano*, iuxta ripam herbosam Apidani fluvii. – 8. *non certis*, labantibus, vacillantibus, graphice. – *ebria vestigia traherem*, nutantes et ebrietate vacillantes pedes difficulter moverem. Vid. Ruhnken. ad Rutil. Lup. lib. II, pag. 111. – *gradu ebrio* dixit Seneca Med. 69. – *pueri* intelliguntur servi, qui post comissationem *sera nocte*, media nocte, poëtae ad Cynthiam eunti praelucebant. Iam vulgarius erat: quum mihi praeeuntes praelucerent, sed longe ornatius dixit: *quum quaterent faces*, ut nimirum eo clarius lucerent. – *impresso* pro simpl. presso. – *adire*, ad eam accedere, illi appropinquare. Nihil amplius.

13–18. *duplici ardore*, amoris et vini. – *Ardor* et *ardere* omnino de vehementioribus cupiditatibus quibusvis dicitur. V. Cortius ad Sallust. Cat. V, 4; Ovid. Met. XII, 220 seq. – *hac* parte. – *durus deus*, imperiosus; βαρὺς θεὸς Amor dicitur a Theocrit. Id. III, 14, et ab Achill. Tat. II, 3, Ἔρως καὶ Διόνυσος dicitur, δύο βίαιοι θεοί. Verba sunt: Ἔρως δὲ καὶ Διόνυσος, δύο βίαιοι θεοὶ, ψυχὴν κατασχόντες, ἐκμαίνουσιν εἰς ἀναισχυντίαν· ὁ μὲν καίων αὐτὴν τῷ συνήθει πυρὶ, ὁ δὲ τὸν οἶνον ὑπέκκαυμα φέρων. οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή. Ovid. Art. Am. I, 244: *Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.* – 15. *leviter tentare*, tangere, attrectare, tactu explorare an dormiret Cynthia. – *admota ad ora manu*, manu Cynthiae ori ad demulcendum mentum admota. Homer. Il. A, 501: δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα. – *oscula sumere*, mollius, quam capere aut rapere, ut Ovid. Heroid. XIII, 137. – *verbera*, obiurgationes severas. Horat. Carm. III, 12, 3: *patruae verbera linguae*, ubi v. Mitscherlich. – *saevitiae*, irae, puellae iratae, sic *saevire* Tibull. I, 2, 58.

Hac Amor, hac Liber, durus uterque deus,
Subiecto leviter positam tentare lacerto,
  Osculaque admota sumere ad ora manu:
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
  Expertae metuens verbera saevitiae:
Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
  Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
  Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus:
Et modo gaudebam lapsos formare capillos:
  Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.
Omniaque ingrato largibar munera somno,
  Munera de prono saepe voluta sinu.

19-24. *intentis-haerebam fixus* ad rem augendam cumulata. Vid. Virgil. Aen. I, 495; VII, 251, acerrime eam contemplabar. - *Intendere* verbum de venatoribus et sagittariis proprium, vid. Donat. ad Terent. Andr. IV, 3, 18; Heins. ad Valer. Fl. VII, 114. - *Inachis*, Io, Inachi filia, ob Iunonis invidiam in vaccam mutata, et *Argo*, *qui centum luminibus caput cinctum habebat*, Ovid. Met. I, 625 seq. custodienda tradita. Vid. Eustath. ad Hom. Il. B, pag. 138; schol. ad Eurip. Phoenn. vs. 1123, ibique Valcken. Burm. ad Ovid. l. c.; Heyne ad Apollod. pag. 249 seqq.; Prop. II, 28, 17. - *ignota cornua Inach.* est ipsa Inachis. - *ignota*, ignorabat enim Argus puellam in vacca latere. Vsus vero hoc epitheto videtur Propertius, ut exprimeret quoque notionem hanc: ita intentis oculis haerebam, ac si Cynthiam nunquam antea vidissem; Paul. Silentiar. Anthol. Gr. lib. VII, ep. 47, pag. 594, Obsop. Ἰσχόμενοι δ᾽ ἄγχιστα, τεθήπαμεν ὄμμα γεραιῆς Οἷα πολυγλήνοιο βουκόλου Ἰναχίης. - 21. *corollas*, nam e convivio vino madidus huc pedem tulerat. Conf. vs. 9. Veteres autem in compotationibus et comessationibus capita coronis, maxime roseis cinxisse, tralatitium. Vide Fisch. ad Anacr. IV, 14. - *ponebam*, imponebam capiti tuo. - *lapsos*, per somnum turbatos. - *formare*, verbum hoc in genere proprium, vid. Burm. ad Petron. cap. 110. - *gaudebam formare* pro simpl. formabam, vid. Markland. ad Stat. Silv. pag. 46. - *poma* ab amatoribus oblata, grata inprimis erant puellis. Vid. Burm. ad Lotich. V, 9, 11; Anthol. Lat. tom. II, pag. 545; Theocrit. Idyll. II, 120, ubi schol. illud Philetae servavit: Μᾶλα φέρων κόλποισι. τά οἱ ποτὶ Κύπρις ἑλοῖσα Δῶρα Διωνύσου δῶκεν ἀπὸ κροτάφων. Vid. Casaub. Lectt. Theocr. c. 3; Victor. Lect. lib. XXXVII, cap. 13. - *furtiva poma*, furtim, clam imponebam, dabam manibus, nempe Cynthiae.

25-34. *ingrato somno*, ornate, pro vulgari: Cynthiae somno oppressae, munera mea non sentienti, nec gratiam relaturae. - *munera-sinu*, graphice. Similiter Catull. LXV, 23: *Atque illud* (malum) *prono praeceps*

Et quoties raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio:
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam.
Donec diversas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait in molli fixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens iniuria lecto,
Alterius clausis expulit e foribus.
Iamque ubi longa meae consumsti tempora noctis
Languidus exactis, heu mihi, sideribus?
O utinam tales producas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere iubes.
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheae carmine fessa lyrae:

*agitur decursu.* - 27. *duxti suspiria.* Callim. epigr. XLV, *ἀνάγεσθαι πνεῦμα διὰ στηθίων.* Spiritus ab imo pectore ducitur, et cum nisu quodam emittitur. - *raro motu*, cum motu, agitatione corporis coniuncta. - *raro* explicant infrequente, non continuo; immo potius, insolito. - *vano auspicio*, temere credens animi mei praesagio, quod vs. 29 et 30 affertur. -*portarent*, verbum de somniis graviora mala portendentibus solemne. Vide Burm. ad Petron. cap. 124. - *neve suam*, recte Passerat. vi, minis, artibus magicis ad amorem cogeret, traheret. - 31. *diversas fenestras*, lectulo Cynthiae ex adverso oppositas. Conf. de hac vi vocis *diversus*, id est oppositus, contrarius, Drakenb. ad Sil. VIII, 351; Broukhus. ad Tibull. IV, 1, 45; Gronov. ad Senec. de Ira II, 23. - *moraturis*, quae morari et resistere debebant. Vid. Burm. ad Petron. cap. 119, pag. 559, quo diutius iucundo Cynthiae dormientis adspectu frui potuissem. - *sedula*, male sedula, nimis officiosa. - *compositos ocellos*, sopore clausos. De Cynthia Propertium excitante II, 15, 7: *Illa meos somno lapsos patefecit ocellos. Sic.* Vid. Obss. -*fixa*, est, quae certo nititur; experrecta nempe; antea v. 8, nixa erat non certis manibus quoad caput, utpote dormiens. - *in molli toro.* Homer. Il. I, 614, *εὐνῇ ἐνὶ μαλακῇ.*

35-42. *iniuria*, *εἰρωνικῶς*, iniuria ab altera amica tibi illata, quae te exclusit. - *meae noctis*, mihi promissae ac debitae. - *languidus*, mihi languidus es, redis, ab externo amore exhaustus. - *exactis sideribus*, nocte peracta, metonym. adiuncti pro subiecto. - *producas*, consumas. Vide Heyne ad Tibull. I, 4, 5. Somnum *fallere* (vid. de usu huius verbi Cor-

Interdum mecum graviter deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras;
Dum me iucundis lapsam sopor impulit alis,
Illa fuit lacrymis ultima cura meis.

## ELEGIA IV

### AD BASSVM

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitae quodcunque sequetur,

tius ad Plin. Ep. V, 6, pag. 341) opprimere vario modo tentabam. - *stamine*, stamina purpurea, lanae purpureae fila, nendo, deducendo. - *Orpheae* ornantis. - *fessa* nempe stamine ducendo.

43-46. Interdum, tela lyraque sepositis, quae animum aegrum recreare non poterant, querebar moras tuas saepe longas in amore externo. Hemsterhus. - *graviter* apprime convenit Cynthiae in iram pronae, vid. III, 8, 1; IV, 8, 51. - *moras saepe longas* cohaerent; urebat Cynthiam, quod, se neglecta, Propertius aliis puellis vacaret, idque saepius. – 45. Homer. Odys. Υ, 57: *ὕπνος λύων μελεδήματα θυμοῦ·* hinc *iucundae* alae, et Callim. hymn. in Del. v. 234: *ἐπερείδειν πτερὸν Ληθαῖον Ὕπνος* dicitur, id est urgere, alis applicitis, impressis, ut fit in arctiore amplexu. Somnus enim alatus fingitur, vid. Heyne ad Tibull. II, 1, 89, et alis suis obumbrare atque amplecti eos, quos opprimit; Sil. Ital. X, 345, 355; Stat. Theb. V, 198; X, 148; Achill. I, 620. – *dum* pro donec. - *impulit lapsam*, id est impulit, ut laberer. - *cura*, medicina, curatio; *cura* voc. medicis proprium. Barth. ad Grat. Cyneg. vs. 366; Keuchen. ad Seren. Sammon. cap. 33. - *ultima* pro ultimum, tandem; frequenter enim poëtae, ut iam Barthius monuit, epitheta sic commutare solent, ut ea cum nomine iungant, ad quod proprie non referantur.

#### Elegia IV

Bassum, nobilem Iamborum scriptorem, vid. Casaub. ad Persii Sat. VI, pag. 477, cuius et Ovidius meminit Trist. IV, 10, 47, obiurgat, quod se a Cynthiae amore avocare conetur; frustraneum hunc conatum esse declarat, laudat excellentes Cynthiae corporis animique dotes, illiusque iram Basso minatur.

1-10. *mutatum*, amore alio translato. - *cogis*, cogere vis. - *ducere vitae quodc. sequetur*, sic *ducere vitam* Virgil. Aen. II, 641; IV, 340. - *assueto servitio*. Tib. IV, 13, 22: *Nec fugiam notae servitium dominae*. - 5. *Antiope* Nyctei filia, unde Nycteis,

Hoc magis assueto ducere servitio?
Tu licet Antiopae formam Nycteidos, et tu
Spartanam referas laudibus Hermionen,
Et quascunque tulit formosi temporis aetas,
Cynthia non illas nomen habere sinet.
Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
Inferior duro iudice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt maiora, quibus, Basse, perire iuvat.
Ingenuus color, et multis decus artibus, et quae
Gaudia sub tacita ducere veste libet.

quam Iupiter a Lyco repudiatam amavit. Vid. ad III, 15, 12 seqq. - *forma*, pulchritudo, Virg. Aen. I, 27, ut μορφὴ pro κάλλος Pind. Olymp. IX, 98; Nem. III, 33. - *Hermione* Menelai et Helenae filia. Vid. interpp. ad Virgil. Aen. III, 328; Ovid. Heroid. ep. VIII; Apollod. III, 10, 1. - *Spartanam*, cum dilectu, inter pulcherrimas pulcherrimam. Sparta enim venustate ac pulchritudine foeminarum florebat, unde Σπάρτην καλλιγύναικα Homerus vocat Odyss. N, 412. Vide et Casaub. ad Athen. XIII, 2. - *referas laudibus*, laudando commemores, laudes. - 7. *formosi temporis aetas*, tempus heroicum, quod plures formosissimas foeminas tulit. - *nomen habere*, celebrari, sibi praeferri. - *nomen*, laudem, gloriam, ὄνομα· Ovid. Heroidd. XVI, 141. *Inter formosas altera nomen habet.* - 9. Multo minus Cynthia comparata cum *levibus* vulgaribus et *quotidianis formis* (ut loquitur Terent. Eun. II, 2, 6) cum levioribus formis, quam illae erant heroico tempore, in certamine pulchritudinis, *turpis*, victa, pudore suffusa decedet. - *Nedum* pro tantum abest ut, vid. Manut. ad Cic. Ep. ad Div. VII, 28. - *figuras* pro puellis dici, pluribus docuit Burm. ad Quinctil. Decl. XV, 2, pag. 307. - *duro*, maxime difficili pulchritudinis aestimatore.

11-14. Sed haec Cynthiae forma excellens, qua puellis omnibus, etiam prisci aevi pulcherrimis, antecellit, est amoris mei ardentis levissima causa; eam inprimis propter excellentes ingenii animique dotes perdite amo. Artes, quibus Cynthia decus sibi et gratiam conciliaverat, erant musice, poëtice, ars saltandi atque texendi, sermonis suavitas et blanditia. Vid. Eleg. 2, 29 seqq.; II, 3, 9 seqq. Similes descriptiones foeminarum praestantissimarum occurrunt apud Homer. Il. I, 389 seqq. N, 432 sqq., Odyss. Σ, 247 sqq. - *extrema*, ultima, minima, quae minus me tangit. - *perire*, pro amore contabescere, perdite amare II, 15, 13. Vid. Burm. ad Quinctil. Decl. XV, 8. - *Ingenuus color* est nativus, non adscititius, non fucatus; Terent. Eun. II, 3, 25, de puella, *color verus, corpus solidum et succi plenum.* Vid. Obss. - *decus* e multis artibus, quae ei decori erant. - *sub veste*, stragula, qua inster-

Quo magis et nostros contendis solvere amores,
  Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non impune feres; sciet hoc insana puella,
  Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post haec committet Cynthia, nec te
  Quaeret: erit tanti criminis illa memor.
Et te circum omnes alias irata puellas
  Differet; heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
  Et quicunque sacer, qualis ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
  Quam sibi quum rapto cessat amore deus,

nitur et operitur lectus. Vid. Catull. LXIV, 163; Ovid. Amor. I, 4, 47; interp. ad Petron. cap. 11. - *tacita*, fida ac taciturna deliciarum mearum teste; *tacitus* etiam aliis in locis eleganter ad res inanimatas transfertur, ut *tacitum cubile* Catull. VI, 7. - *ducere*, in longum trahere, producere.

15-20. Quo magis contendis inter me Cynthiamque discordiam movere, hoc magis uterque nostrum te fallet, constantes manebimus data acceptaque fide. - *solvere;* eleganter, amor enim saepe cum vinculo comparari solet. Vid. Tibull. I, 1, 35, ibique Broukh. ad v. 60. - *accepta*, vicissim data et accepta, foedere amatorio per mutua iuramenta et pollicitationes utrimque renovato, ut recte Vulp. explicat. - 17. *sciet*, cognoscet. - *insana puella*, furens, amore perdita, adeoque vehementius tibi irata. Conf. interpp. ad Pers. Sat. III, 46. - *non tacitis vocibus*, non clam, et submisse, et intra privatos parietes, coll. vs. 21, sed alta voce et palam se tibi inimicam profitebitur. Moribus Cynthiae convenienter dictum, vid. 3, 8. Argum. I, 3, 43. - 19. *nec me tibi committet*, non permittet, ut tua in posterum consuetudine fruar. Burm. minus recte explicat, me tibi comparabit, conferet, ut duo paria *committi* dicuntur, seu componi, in Circensibus, vel re bellica; ut et poëtae atque oratores in certaminibus ingenii et eloquentiae. Vid. Torrent. ad Suet. Aug. cap. 89. - *nec te quaeret*, non de te quemquam interrogabit, nil sibi tecum esse volet, te nomenque tuum oblivioni tradet.

21-28. *differet*, diffamabit, ut II, 23, 17. - *nullo limine carus*, nulla domo excipieris, ianua cuiusvis puellae tibi claudetur. - *nullas-aras* negliget, praeteribit (Homer. Il. Θ, 239, παρελθέμεν βωμόν) *omnibus aris illacrimabit*, ut loquitur Stat. Silv. V, 1, 163, de iniuria sibi illata conqueretur, et ad illas te multis cum lacrymis devovebit. - 24. Etiam Terminis, Hermis, lapidibusque sacris in trivio desertis miserias suas narrabit. - *tentatur*, irritatur, perturbatur, ad iram provocatur. - *rapto amore*, amatore erepto. - *Deus*, Venus, ὁ θεός, Vid. Fischer Animadv. ad Weller. Vol. I,

Praecipue nostri; maneat sic semper, adoro:
  Nec quidquam ex illa quod querar, inveniam.

## ELEGIA V

### AD AEMVLVM SVVM GALLVM

Invide, tu tandem voces compesce molestas,
  Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?

pag. 368; Virg. Aen. II, 632; VII, 497; Verheyk. ad Antonin. Lib. cap. 29, pag. 191, vel Cupido; vid. ad I, 1, 30. Verbum *cessare* proprie de eo poni, cuius possessio atque usura alio transferatur, uti fit in agris et reditibus, Broukh. et Vulp. ad h. l. monuerunt. - *nostri* scil. amore. - *adoro* pro oro, vid. interpp. ad Ovid. Heroid. X, 141; Liv. VI, 13.

ELEGIA V

Gallus (vid. Vit. Prop. Chronol. ad A. V. 714), homo vanus, coll. vs. 20-25, rogaverat, ut videtur, Propertium, vellet ipsi aditum ad Cynthiam, quae liberioris vitae appetentior, spreto matrimonio, modo hunc, modo illum amaret, parare; et *priscis imaginibus* ac *nobilitate* sua fisus, vs. 23, faciles praeterea hactenus vulgares puellas expertus, coll. Eleg. 13, ostenderat poëtae, se sine negotio Cynthiae animum flectere velle. Sed Propertius, qui nollet communes cum Gallo amores habere, eum graviter, perquam tamen urbane, a Cynthiae amore dehortatur.

1-6. *sine nos*, me et Cynthiam, *cursu* subint. *in*, *ire pares*, concordes in iugo currere, noli nostrum amorem turbare; metaphora ab equis pariter in iugo currentibus desumta. Quae quidem comparatio amoris mutui cum iugo poëtis graecis et latinis admodum usitata est. Theocrit. Id. XII, 15: ἀλλήλους ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ· add. XXVII, 7, ibique Warton. Catull. LXVIII, 118, et utrique amantes dicuntur *compares*, σύζυγες, Plaut. Pseud. I, 1, 65. - *sentire* exquisite, pro experiri, inest enim huic verbo notio detrimenti, cladis acceptae, Horat. Carm. IV, 4, 25; Ovid. Met. XV, 823. - *ultima*, gravissima, sic *ultima vitia* Iuvenal. Sat. II, 34; Quinctil. Inst. Or. II, 2: *ultimus ardor* Ovid. Met. IX, 560. - 5. Eadem sententia docte variata et exornata. - *vestigia ferre ignotos* latentes *per ignes*. Aristoph. Lysistr. 133: διὰ τοῦ πυρὸς βαδίζειν· Horat. Carm. II, 1, 7: *incedis per ignes suppositos cineri doloso*; ubi vid. Mitscherlich. Sensus: rem arduam moliris, summa pericula adire cupis. - *vestigia ferre* pro incedere, tritum est, et aeque notum amantes, quorum animus totus est in amore, apud poëtas *infelices*, *miseros* nominari. Theocrit. Id. XIII, 66: σχέτλιοι οἱ φιλέοντες. - 6. Nova imago priori

Infelix! properas ultima nosse mala.
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis conlata puellis:
Molliter irasci non sciet illa tibi.
Quodsi forte tuis non est contraria votis,
At tibi curarum millia quanta dabit?
Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos.
Illa feros animis adligat una viros.
Ah mea contemtus quoties ad limina curres,
Quum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus moestis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam,

tamen apprime conveniens. Praeter ignem commemoratur quoque venenum, ut apud Virgil. Aen. I, 687 seq. *Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet, Occultum inspires ignem, fallasque veneno.* - *Thessalia* ferax herbarum venenatarum. Conf. Tibull. II, 4, 55 sqq.

7–12. Carpit Gallum, qui Veneris vulgivagae cultor erat; conf. I, 13, 11 sq. - *vagis puellis*, γυνὴ περίδρομος Theognis v. 581, scortis vagantibus: eiusmodi puellas *viles* nominat infra II, 24, 10, et copiosius describit II, 23, 13 sqq. - *similis conlata*, conferenda tanquam similis. - 8. Est iracunda et impotentis animi foemina, coll. El. 4, 17 sqq. - *si-votis*, si te audit, admittit, si *votis* tuis non *obstat*, ut loquitur Ovid. Heroid. XXI, 40; Pont. IV, 6, 7. - *millia quanta* pro quot millia, ut Plaut. Bacchid. IV, 9, 111, *sexcenta tanta*; ubi vide Taubm. et Burm. ad Val. Fl. V, 274. Sensus: maiores aerumnae ex secundo amore tibi paratae erunt, quam si Cynthia utaris aspera. - 11. Recte Passerat. nocturnam tibi quietem adimet, oculosque ipsos vigiliis et lacrymis tibi corrumpet. Conf. II, 25, 40, 47 seq. - *feros animis*, feroces, magna loquentes, iugi impatientes illico *domat* (I, 9, 6), iis *iugum imponit* Ovid. Heroid. IX, 6.

13-18. Suavissima pictura! Gallus, qui sibi Cynthiae amorem efflagitaverat, exclusus, ad Propertium venit, conatur homo vanus fortia verba proferre, sed singultus vocem interrumpentes, lacrymae, quas reprimere non potest, horror et vultus pallidus, sunt certissima infortunii ipsius signa; tandem dolor eum ita perturbat, ut ne querelas quidem, nedum verba proferre possit. - *contemtus*, reiectus, exclusus, vs. 20. - *fortia verba*, magna, superba, ut apud Tibull. I, 6, 12. *alta verba* vocat Ovid. Heroid. IV, 150. Gloriari vis de amore secundo, sed verba tua fortia singultu interrumpentur. *Singultantia verba* dixit Calpurn. VI, 24. Conf. Heins. ad Sil. Ital. II, 362. - *tremulus horror* ex frigore, quum exclusus fuerit. - *moe-*

Et quaecunque voles fugient tibi verba querenti,
  Nec poteris, qui sis, aut ubi, nosse miser.
Tum grave servitium nostrae cogere puellae
  Discere, et exclusum quid sit abire domum.
Nec iam pallorem toties mirabere nostrum:
  Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
  Nescit amor priscis cedere imaginibus.
Quodsi parva tuae dederis vestigia culpae,
  Quam cito de tanto nomine rumor eris?
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
  Quum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore,
  Alter in alterius mutua flere sinu.

*stis fletibus*, inter moestos fletus. *Moestus*. Virg. Georg. IV, 515. - *et moestis late loca questibus implet*. Aen. XI, 38: *moestoque immugit regia luctu*. Tibull. I, 1, 62: *tristibus et lacrymis oscula mixta dabis*. Catull. XXXVIII, 8: *moestius lacrymis Simonideis*. Vid. Obs. - 16. *timor* ne res nota fiat, coll. v. 26, vel timor irae, scil. perfidiae puellae. Eleganter autem poëta inducit timorem, tanquam pictorem os luridis maculis et pallore pingentem. - *Ducere* enim et *inducere* verba de pictoribus propria. Vid. Horat. A. P. 2; Tib. I, 6, 20. —*quaecunque voles* queri *fugient verba*, vox faucibus haerebit. Horat. Carm. IV, 1, 37: *inter verba cadit lingua silentio*. Pronom. *tibi* redundat. — 18. *qui sis aut ubi*, plane amens, mentis expers eris. Eurip. Bacch. 506: Οὐκ οἶσθ' ὅτι ζῇς οὐδ' ὃ δρᾷς, οὐδ' ὅστις εἶ.

19–32. *servitium* pro servitute, ut Tibull. II, 4, 3; servitutem, quam tibi dulcem ac facilem fingis, reperies duram ac difficilem. - *nullus ego*, macie confectus, umbra. Ovid. Met. XI, 660: *Invenies toto pro corpore corporis umbram*. - 23. Nec te Cynthia mitius tractabit, quod sis veteris prosapiae, multarumque imaginum. - *Imagines*, expressae corporis effigies, humerorum tenus, e cera, quibus nobiles romani atria sua exornabant, quae in funeribus praeferebantur. Vid. II, 13, 19; Horat. Epod. VIII, 11, 12: *Esto beata, funus atque imagines Ducant triumphales tuum*. Kirchm. de Fun. Rom. II, 7. — 25. Contra nobilitas tua tibi plus oberit, quam proderit. - *culpae*, id est poenae, quo sensu *culpa* legitur apud Plaut. Capt. II, 3, 43; Terent. Hecyr. IV, 4, 10. — *poenae* nempe te exclusum fuisse. —*rumor eris*, fabula totius urbis eris. II, 20, 22: *Quum de me, et de te compita nulla tacent*. Ovid. Am. III, 1, 21: *Fabula, nec sentis, tota iactaris in urbe*. - *de tanto nomine*, de viro tanti nominis et celebritatis, a puella dura exclusus, fabula fies et iocus. Horat. epp. I, 13,

Quare quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quaerere: non impune illa rogata venit.

## ELEGIA VI

### AD TVLLVM

Non ego nunc Adriae vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Aegaeo ducere vela salo;
Cum quo Riphaeos possim conscendere montes,
Vlteriusque domos vadere Memnonias.

8: *paternum Cognomen vertas in risum et fabula fias.* – 30. Elegans imago. Tacitus te amplexabor, lacrymas miscebimus, alter in alterius flebit sinu: simplex notio, non nisi tecum flere potero. – *mutua flere*, ἀμοιβαδίως κλαίειν, neutrum adverbii vim habet, e graecismo. – 31. *quid possit*, quomodo cruciare et exercere possit amatores suos. – *rogata*, ad amores sollicitata, ut apud Ovid. Am. I, 8, 43: *casta est, quam nemo rogavit.* Sed *rogata venit* dictum est, pro rogata est, id est rogari solet, sive rogatur. Vt Gr. ἔρχεσθαι saepius ponitur pro εἶναι, ita latini quoque poëtae *venire* usurpare solent pro esse. Tibull. I, 2, 76: *vigilanda venit* pro vigilanda est; Prop. I, 10, 25: *irritata venit* pro irritata est. – *non impune* lacrymae et aerumnae illius manent.

Elegia VI

Excusat se Tullo, amico suo, in Asiam cum Messala profecturo (Vide Barthii Vit. Prop. Chronol. ad A. V. 724), qui poëtam in societatem huius itineris trahere cupiebat. Ostendit se Cynthiae amore, ira, lacrymis, Romae retineri 5 seq.; praeterea se non esse laudi, armisque idoneum natum, vs. 29, atque malle ignobilem in amore longinquo perire, vs. 27. Cohortatur vero Tullum, ut patriae saluti uti hactenus, ita porro quoque prospiciat, res suas strenue agat, omnique contentione ac studio patrui virtutes aemuletur, vs. 19. Est elegia e praestantissimis, inprimis propter tenerrimum amoris, amicitiaeque affectum, qui per omne carmen regnat.

1-4. *Mare noscere*, tentare, adire, experiri, mari me credere, vid. Markland. ad Stat. Silv. pag. 184, sic *noscere loca* pro inhabitare, incolere, vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XVII, 22; *ducere vela* proprium est nautarum, qui vela adducunt et reducunt, hoc loco simpl. est navigare, mare Aegaeum adire. – 3. Gravissima quaeque tui causa lubenter susciperem. Sed hanc generalem notionem, carminis argumento convenienter, docte exornavit: Tecum, amice, possem ad extremas gentes proficisci, remotissimas terrae partes adire. Hinc memorat *Riphaeos montes*, τὰ Ῥίπαια ὄρη; sunt Scythiae montes septentrionales.

Sed me complexae remorantur verba puellae,
  Mutatoque graves saepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
  Et queritur nullos esse relicta deos.
Illa meam mihi se iam denegat; illa minatur,
  Quae solet ingrato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis.
  Ah pereat, si quis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
  Atque Asiae veteres cernere divitias,
Vt mihi deducta faciat convicia puppi

perpetuo ventorum impetu, ac flatibus difficiles, et densa nive obsiti, Asiam ab Europa disterminantes, vid. Virg. Georg. I, 240; IV, 518. – *domos Memnonias*, Memnon Tithoni et Aurorae filius, Hesiod. Theog. 378, rex Aethiopum, unde Catull. LXVI, 52, *Memnon Aethiops* dicitur; vide de eo interpp. ad Ovid. Met. XIII, 576. Intelligitur h. l. Memnonis regia, quae pro ipsa regione posita est. Caeterum compara cum h. l. Iuvenal. Sat. II, 1; Catull. XI, 1 seq.; Ovid. Amor. II, 16, 21 seq.; Horat. Epod. I, 11 seq.

5-12. *Complexae*, quae me complectitur. Remorantur me *verba*, minae, cohortationes, admonitiones, querelae, inter amplexus, *preces* quoque cum tanta animi affectione coniunctae, ut saepius inde coloris mutatio oriatur. Copia poëtica et ornate dictum, pro Cynthiae preces me Romae retinent. – 7. Praeter solitum blanda est, et vehementius mihi ardorem suum, *ignes*, significat. – *argutat*, crepat, verbosa est, pluribus verbis declarat. Plaut. Amphitr. I, 1, 193: *Pergin' argutarier?* Petron. cap. 45: *quid iste argutat molestus?* – 8. *queritur–deos*, queritur, si a me relinquatur, post fidem tam sancte et saepe iactatam, deosque testes iureiurando invocatos, nullos esse deos periurii vindices. – 9. Additis quoque comminationibus animum meum flectere conatur. – *meam mihi se denegat*, non vult amplius haberi et vocari mea, me amare, Veneris gaudia negat. — 10. *tristis*, irata, ut Tibull. IV, 4, 18, ubi vid. Broukh. – *durare*, aushalten, austehen. Horat. epp. I, 1, 82: *Iidem eadem possunt horam durare probantes.* – *his querelis*, subint. *in. hora* alias *punctum temporis*, *momentum horae*, vid. Burm. ad Phaed. III, Prolog. vs. 5: eleganter hoc loco *hora* opponitur *totis noctibus* vs. 7. – *lentus*, lente, frigide, ita ut neque minis, neque precibus, neque lacrymis puellae moveatur.

13–18. *Sit tanti*, ut Cynthiae querelas et iram nihili faciam. – *doctas*, perpetuum Athenarum epitheton. — *deducta puppi*, navi machinarum ope in mare deducta (vide Mitscherlich ad Horat. carm. I, 4, 2), postquam vela ventis dedi. – *faciat convicia*, me maledictis persequatur, incessat. Eadem formula utitur quoque Ovid.

Cynthia, et insanis ora notet manibus?
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis iura refer sociis.
Nam tua non aetas unquam cessavit Amori;
Semper at armatae cura fuit patriae:
Et tibi non unquam nostros puer iste labores
Adferat, et lacrymis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.

Met. IX, 302; vide Heins. et Burm. ad Ovid. Rem. Am. 507; Met. XIV, 710. – *insanis manibus*, ipsa insana sibi manibus. Vid. Markland ad Stat. Silv. pag. 120 - *Osculaque - sibi debita vento.* Locus obscurus. Scaliger interpretatus est eum sic: exprobrat vento, sibi eripi oscula ab ipso. Rectius Burm. legit: *dicat mihi*, ita ut haec verba iungantur, et Cynthia dicat, omnia oscula, quae a Propertio in procinctu stante accepisset, non illi, sed vento opposito seu contrario, qui iter ei moratus esset, se debuisse. Sic Ovid. Heroidd. XIII, 82, *oppositos viros* dixit pro adversos, ἀντικελιμεῦντας. Alii aliter. Vide Obss.

19–24. *Patrui secures*, significatur consulatus Lucii Volcatii Tulli. Vid. Argum. el. 1. Ernesti Clav. Cic. verb. Volcatius. – *secures*, falcibus alligatas, Consulibus in publicum prodeuntibus lictores praeferebant; unde pro ipso consulatu commemorantur; conf. Horat. carm. III, 2, 19. Sensus: patrui tui, Consulis de republica meritissimi, laudes ac merita conare non tantum assequi, sed et superare. – 20. *et - refer sociis*, Graeciae et Asiae populorum iura, in bellis civilibus violata et neglecta, iis una cum Messala restitue. Tullo poëtice hoc tribuitur, quia erat *accepti pars imperii*, vs. 34; conf. Barth. Vit. Prop. Chronol. ad A. V. 724. – *referre*, pro reddere, ut Virg. Aen. VIII, 560. – *tua aetas*, tu ipse, per totam tuam vitam. – *cessavit*, vacavit, operam dedit. Verbum de amantibus proprium; v. III, 23, 15; Ovid. Amor. II, 18, 3. – *Semper–patriae*, patriae armatae, non amori, serviebas, aetatem tuam in armis transegisti, studium tuum omne in patria armis tuenda ac defendenda positum erat. – *Puer*, Amor, nunquam te iis doloribus, quibus me, conficiat. – *lacrymis meis*, mihi lacrymanti. – *omnia nota*, ea omnia, quae lacrymis meis cognita sunt, nempe mala gravissima, quae Propertius expertus erat, qualia commemorantur eleg. 16, 21 seq.

25–30. *Iacere*, obscurum et ignobilem esse, coll. vs. 29: inest vero

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis,
  Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
  Lydia Pactoli tinguit arata liquor:
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
  Ibis, et accepti pars eris imperii:
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
  Vivere me duro sidere certus eris.

etiam verbo notio otii, vacationis a negotiis publicis, et respexit Prop. verbum *cessavit*, vs. 21, quod aliis in locis notat, inertum esse, nihil agere. – *animam reddere*, mori in extrema, summa, nequitia, ad mortem usque amoribus (*nequitiae*, voc. hoc in genere solemne) indulgere. Vellei. Pat. II, 35: *Catilina - quem spiritum supplicio debuerat, proelio reddidit.* – 27. Dicit poëta, se itineris causa non posse puellam relinquere, et iam se excusat eorum multitudine, qui amoris delicias, nulla itinerum rerumque gerendarum importunitate, interpellari siverunt, sed ad supremum vitae exitum continuaverunt. – *longinquo*, diuturno, continuo, nullis itineribus interrupto, ad vitae finem perducto. Sic *longinquus* pro longus. Cic. Tusc. III, 28: *aetas longinquior*; add. Catull. LXIV, 346; Liv. VI, 8; Caesar B. C. III, 80. – *laudi*, nempe virtuti bellicae, quae *laudis* voce insignitur apud veteres, ut apud Cic. pro Marcell. cap. 2, 3; Tibull. IV, 1, 88, 106; Virg. Aeneid. I, 461. - *militiam*, nempe amoris, vid. Ovid. Amor. I, 9; Horat. carm. III, 26, 2; Schrader. ad Musaeum p. 125 seqq.: frequens enim amoris cum militia comparatio.

31–36. Quocumque locorum verseris. – *Ionia mollis*, ita dicta, ob aëris clementiam, terrae fertilitatem, incolarumque luxuriam; vid. interp. ad Horat. carm. III, 6, 21. – *tendit*, scilicet *se*, ubi sese extendit. – *tinguit arata*, arenis aureis arva flava facit, poëtice et ornate, pro irrigat. *Pactolus*, Lydiae fluvius, aureas arenas trahens. Res notissima. Seneca, Oedip. 467: *Divite Pactolus vexit te Lydius unda Aurea torrenti deducens flumina ripa.* – 33. *carpere pedibus terras*, pro iter pedestre suscipere. Sic *carpere viam*, ambulando quasi decerpere, ac paulatim comminuere, ire, proficisci, Horat. Sat. II, 6, 93; Virg. Aen. VI, 629. - *pontum remis*, navigare, iter maritimum suscipere. Sed *ibis carpere*, e graecismo positum, pro ibis carptum. – *Accepti pars imperii*, unus e cohorte, comes et amicus Messalae, cui imperium datum. – *duro sidere*, duro fato me amantem uti, conf. ad II, 27, 4; IV, 1, 119, non dubitabis.

# ELEGIA VII

## AD PONTICVM POETAM

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
  Armaque fraternae tristia militiae;
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
  Sint modo fata tuis mollia carminibus.
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,

### Elegia VII

Monet Ponticum, amicum suum, Thebaidos hexametris versibus scriptae conditorem (quod poëma temporum iniuria periit), ne se, elegiographum, et in scribendis amoribus occupatum, contemnat; ut ne miles Cupidinis aliquando factus, aliter sentire, sed nimis sero tunc, et magno cum damno cogatur. Caeterum hic Ponticus, poëta suorum temporum nobilissimus, ad quem plures elegias Propertius scripsit (conf. inprimis el. 9 huius libri, quem Ovid. Trist. IV, 10, 47, *hero o clarum* dixit), non cum interpretibus nonnullis confundendus est cum Lynceo, ad quem noster elegiam similis argumenti, nempe II, 34, scripsit. Cur enim eundem, modo ficto, modo proprio nomine, appellasset Propertius?

1–4. *Thebae*, in Boeotia a Cadmo, unde *Cadmeae*, Agenoris, Phoenicum regis filio, conditae; vid. Apollodor. Res nota. – *dicuntur*, canuntur, ut III, 17, 21. Sic λέγειν pro ᾄδειν, Anacr. Od. I, 1; VI, 1 et saepius. – *Armaque – militiae*, bellum inter Eteoclem et Polynicem, Oedipi regis Thebanorum filios, regnandi cupiditate incensos, gestum. Fratres singulari certamine mutua caede occubuerunt, unde h. l. *tristia arma*; conf. Statii Thebais, Eurip. Phoenissae, Aeschyli S. c. Theb. Apollod. III, 6. Caet. similis locus Ovid. Am. II, 18, 1 seq. *Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem, Primaque iuratis induis arma viris, Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra, Et tener ausuros grandia frangit Amor.* – 3. *Ita sim felix* ὡς ὄλβιος εἴην Homer hymn. in Mercur. 379; formula sancte et serio aliquid affirmantis, ut apud Sveton. Vit. Tib. 21. – *primo*, primario carminis epici poëtae. Horat. carm. IV, 9, 5: *priores Maeonius tenet Sedes Homerus.* Vid. Mitscherlich. ad hunc locum. – *contendis Homero*, certas cum eo de palma. *Contendere*, dativo iunctum, e graecismo, ut ἐρίζειν et μάχεσθαι Hom. Odyss. O, 320; X, 125; Σ, 31. – *Sint - carminibus*, sint perpetuo duratura carmina tua, nec oblivione sepeliantur.

5–14. *Nos*, ad oppositionem praecedentium positum; ut II, 30, 13, et saepius. – *agitamus amores*, more meo amori indulgeo, et amatoria tracto. Sic *agitare convivium*, Terent. Hecyr. I, 2, 18, pro convivari. Inest

Atque aliquid duram quaerimus in dominam.
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, et aetatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama est.
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctae solum placuisse puellae,
Pontice, et iniustas saepe tulisse minas.
Me legat assidue post haec neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,

tamen hoc loco huic verbo notio ardoris et assiduitatis. Caeterum compara Horat. carm. I, 6; Anacr. XVI, 1 sq. – *quaerimus*, meditamur, excogitamus II, 3, 5. – *in duram dominam*, ad eam movendam, saevitiam illius leniendam, *faciles aditus ad eam per carmina quaero*, ut loquitur Tibull. II, 4, 19. – 7. Nec possum, sicut tu de te ipso gloriaris, ingenio servire, et res graves, heroica carmina scribere, sed dolori servire meo, elegos querelarum de puellae meae saevitia plenos conscribere cogor. – *tempora dura*, ob duram et asperam puellam, sortem meam tristem. – *conteritur*, transigitur, consumitur, hoc in stadio currimus. – *Hinc*, ab his emitti carceribus ad calcem gloriae. Metaphora a quadrigis circensibus desumta. Vulgarior ratio ferebat: in hoc carminum genere excellere cupio, sed quanto ornatius haec poëta extulit! – *nomen*, pro laude et gloria, frequens. – 11. *solum*, de Pontico vel quocumque alio rivali veluti triumphat. – *Doctae puellae*, Cynthiae. – *minas*, idest mala, ut Tibull. II, 6, 50.

15–20. *Puer hic*, Cupido. – *certo arcu*, pro certa, non fallente sagitta ex arcu Cupidinis emissa. Vid. Barth. ad Claudian. Cons. Hon. IV, 529; Ovid. Am. II, 11, 11: *Credibile est et te sensisse Cupidinis arcus*. Prop. I, 9, 21: *Quam pueri totis arcum sentire medullis*. – 16. *Quod nolim*, ominis reiectio ac deprecatio; propter meum in te amorem nolim. – *nostros deos*, Venerem cum Cupidinibus. – *evolvere*, in fatis habere, ad finem volvere, expedire: *evolvere*, verbum de Parcis proprium. Ovid. Heroidd. XII, 3 seqq.; Claudian. R. P. I, 52; ut *volvere* Virg. Aeneid. I, 22 etc. Sensus: Non spero stamina ista furori tuo destinata a diis nostris iam fuisse evoluta. Suavissima pictura. Vt enim aliis in locis Parcae fata caeterorum mortalium nere dicuntur, ita hoc loco dicitur Venus cum populo Cupidinum nere fata hominum amatorum. — 17. Cupidinis sagittis ictus, Thebaidos tuae telam, magno animo inchoatam, longis tenebris, aeternoque situ damnabis, eamque perfici ac finiri non posse, plorabis. – *flere*, pro conqueri, cum adiuncta poenitentiae notione, Horat. epist. II, 1, 9; Tibull. I, 9, 79; III, 5, 40. – *surda*, non audita, non cognita. Vide Drakenb. ad Sil. Ital. VIII, 248. – *aeterno ia-*

Quod nolim nostros evoluisse deos:
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in aeterno surda iacere situ:
Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subiiciet carmina serus Amor.
Tunc me non humilem mirabere saepe poëtam;
Tunc ego Romanis praeferar ingeniis:
Nec poterunt iuvenes nostro reticere sepulcro,
Ardoris nostri magne poëta iaces.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu,
Saepe venit magno foenere tardus Amor.

*cere situ.* Theocrit. Id. XVI, 43 (coll. vs. 10) *μακροὺς αἰῶνας ἔκειντο.* – 19. Cupies componere carmina amatoria, *mollem versum*, elegis, mollibusque blanditiis flectere conaberis durae puellae animum, sed frustra; quum iam pridem occallueris ad has delicias. – *subiicere*, *ὑποβάλλειν*, monere, suggerere, in memoriam vocare, dictare. Locutio a scenis desumta. – *serus Amor*, qui sero advenerit.

21–26. Tunc saepe miraberis hos meos lusus, *nec nostra tuo contemnes carmina fastu*, vs. 25. – *non humilem*, heroicis poëtis aequiparandum, quin et praeferendum, quamquam leviora tractantem. – *ingeniis*, verbum de poëtis solemne; Sueton. V. Ner. 39; vide Burm. ad Phaedr. III, Prol. vs. 4. – *praeferar*, tua sententia, te iudice, poëtarum romanorum excellentissimus ero. – *iuvenes*, his enim praecipue scribunt amatorii poëtae. – *nostro sepulcro*, nobis sepultis, vel ad nostrum sepulcrum. – *nec poterunt reticere*, nobis acclamabunt. Solebant enim praetereuntes sepultos alloqui. Exempla obvia. – *ardoris nostri poëta*, qui amores nostros celebrasti, nostros casus composuisti, cuius carmina nos delectant. III, 17, 20: *Virtutisque tuae, Bacche, poëta ferar.* Ovid. Amor. II, 1, 7, de se ipso: *Atque aliquis iuvenum, quo nunc ego, saucius arcu Agnoscat flammae conscia signa suae. Miratusque diu, quo, dicat, ab indice doctus Composuit casus iste poëta meos?* – *iaces*, non minus quam *vale*, de mortuis dicebatur. V. Ovid. Am. II, 6, 20; Theocr. Id. XXIII, 44: *κἢν ἀπίῃς, τόδε μοι τρὶς ἀΰσον, ὦ φίλε κεῖσαι.* – 26. E graeco fonte haec ducta. Menander apud Stobaeum serm. LXIII: *Οἱ δ' εἰς τὸ γῆρας ἀναβολὰς ποιούμενοι, Οὗτοι προσαποτίνουσι τοῦ χρόνου τόκους·* qui in senectam amorem differunt, solvunt usuras otiosi temporis. Ovid. Heroidd. IV, 19: *Venit Amor gravius, quo serius.*

## ELEGIA VIII

### AD CYNTHIAM

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
  An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi iam tanti, quicunque est iste, videtur,
  Vt sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti?
  Fortis et in dura nave iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
  Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?

ELEGIA VIII

Promiserat Cynthia Praetori cuidam, una cum ipso in Illyriam proficisci. Quam quidem puellae perfidiam quum comperisset Propertius, quo eam a proposito avocaret, hanc elegiam scripsit. Pericula et molestias cum eiusmodi itinere coniunctas vivis coloribus ei depingit, eique modo bene, modo male precatur. Tandem triumphum canit de rivali suo, et laetatur, quod Cynthiam a proposito deterruerit. Praeclare exprimit haec elegia, ut scite monuit Barthius, varios animi motus amatoris amica sua privandi, iram, vindictam, animumque ob amorem reconciliatum. Quae quidem amatoris inconstantia apprime convenit elegiae, quae in animi commotionibus, at ratione et consiliis subinde temperatis versatur. Assentior tamen Lipsio, qui Varr. Lectt. II, 18, inde a vs. 27 novam elegiam orditur. Ergo non tantum *novam affectionem inducit poëta, et argumentum triste exhilarat*, ut ait Vulpius ad h. l., exhilararat enim iam antea bene precando Cynthiae; sed poëta, qui versibus illis, vs. 1-27, Cynthiae animum flexerat, coll. vs. 40, laetitia exsultans ei novum carmen scripsit, vs. 27-46.

1-8. Initium carminis apprime convenit poëtae animo concitato. — *tunc igitur demens*, bene Knebel: Treibt dich ein Wahnsinn? — *mea cura*, amor erga te meus, detinet. — *Illyria*, regio mari Adriatico adiacens, Italiae opposita, Liburniam et Dalmatiam complexa. — *gelida*, vide Cic. ad Div. V, 10. — *quicunque est iste*, contemtim loquitur de illo praetore, tanquam homine obscuro. — 4. In singulis verbis pondus: *sine me vento*, te committere, navigare. — *vento quolibet*, etiam saevo et adverso. — *vesani ponti*. Virg. Ecl. IX, 43: *insani feriant sine litora fluctus*. Horat. carm. IV, 6, 30, *Bosporum insanientem*, fluctuum ac ventorum aestu, vocat. — 7. *fulcire pruinas*, pro calcare pedibus, in iacente pruina niti pedibus, Gr. *ἐρείδειν*, *ἐρείδειν ποδὶ τὴν γῆν*, qua formula nostram optime illustravit Hemsterhus. ad hunc locum. Sensus autem huius locutionis

O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
Et sit iners tardis navita Vergiliis;
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis in ora,
Neve inimica meas elevet aura preces:
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Quum tibi provectas auferet unda rates.
Vt me defixum vacua patiaris arena
Crudelem infesta saepe vocare manu.

poëticae omnino est versari in regione gelida. Sic et ναίειν pro versari in aliquo loco est apud Soph. Phil. 1060; Theocrit. Id. XVIII, 20. – *positas pruinas*, nives concretas, pruinas, coelo delapsas, per humum sparsas, nec diffluentes. Ovid. Fast. II, 72: *posita sub nive terra latet.* - *insolitas*, quas Romae nunquam experta fueris, ubi aër tepidus et mitis. Vvlp.

9–16. Vtinam hiems duplum in anno spatium occupet, ita ut ex trimestri fiat sex mensium, ut ne mare navigantibus aperiatur. Vvlp. Imminente enim hieme et procella veteres altum petere et navigare non ausi sunt. – *hibernae tempora brumae*, hiemis tempora, hiems: *hibernae*, epith. ornans, ut *hiberna nive* Horat. carm. IV, 12, 4. – *Vergiliae*, scilicet Pleiades, septem stellae in fronte tauri, ita dictae a vere, quod exortu suo ver, tempus navigantibus commodum, sicut occasu, hiemem, denuntiant. Pleiades dicuntur ἀπὸ τοῦ πλεῖν, a navigando, quoniam navigationis tempus, et mare apertum indicant. – *tardis*, serius solito exorientibus, ut adeo navita vela solvere non possit, sed *iners* esse cogatur. Sero tempus navigandi commodum redeat. – 11. *Tyrrhena in ora*, litore maris Tyrrheni, scilicet Etrusci, ut vocat Horat. carm. I, 2, 14. Alias Romani Brundusio solvebant, et Oricum vel Dyrrachium tendebant. Sed hoc loco litus Hetruscum nominatur, quod e portu Ostiensi navis illa propellebatur in aequor, unde etiam maior anfractus faciendus erat huic navi. Barth. – *preces meas elevet*, vota mea auferat, dissipet, irrita reddat *aura* mihi ideo *inimica*, sed navigantibus secunda. – *tales ventos*, qui nunc mare possident, et te remorantur. – *subsidere*, flatum ponere, quiescere, silere, ut Ovid. Trist. II, 153. – *provectas rates*, navem deductam et in aequor propulsam. *Provehi* enim et *propelli* ventis vel remis dicitur navis, quum aquis cedentibus agitur vel secatur mare. Vid. Burm. ad Val. Fl. II, 77; Oudendorp. ad Lucan. IX, 319. – *auferet*, auferre vult, quum unda in eo est, ut auferat, me invito, navem tuam. – 15. *defixum*, immotum, graphice. – *arena*, de litore arenoso frequens, Valer. Fl. I, 442; Ovid. Met. XII, 38; III, 11, 35. – *vacua arena*, exquisita ratione tristis solitudinis imaginem exornat. Amator defixus vacuo, arenoso litore, solus destitutus (quod utique miseriam ipsius mirifice auget) abeuntem suam tristis prospectat. – *crudelem* puellam, Cynthiam. – *infesta manu*, crudeli, sibi pectus tundebat, capillum vellebat,

Sed quocunque modo de me periura mereris,
  Sit Galatea tuae non aliena viae:
Vt te felici praevecta Ceraunia remo,
  Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
  Quin ego, vita, tuo limine vera querar.
Nec me deficiet, nautas rogitare citatos:
  Dicite quo portu clausa puella mea est?
Et dicam, licet Atraciis considat in oris,

genas lacerabat. Ovid. Amor. III, 9, 10: *Pectora infesta tundat aperta manu.* add. AA. I, 503 seqq.; Virgil. Aeneid. IV, 589; XII, 604 seq.

17–20. Observa affectuum varietatem. Iam vertit omen in melius. Quamquam, inquit, omni modo, de me, utpote periura, mereris, ut tibi male imprecer, tamen sit itineri tuo propitia. – *non aliena viae Galatea*, nympha marina, Nerei et Doridos filia, vid. Apollod. I, 2, 6; Ovid. Met. XIII, 730. Monet Beroaldus, Galateam h. l. inprimis propterea nominari quod fuerit mater Illyrii, a quo nomen Illyria accepit, quo Cynthia tendebat. Caeterum nostrum imitatus est Ovid. Amor. II, 12, 34: *Aequa tamen puppi sit Galatea tuae.* – 19. *praevecta*, pro praevectam, id est praetervectam. Frequens talis casuum permutatio, ut Tibull. I, 7, 53; Pers. Sat. III, 28 seq.; vid. Cerda ad Virg. Aen. XI, 464. – *Ceraunia* τὰ Κεραύνια ὄρη, montes Epiri. Strabo VII, 488; Cellar. Not. O. A. II, 13, pag. 1083, tom. I. *infames scopulos* Horat. nominat carm. I, 3, 20 propter naufragiorum ad eos factorum frequentiam. – *Oricos*, urbs Epiri, cum portu nobili, ad mare Ionium, prope Ceraunios montes, vide Plin. H. N. III, 23; Horat. carm. III, 7, 5; Cellar. loco citato II, 13, p. 1082, tom. I; Holsten. ad Steph. Byz. pag. 362.

21–26. Vulgarius erat: Cynthiae etiam absentis memor ero; sed quanto exquisitius hanc sententiam extulit! *non ullae poterunt corrumpere taedae*, nullius mulieris amor me immutabit. *Corrumpere*, verbum in rebus amoris solemne, II, 19, 9; Ovid. Trist. II, 301. – *taedae* in pompa nuptiali praeferebantur; hinc *taedae* pro nuptiis Ovid. Met. XV, 826, et quibusvis amoribus, ut hoc loco. – *quin tuo limine*, ante tuum limen, ad fores tuas. – *vera querar*, de tua levitate et perfidia. – *Nec me deficiet rogitare*, id est, rogare assidue non cessabo. Hellenismus poëtae familiaris. Soph. Oed. Tyr. 1232: λείπει μὲν οὐδ' ἃ πρόσθεν ᾔδειμεν τὸ μὴ οὐ βαρύστον' εἶναι. Conf. Barth. Advers. XIX, 4; Ruhnken. ad Rutil. Lup. pag. 132. – *citatos nautas*, vocatos et compellatos, vel citato cursu praetereuntes. – 25. *Dicam*, his me consolabor verbis. – *Atraciis*, Atrax s. Atracia urbs Thessaliae in tractu Pelasgiotidis. V. Stephan. Byz. h. v.; Strabo IX, pag. 671. Almel. pro ipsa Thessalia hoc loco posita. Periculum autem erat, ne eo tempestatibus delaberetur, post circumnavigatam Siciliam. – *Elis*, regio et urbs Acha-

Et licet Eleis, illa futura mea est.

* * * * * *

Hic erit: hic iurata manet; rumpantur iniqui.
Vicimus; assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
Destitit ire novas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego: et per me carissima Roma
Dicitur: et sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocunque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,
Et quas Elis opes ante pararat equis.

iae in Peloponneso, ludis olympicis nobilitata. – *illa futura mea est*, ubi redierit, erimus *in tuto semper amore pares* I, 1, 32.

27–36. Vide Argum. – *Hic erit*, Romae se remansuram iuravit. *Esse*, pro commorari, adesse, saepius. – *rumpantur*, pereant dolore, invidia, nobis malevoli. Compara Virgil. Ecl. VII, 26; Martial. IX, 98; Ovid. Heroidd. VIII, 57; XVI, 221; Remed. Am. 392. Praeclare singula verba summam laetitiam poëtae exprimunt. – *gaudia deponat*, desinat gaudere de meo dolore, de Cynthiae a me discessu. – *falsa*, fallacia, quae gaudentem decipiunt. Albinov. ad Liv. 37: *Gaudia vana foves, spem pone, miserrima, falsam.* – *licet deponat*, puta positum pro simplici deponat. – *cupidus*, laetitiae. – *novas vias*, ignotas et inexpertas regiones. – *carissima Roma*, omnibus regionibus et urbibus Romam praefert, vatis sui causa. – *per me*, propter me, ut II, 6, 22; Terent. Eun. I, 2, 33; Adelph. V, 8, 8. – *regna*, opes maximas, ut Tibull. III, 3, 24; sed *regna* dixit cum dilectu; nam verba *regnare*, *regna*, *potentia*, voces quoque in re amatoria solemnes. Vid. Heyne Obss. ad Tibull. I, 9, 80; Prop. IV, 7, 6. – *angusto lecto*, conditionem, sortem deteriorem notat, nihil amplius. – 35. *Quam*, scilicet velit, optarit. – *Hippodamiae*, vid. ad I, 2, 20. – *regnum vetus*, intelligitur regnum Achaiae, quod Oenomaus, a Pelope victus, ei simul cum filia Hippodamia, unde *dotatae*, cedere debuit. Sed hoc ipsum regnum per proverbium ponitur pro regno maximo, divitiis maximis, ut Tyrt. III, 7: Οὐδ' εἰ Τανταλίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη· add. Theocrit. Id. VII, 53; Tibull. III, 3, 29. – *vetus*, nobile, eximium, praestantissimum, quo sensu et *antiquus* legitur apud Cic. Off. I, 39; Virgil. Aen. I, 12, 375; II, 363; vide Gierig. ad Plin. Panegyr. 95, 1, pag. 280. – *opes quas ante*, olim, πάλαι, inde ab antiquissimis temporibus, sibi comparaverit *Elis*, emendis et magno vendendis *equis*, certaminibusque curulibus, quae quinto quoque anno ibi habebantur, in honorem Iovis Olympici, ad quae visenda omnis Graecia con-

Quamvis magna daret, quamvis maiora daturus,
  Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
  Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo:
  Queis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
  Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.
Nec mihi rivalis certos subducit amores.
  Ista meam norit gloria canitiem.

fluebat, unde cives quoque opulenti facti.

37-46. *Daret*, nempe Praetor ille. – *sinus*, amplexus. – *Indis conchis*, significat margaritas ex India petitas, quae e conchis extrahuntur. Commemorantur pro muneribus splendidissimis quibusvis. Caeterum colorem orationis illustrabit comparatio loci, Theocrit. Idyl. XI extr. et Tibull. III, 1, 7. – *obsequio*, studio ei placendi. – *carmine blando*, elegiaco, versibus mollibus, ardentem meum amorem aperte loquentibus. – 41. Numina nulla esse, obvia satis calamitosorum formula, I, 6, 8: contra deos esse, humana ex aequo curantes, solemnis sibi aliisque gratulantium formula; qua h. l. de Musis et Apolline eleganter poëta usus est. Conf. Tibull. I, 6, 21; Statius Silv. I, 4, 1, ibique Barthius. – *rara*, puella praestantissima, Ovid. Met. XIV, 337; Prop. I, 17, 16; Tibull. III, 4, 37. – *Nunc-plantis*, nunc mihi licet coelo inambulare, tanquam deo, summam felicitatem consecutus sum. Proverbialis locutio; Theocrit. Id. V, 144: *ἐς οὐρανὸν ὔμμιν ἁλεῦμαι.* Add. Horat. Carm. I; 1, 36. – *subducit*, dolose, muneribus blanditiisque suis aufert; vide Heyne ad Tibull. IV, 13, 1. – *ista meam*, pro istam gloriam, *mea canities*, ego senex, *norit*, haec gloria mihi etiam seni vigebit, Cynthia semper unice mea erit.

# ELEGIA IX

## AD PONTICVM SVVM

Dicebam tibi venturos, irrisor, Amores,
  Nec tibi perpetuo libera verba fore.
Ecce iaces, supplexque venis ad iura puellae,
  Et tibi nunc quovis imperat empta modo.
Non me Chaoniae vincant in amore columbae
  Dicere, quos iuvenes quaeque puella domet.
Me dolor et lacrymae merito fecere peritum,
  Atque utinam posito dicar amore rudis.

### Elegia IX

Ponticus, qui irriserat Propertium elegiographum, et in scribendis amoribus occupatum, conf. eleg. 7, iam ipse servae suae amore captus et irretitus tenebatur, sed dissimulabat suum amorem vel propterea, quod servam amare probrosum apud Romanos habebatur. Propertius igitur de hoc Pontici amore certior factus, ei insultat, quod vaticinium suum, de amore instante, eventum habuerit. Graviores amoris dolores et cruciatus ei praedicit, suadet, ut amatoria carmina scribat, amoremque suum, atque se errasse profiteatur. Leve hoc argumentum magna cum arte pertractavit poëta.

1–8. *Dicebam*, praedicebam, ut Ovid. Trist. IV, 8, 43; vid. Heins. ad Ovid. Epp. V, 33; Drakenb. ad Sil. XIII, 819. – *irrisor*, mei amoris, meorumque carminum. VII, 21, 25. – *libera verba*, fortia, superba, qualia esse solent hominis ab amore alieni. – *iaces*, victus et prostratus es. – *ad iura puellae*, leges et conditiones servitutis accipiendas; quin et *emta*, ὠνητή, Homer. Odyss. Ξ, 202. – *imperat* tibi *quovis modo*, arbitrarium in te exercet imperium. – 5. Quum de rebus amatoriis agitur, meum oraculum verius ac certius est, quam illud ipsum celeberrimum Dodonaeum. – *Chaoniae columbae*, in Dodonaeo luco columbae olim oracula edebant. Dodona autem erat urbs regionis Epiri, vetustissimis temporibus a Chaonibus habitatae. Vid. Strabo VII, pag. 498. Cf. Servius ad Virgil. Ecl. IX, 13: *in Epiro dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbae, quod ideo fingitur, quia lingua Thessala Peliades et columbae et vaticinatrices vocantur.* Vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Del. 284. – *vincant dicere*, praedicendo, divinando vincant. – 7. Plutarch. pag. 90, A. tom. II: *αἱ τύχαι δέ με – [illegible]* add. Prop. III, 8, 18, et Tibull. I, 8, 5, qui eleganti imagine eandem sententiam expressit. – *peritum*, nempe dicere, quos iuvenes quaeque puella domet. – *merito*, ut par est, quemadmodum fieri necesse est. – 8. At-

Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen?
Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero;
Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I, quaeso, et tristes istos compone libellos:
Et cane quod quaevis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quaeris aquam.
Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni.
Haec est venturi prima favilla mali.
Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,
Et magis infernae vincula nosse rotae:

que (et tamen, sed) utinam hac laude carerem, imperitus et tranquillus, ab amore alienus essem! – *rudis*, imperitus, quo modo adhibetur ἄπειρος, vid. Lennep. ad Coluth. II, 1, pag. 79 seq.; Long. Pastor. IV, pag. 113, ed. Villois.

9–12. *Grave carmen*, gravis argumenti, epicum, Thebaica. Eleg. 7, 1. – *flere*, flebiliter canere, lugubri carmine narrare, ut III, 9, 37, Thebarum excidium. – *Amphioniae moenia lyrae*, Amphionis, nobilis citharoedi, lyrae dulcedine lapides ultro in muros Thebanos coisse dicitur. Res nota. Conf. Apollod. III, 5, 6; Eurip. Phoen. 116; Philostrat. II. Imag. XI, pag. 779; ubi vid. Oelearius. Schol. Apoll. Rhod. I, 741: ὅτι δὲ ἠκολούθησαν τῇ Ἀμφίονος λύρᾳ οἱ λίθοι αὐτόματοι, ἱςορεῖ καὶ Ἀντιμενίδας ἐν πρώτῳ. add. IV, 1090; Horat. Art. Poët. 394: *Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis, Saxa movere sono testudinis, et prece blanda Ducere quo vellet.* Anthol. Lat. lib. III, 182, pag. 625: *Amphion cithara Thebarum moenia sepsit, Aurita ad muros currere saxa docens.* – 11. Compara II, 34, 30 sq. Elegi, *lenia carmina*, vs. 12, versus molles, plus in amore valent (vid. eleg. 8, 40. *molliunt duras lenia verba fores* Ovid. Amor. II, 1, 22), quam carmina heroica, arma et castra II, 34, 45 seqq. Respexit Prop. ut Horat. Epp. I, 6, 65, inprimis ad hoc Mimnermi distichon apud Stobaeum Serm. LXI: τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης; Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι. – *Mimnermus*, Colophonius, poëta graecus elegiacus, pentametri inventor dicitur. Notabilis de eo locus in elegia Hermesianactis apud Athen. XIII, 8, pag. 597; ubi vid. Casaub. Lennep. ad Coluth. pag. 166; Struchtmeyer Animadvv. Critt. pag. 105 seqq. Conf. et interp. ad Aelian. H. V. XII, 36. – *mansuetus*, qui procul a castris, in otio et pace colitur. – *quaerit*, ζητεῖ, desiderat, ut Stat. Achill. I, 240; Martial. V, 10, 5.

13–22. *Tristes*, severos, coll. 7, 2. – *libellos*, Thebaida tuam. – *compone*, sepone, in scriniis conde; sic *compositis armis*, pro sepositis, Horat. Carm. IV, 14, 5; vide Burm. ad Ovid. Art. Am. II, 463. – *Et – puella*

Quam pueri toties arcum sentire medullis,
  Et nihil iratae posse negare tuae.
Nullus amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
  Vt non alterna presserit ille manu.

*velit*, cane carmina leviora, et magis festiva, quorum lectione *quaevis puella*, et rudis amorum et perita, capiatur. – 15. Hactenus nondum veros in amore persensisti dolores, haec sunt amoris tantum initia, graviora tibi instant. Aestuas ac misere discruciaris in amoris rota, sed *quid si non esset facilis tibi copia* puellae? si liberam, ingenuam, asperam et difficilem deperires? sed amas ancillam tibi subiectam, *Venerem parabilem, facilemque* (ut loquitur Horat. Sat. I, 2, 19), et tamen graviores dolores sustinebis. – *medio flumine quaeris aquam*, proverbialis locutio, de homine, qui sua non satis novit bona. Gr. *ἐν θαλάσσῃ ζητεῖς ὕδωρ.* Sed hac ipsa locutione viam sibi praestruxit et praeparavit poëta ad imaginem vs. 19 seq. – *Necdum etiam palles.* Conf. el. 5, 21, nondum oris pallor prodit, te *vero igni* tactum esse, te morbum amoris penitus tibi contraxisse. – 18. Amoris dolores et cruciatus, quos nunc sentis, sunt prima favilla, ignis, et incendii futuri, longe graviorum malorum. – *tunc*, vero igni tactus. – *Armenias accedere tigres*, quae te discerpant ac dilanient. Sic apud Horat. carm. III, 27, 51, Europa, quam loquentem inducit, *utinam inter errem Nuda leones!* – 20. Significat supplicium et cruciatus Ixionis ad rotam apud inferos adstricti. Tibull. I, 3, 73: *Illic Iunonem tentare Ixionis ausi Versantur celeri noxia membra rota.* Add. Virg. Georg. III, 38; Apollon. Rhod. III, 62. – *toties - medullis*, exquisite dictum pro totum in amorem esse, ita ut videare ab Amore non una sagitta, sed pluribus, non semel, sed saepius vulneratus esse. – *Et - tuae*, cogi ea omnia facere et pati, quae puella velit ac iubeat.

23. 24. Imago deducta est a ludo puerorum; puer aviculam manu tenet filo alligatam, eamque alterna manu evolare sinit, altera vicissim filum retrahit. Vid. Polluc. IX, cap. 7, sect. 124, 125; et Kuster. ad Aristoph. Nubb. vs. 760. Sic hoc loco Amor dicitur manu tenere filum, cui alatus amatoris animus alligatus est, et modo *premere*, id est reprimere, modo remittere: *laxas dare habenas*, ut Virg. loquitur Aen. I, 61. Respexit autem poëta ad *ψυχὴν* amatoris, eamque sibi cum Meleagro epigr. LV, LIX finxit alatam. Conf. Huschke Anal. Crit. pag. 44, qui et cum nostro loco comparat ibi Meleag. epigr. LVIII, Anal. tom. I, pag. 18; ubi vid. Iacobs Animadvv. vol. I, pars I, pag. 74. Exstant praeterea loca vett. poëtarum plura, ubi Amor animorum habenas tenere, *ἡνιοχεύειν*, dicitur, ut Hermesian. el. 5, 85. Anacr. Fragm. IV: *ὦ παῖ - Οὐκ εἰδὼς ὅτι τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἡνιοχεύεις.* Conf. Iacobs ad Meleagr. epigr. III, pag. 17; ad ep. LXXXVI, pag. 100. Sic et Platonem in Phaedro pag. 251 B. C. vim Amoris animam incitandi et extollendi, alis animae subnascentibus significasse, satis constat. Sententia nuda et simplex hoc loco est: nunquam Amor cuiquam amanti ita facilis est, ut non

Nec te decipiat, quod sit satis illa parata.
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine, cedat Amor?
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas ah! fuge blanditias.
Illis et silices, et possunt cedere quercus,
Nedum tu possis, spiritus iste levis.
Quare, si pudor est, quam primum errata fatere.
Dicere, quo pereas, saepe in amore levat.

saepius eum tormentis et cruciatibus afficiat.

25–34. Noli arbitrari, te non acriores dolores esse sensurum, quam nunc sentias, quum tanquam ancilla tua sit *parata*, *non sinat esse moram*, *si eam adire velis*, II, 24, 16. – *Acrius* enim amari solet, *subit*, animum quasi intrat, et in medullis sentitur (vid. Burm. ad Lucan. IV, 705), quae domi nostrae versatur. Comparat Barth. carm. Agath. 79, lib. VII Antholog.: Ἢν δὲ μιγῇς ἰδίῃ θεραπαινίδι, τλῆθι καὶ αὐτὸς Δοῦλος ἐναλλάγδην δμωΐδι γιγνόμενος. – *vacuos* ab amore *oculos seducere*, avertere, amovere a puella amata. – *alio nomine*, nisi propter amorem. Num enim Amor cedet, si puellam quotidie ante oculos habes, quum illa tibi noctes auferat et dies? immo acrius te punget, et pueri arcum senties medullis. – 29. Irrepit in animum, non antea conspicitur, crudelitatem illius summam non prius persentiscis, quam ossa tua cutem paene pertundant, ut ea manu tangi possint, et tunc Amor minime cedet, nulla erit tui medicina mali. – *assiduas ah! fuge blanditias*, cave ne puella tibi assidue blandiatur, verborum rerumque illecebris te deliniat. – 31. *Illis*, blanditiis. – *silices*, *quercus*, pro durissimis quibusvis. Anacr. II, 12: Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον Καὶ πῦρ, καλή τις οὖσα. – *cedunt*, moventur. – *nedum tu possis*, tantum abest, ut tu possis, ut tu illis par esse possis – *spiritus levis*, homo inconstans. – 33. *si pudor est*, quod amorem adhuc superbe contemseris. – *errata fatere*, te errasse, te iam ipsum amare, et fatere, *quo beatus sis vulnere*, *qua pereas sagitta*, verba Horatii carm. I, 27, 11. – *quo*, scilicet amore, ut IV, 1, 148: *Vel licet armatis* (scilicet hostibus) *hostis inermis eas*. – *levat*, libera professio leviorem reddit curam et amorem. Tibull. I, 8, 7 seq.: *Desine dissimulare: deus crudelius urit, Quos videt invitos succubuisse sibi.* Aristaenet. I, ep. 16: ἅπας γὰρ ὁ δι' ὁτιοῦν ἀχθόμενος τὴν ψυχὴν, τὸ λυποῦν ἐκλαλῶν, ἐπικουφίζει τῆς ἀδημονίας τὸ βάρος.

## ELEGIA X

### AD GALLVM

O iucunda quies, primo quum testis amori
  Affueram vestris conscius in lacrymis.
O noctem meminisse mihi iucunda voluptas!
  O quoties votis illa vocanda meis!
Quum te complexa morientem, Galle, puella
  Vidimus, et longa ducere verba mora.
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos,
  Et mediis coelo Luna ruberet equis:
Non tamen a vestro potui secedere lusu,
  Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
  Accipe commissae munera laetitiae.

Elegia X

Gratum se profitetur Propertius Gallo, vide el. 5, qui eum comitem sibi adiunxerat, quum ad puellam se conferret, cui amorem suum declararet. Voluptatibus ab amico tunc perceptis amice laetatur, ac suis; et praemii loco ei praecipit, quibus artibus puellae amorem sibi conservare possit. Inprimis pars huius elegiae prima suavitate sua, et praeclara ac vivida affectuum amantium descriptione se commendat.

1–12. *quies*, pro nocte, ut saepius. – *primo amori*, primae amoris significationi. – *lacrymis*, coll. el. 13, 15. – *conscius*, testis et particeps lacrymarum, *conscius in lacrymis*, ut Cic. ad Attic. I, 15: *et in publica re socius et in privatis omnibus conscius*. – 4. *votis vocanda*, votis, precibus revocanda. – *morientem*, exquisite, ex affectu amantium; ita languentem, ut iam mori videreris. Sappho εἰς κόρην vs. 15, *τεθνάκην δ' ὀλίγω δέουσα φαίνομαι ἄπνους*. – *longa - mora* signif. Gallum post longum temporis spatium, cum anhelitu, nec sine contentione, loqui potuisse. – *ruberet*, pulchre pro niteret, splenderet, luceret, ut III, 10, 2. Horat. carm. II, 11, 10. Sidera veteres credebant ignea. – *mediis equis*, equis ad coeli medium provectis, id est medio coelo, l. media in coelo Luna. Vide Burm. ad Virg. Aen. II, 508. *μεσονυκτίοις ὥραις* Anacr. III, 1; Theocr. Idyl. XXIV, 90, *νυκτὶ μέσᾳ*· sed idem Idyl. XXI, 19: *Οὔπω τὸν μέσατον δρόμον ἄνυεν ἅρμα σελάνας*. Lunae enim currum tribuebant vett. Res nota. – 10. *ardor erat*, sermones vestri ardentissimum amorem prodebant, ignem et amorem spirabant. – *concredere*, de re, quam fideli amico

Non solum vestros didici reticere dolores;
Est quiddam in nobis maius, amice, fide.
Possum ego diversos iterum coniungere amantes,
Et dominae tardas possum aperire fores:
Et possum alterius curas sanare recentes,
Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quaecunque petenda,
Quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor.
Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellae,
Neve superba loqui, neve tacere diu:
Neu si quid petiit, ingrata fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa,

committimus; formula, *fortunam et famam alicui concredere*, usus est Cic. pro Rosc. 39. – *laetitiae*, id est amoris, lusus amatorii. – *commissae*, nempe fidei meae, mihi concreditae, Terent. Eun. V, 2, 47; Andr. I, 5, 61. – *munera* [illegible].

13-24. *Dolores*, vocabulum de amore solemne. – *fide*, fideli silentio, docere enim ac praecipere possum, quae sint in amore servanda. – *diversos*, sibi contrarios, iratos. – *tardas fores*, quae tarde, raro, difficulter se recludunt, quae amatorem diu excludunt, ianuam, *quae non multum facilis movet cardines et limen amat*, ut Horatius loquitur Carm. I, 25, 4. – *curas recentes* eorum, qui in amore tirocinia ponunt. – *cura* de amoribus apud poetas obvium. Vid. Barth. ad Claudian. I in Eutrop. 362, p. 1330; Burm. Anthol. Lat. tom. I, pag. 672. *Nec* – *meis*. Horat. Ep. I, 1, 34: *Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem Possis, et magnam morbi deponere partem.* – 19. *petenda*, expetenda, appetenda. – *non nihil egit*, adiuvit aliquid. – *cupias pugnare* pro pugnes, vid. II, 24, 13, id est repugnes, obsistas, ut Virgil. Aen. IV, 38: *placitone etiam pugnabis amori?* – *tristi*, iratae, ut eleg. 6, 10. — *ingrata fronte*, severa, tristi, *vultu duro*, coll. II, 22, 11. – *cadant*, excidant, explicant: effice, quod verbis benignis pollicitus fueris, neque siveris ea levia et vana esse. Sed rectius Burm. intelligit verba puellae petentis cum blanditiis, adeoque monet Gallum, ne illa reiiciat, nec, quae rogavit, dura fronte neget. Caet. similiter Ovid. Heroidd. III, 98: *At mea pro nullo pondere verba cadunt.*

25-30. *Irritata venit*, irritatur, ad iram provocatur, vid. I, 5, 32, e graecismo. – *contemnitur*, a repugnante, superbo, severo et avaro amatore. – *meminit*, didicit, assuevit. – *iustas*, utpote laesa, deponere minas, *erit tanti criminis illa memor* I, 4, 20. – *humilis*. Horat. III, 10, 9: *Ingratam Veneri pone superbiam.* – *subiectus*, obsequiosus. Plutarch. t. II, p. 766: Ἔρως – [illegible]

Nec meminit iustas ponere laesa minas.
At quo sis humilis magis, et subiectus Amori,
Hoc magis effectu saepe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
Qui nunquam vacuo pectore liber erit.

## ELEGIA XI

### AD CYNTHIAM

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
Qua iacet Herculeis semita litoribus,

[illegible]. add. Xen. Ephes. I, p. 8. – 30. *vacuo pectore*, nempe ab amore, ut κενεὴν καρδίην dixit Agath. II, 2, in Anal. Br. III, pag. 33. – *nunquam* referendum ad *vacuo pectore* et *liber*, qui servi personam sustinet, obsequiosus, officiosus est, cui nunquam pectus ab amore in puellam vacuum, ut el. 9, 27, *vacuos oculos*.

Elegia XI

Ad Cynthiam Baiis diutius commorantem. Metuit, ne ex animo illius excidat, neve se alius quispiam in eius amorem insinuet; quare eam cohortatur, ut quam primum locum illum, qui sit vitiorum omnium diversorium (Seneca ep. LI) relinquat, Romamque redeat. Elegans carmen, tenerrimique amoris affectum vividissime declarat.

1–2. Cohaerentia: ecquid te Baiis desidentem, et regionis amoenitate perfruentem, in semita Herculea mirantem, modo aequor sinistrum Puteolis subiectum, modo dextrum ad Misenum, amor mei subit, ut et in externo amore, noctes etiam mei memores ducas, an perfida facta es ita, ut mei plane oblita sis, nec te amplius carminibus meis celebrare possim? – *cessantem*, diutius commorantem, genio et otio indulgentem. – *Baiis*, Baiae, oppidum olim Campaniae, in litore ad sinum Baianum, inter Misenum et Puteolos, unde *mediis Baiis*, nobile thermis calidis (hinc *tepentes Baiae* Sil. Ital. XII, 113; *tepentes fontibus Baiae* Flor. I, 16, 4), et regionis circumiacentis amoenitate. Stat. Silv. III, 5, 96: *Sive vaporiferas blandissima litora Baias*. Horat. Epp. I, 1, 83: *Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis*. add. Martial. XI, 81. Hieme inprimis, atque ineunte vere Romani locupletiores eo se conferre solebant, ut fontibus illis salutaribus uterentur, vel etiam otio et voluptatibus ibi indulgerent, unde noster vs. 27 *Baias corruptas* nominat. – *Herculeis semita litoribus*, pro ubi iacet semita Herculis ad litora. Intelligitur via illa, quam non procul a Baiis Hercules, ut per hanc Geryonis boves traduceret, mu-

Et modo Thesproti mirantem subdita regno,
  Et modò Misenis aequora nobilibus,
Nostri cura subit memores, ah, ducere noctes?
  Ecquis in externo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
  Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
  Parvula Lucrina cymba moretur aqua;
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda

nivisse fertur, quae ab eo *Herculea* dicta est. Vid. Diod. Sic. IV, 22; Strabo V, pag. 245. Haec via propter pulcherrimum prospectum, qui ibi erat ad mare et circumiacentem regionem, in primis frequentari solebat. Recte autem usus est poëta h. l. voce *semita*, quae minor est via, quoniam auctore Strabone, loco citato, semita illa Herculea et agger, unius orbitae latitudinis, sed octo stadiorum longitudinis fuit, *ἑπταστάδιον τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἁμαξιτοῦ πλατείας*. Hanc viam Herculeam post Agrippa exornavit.

3–8. *Thesproti regno* intelligunt oram Puteolorum maxime, in Campania, quam olim Thesprotii, populi ex Epiro venientes, tenuerunt. Thesprotus, Pelasgi filius, vid. Apollod. III, 8, 1, a quo Thesprotia dicta, regio Epiri, Chaoniae proxima. Conf. Obss. – *subdita aequora* referendum ad *Thesproti regno* et *Misenis*. - *mirantem*, fixam obtutu non sine laetitiae sensu, in sinu Puteolano, promontorio Miseno et adiacentibus aequoribus. – *Mirari* enim poëtis est obtutu defixum haerere, capi alicuius adspectu, delectari aliqua re, vid. Mitscherlich. ad Horat. III, 29, 11. – *Misenis nobilibus*, Misenum promontorium, et urbs in Campania, vel pluralitate poëta h. l. extulit, vel *Misenas* scil. urbes eodem sensu dixit, quo Varro, monente Scaligero, dixit *Tarentinas nobiles*, id est urbes tractus Tarentini. - *cura*, amor *subit* irrepit in animum tuum eleg. 9, 25. – *nostri memores noctes ducere*, e graecismo, ut ducas, producas, transigas, nostri memores noctes, num me absentem aliquantulum amas? Potest vero etiam, Propertii loquendi rationi convenienter, *nostri* ad *cura* et ad *noctes memores* referri, conf. eleg. 10, 30, huius eleg. vs. 4 etc. - *locus* mihi *in externo amore restat*, num in alieno amore mei memor es? vid. II, 32; 29, 7. An mihi ille nescio quis, rivalis, amorem tuum plane eripuit, ita ut mei prorsus oblita sis? callide de Cynthiae externo amore tanquam de re certa loquitur, callide quoque minatur, se Cynthiam, si perfida facta fuerit, non amplius carminibus suis esse celebraturum. Conf. eleg. 7, 11; II, 1, 4 seqq.; 26, 25; 30, 25 seqq. – *nescio quis*, per contemtum, ut *quicunque est iste* eleg. 8 3. -*hostis*, rivalis, cuius amorem dum *simulatos ignes* vocat, suum amorem, verum, certum, nec fucatum profitetur.

9–16. Si semel tibi rusticandum est, vellem non in ipsis Baiarum balineis te corrumpentibus, sed in Lu-

Alternae facilis cedere lympha manu:
Quam vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam:
Vt solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos.
Non quia perspecta non es mihi cognita fama;
Sed quod in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri; culpa timoris erit.
An mihi sit maior carae custodia matris,
Aut sine te vitae cura sit ulla meae?
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,

crino lacu et Teuthrantis in unda, piscando, navigando, natando te delectares. – *cymba confisa remis minutis*, poëtice pro, quae regitur remis minutis. Intelligit autem lintrem, qualibus navigiis velo remoque actis, ad voluptatem utebantur, quibus oppleta erant orae Baianae litora. Vide Heins. ad Ovid. A. A. I, 255. – *moretur*, *teneat*, cum voluptate detineat. – *Lucrina aqua*, lacus qui fuit iuxta Baias, Strabo V, pag. 375 Almelov.: ὁ Λοκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαϊῶν χώματι εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάσσης. Meminerunt eius et Plin. H. N. III, 5, et Virgil. Georg. II, 161, ubi vid. Heyne. Conf. et Cluverii Ital. Antiq. IV, pag. 1121 sqq. – *Teuthrantis*, fluvius parvus, scil. euripus (unde *tenui in unda*), remotus a litore Baiano. Vid. Casaub. ad Strab. VI, pag. 123 Paris. Drakenb. ad Sil. Ital. XI, 290. Optat igitur, ut ibi potius, procul ab arbitris, ut pudori consuleret, *clausa*, natatu exerceretur. – *manu*, pro manui. Exempla in promtu sunt. Sic *curru* Virg. Aen. III, 541; *visu* Lucret. V, 201; *luxu* Sallust. Iug. cap. 6. – *alternae manui*. Sic de natante Tibull. III, 5, 30: *Et facilis lenta pellitur unda, manu.* Ovid. Met. IV, 353: *alternaque brachia ducens In liquidis translucet aquis.* – *facilis*, mollis, lubrica, Homeri ὑγρὰ κέλευθα. – 13. *vacet*, libeat, l. otium sit. – *blandos susurros*, confabulationes cum amatore, leni, submissa voce factas, quas Horat. Carm. I, 9, 19, *lenes susurros* vocat. Theocrit. Idyll. II, 142; XXVII, 67, eodem sensu verbo ψιθυρίζειν usus est. – *in tacito litore*, taciturno, et procul ab arbitris, testibus et custodibus, adeoque secure. – *compositam*, cubantem, *leviter positam* eleg. 3, 15, nihil amplius. – 15. *labi*, peccare, *amoto* arte, callide, *custode*. Servi ingenuarum puellarum custodes, Graecis ἀκόλουθοι, Latinis *custodes*, *comites* dicti, passim occurrunt. Vid. Heins. introduct. ad Hesiod. Ἔργ. cap. 6. – *communes deos* intelliguntur Venus et Cupido.

17–24. Quae hactenus de externo Cynthiae amore, de illa alterius blandos audiente susurros dixerat, ne ea nimis offenderent et irritarent puellam, in amorem ac timorem suum

Omnia tu nostrae tempora laetitiae.
Seu tristis veniam, seu contra laetus amicis:
Quidquid ero, dicam: Cynthia causa fuit.
Tu modo quam primum corruptas desere Baias:
Multis ista dabunt litora dissidium.
Litora, quae fuerant castis inimica puellis:
Ah! pereant Baiae crimen amoris aquae.

omnem culpam transfert. *Est enim res solliciti plena timoris amor*, ut ait Ovid. Heroidd. I, 12, et noster de se ipso, II, 6, 13: *Omnia me laedunt; tumidus sum, ignosce timori. Non*, scilicet haec dico, opto, coll. vs. 9. – *perspecta fama*, spectata, experta, probata: sat mihi cognita es, non es adverso rumore. *Non quia peccaris, testor te: sed quia vulgo formosis levitas semper amica fuit*, II, 16, 25. – *amor*, ut alias cura, pro amica. – *hac in parte*, quod levitatem et perfidiam attinet. – *triste*, lectu ingratum, est Horatii *tristi ledere versu*, Sat. II, 1, 22. – *An mihi – meqe?* Sensus: tu mea maxima cura, matrem meam non diligentius observare, tueri possum, sine te vita mea nulla. Tibull. III, 1, 55: *Teque suis iurat curam esse medullis.* – 23. 24. Dulcissimi versus, adumbrati ex Hom. Il. Z, 429, ubi Andromache ad Hectorem: Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ, Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης. Vnde et Ovid. qui ex eodem fonte hausit, Heroidd. III, 51 seqq.: *Tot tamen amissis te compensavimus unum, Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.* Add. Valer. Fl. III, 323. – *sola domus*, gentis et familiae instar. – *tempora laetitiae* sunt tempora laeta, omnia nostra laeta tempora tu, quod poëtice dictum est pro, tibi debeo omne meum tempus laetum, omnis laetitiae meae tu sola causa fuisti, *tu mea sola voluptas*, Ovid. Heroid. X, 18.

25–30. *veniam amicis*, pro ad amicos. – *tristis*, propter puellae duritiem et asperitatem. – *corruptas*, corrumpentes, corruptrices, sequitur enim *litora inimica*, vs. 29, coll. vs. 28. – *multis*, amantibus. – *dabunt*, pro dant, vel dare solent. Vid. Graevium Lectt. Hesiodd. Opp., et D. v. 185, cap. 5, p. 24. – *discidium*, sunt causa separationis ac divortii. – *Baiae*, pro Baianae, substantivum pro adiectivo. Vid. Bentl. ad Horat. Carm. I, 22, 2; Barth. ad Claud. Cons. Hon. IV, 310; Heins. ad Ovid. Fast. IV, 362. – *crimen amoris*, quoniam amorem criminosum faciebant corrumpendis puellis.

# ELEGIA XII

## AD AMICVM

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
  Quod faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo divisa est millia lecto,
  Quanta Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
  Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.

ELEGIA XII

Amicus Propertii, qui Cynthiae secessum Baianum (conf. eleg. 11) ignorabat, invitaverat poëtam, ut per aliquod tempus ruri secum viveret; cumque Propertius non venisset, ei insultarat, quod desidia et amore Romae retineretur. Iam respondet poëta, non Cynthiae consuetudine, sed moerore ex huius itinere Baiano contracto, se retineri. Dolet absentiam Cynthiae, non vero, ut voluerunt interpretes, dissidium; quae enim in hoc carmine de Cynthiae perfidia dicta sunt, ideo dicta sunt, *quod in hac omnis parte timetur amor*, coll. eleg. 11, 18.

1–4. *desidiae*, propter amorem, qui me Romae retinet. – *conscia Roma*, nempe amorum nostrorum; quae amores meos, Cynthiam, inclusam quasi habeat: *conscia* enim saepe poëtis ea dicuntur, quae aliquid in se continent, vel inclusum habent. Vid. Heyne ad Tibull. I, 7, 48. – *faciat moram*, me remoretur et retineat. – *illa*, Cynthia. Amatores ita de puellis suis loqui solere pluribus docuit Donatus ad Terent. Andr. II, 1; add. eleg. 14, 9. – *millia* passuum. – *quanta*, pro quot. Vid. ad eleg. 5, 10. – *Hypanis* Scythiae fluvius, Ovid. Met. XV, 285; Pompon. Mela II, 1; Vitruv. VIII, 3; Holsten. ad Steph. Byz. pag. 336. Vibius Sequester libello de fluminibus, Hypanin Scythiae fluvium esse, et Asiam ab Europa separare scribit, et adfert de eo illud Galli fragmentum: *Vno tellures dividit amne duas.* Est et fluvius Indiae, eodem nomine, de quo vid. Eustath. ad Dionys. Perieg. 1145; Salmas. ad Solin. tom. I, pag. 790; tom. II, pag. 992 seqq. Paris. – *dissidet*, distat, remotus est, de quo verbi usu conf. Gronov. ad Senec. Oedip. vs. 620; Virg. Aen. VII, 370. Significatur omnino his verbis magna locorum longinquitas, et exaggeratione poëtica, Cynthiam Baiis degentem, tanto locorum intervallo a se remotam esse dicit, quanto Hypanis distabat ab Eridano (Eridanus idem qui Padus, in mare Adriaticum effunditur) Venetorum fluvio.

5–10. *nutrit amores*, alit, fovet, servat. Notio simplex: amplexu illius privatus sum. – *nec – sonat*, nec Cynthia dulcis, nomen Cynthiae dulce in ore sonat, non audio illud, nihil de ea audio, mei oblita esse

Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
  Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiae fuimus? num me deus obruit? an quae
  Lecta Prometheis dividit herba iugis?
Non sum ego, qui fueram; mutat via longa puellas.
  Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
  Cogor, et ipse meis auribus esse gravis.
Felix qui potuit praesenti flere puellae!
  Nonnihil adspersis gaudet amor lacrymis.
Aut si despectus potuit mutare calores,
  Sunt quoque translato gaudia servitio.

videtur. Alii: nec vocem illius dulcem percipio, vel, non amplius mihi dulce est nomen Cynthiae. Burmann. ingeniose satis, neque tamen recte, exponit haec verba de illa veterum opinione, qua credebant tinnire aures absentium, et frequentem de se sermonem esse apud illos, quorum discessum impatienter ferebant; poëtam ergo queri, Cynthiam neque de se loqui, neque tinnitu illo in aure sua sonare, atque laudat Meleagr. lib. VII Anth. graec. epig. III, pag. 613 Obsop. *Αἰεί μοι δύνει μὲν ἐν οὔασιν ἦχος ἔρωτος.* – 7. Cynthiae perfidiam animus ei praesagit. – *olim gratus eram*, amore illius perfruebar, ab ea amabar. Eadem formula usus est Horat. Carm. III, 9, 1. – *fide* puellae, dominae suae. De Cynthiae fide cogitandum. – *invidiae fuimus?* num dei vel hominis invidiam mea excitavit felicitas? Conf. II, 25, 34. – *num me deus obruit.* Ovid. Heroidd. V, 5: *Quis deus opposuit nostris sua numina votis?* Virg. Aen. XI, 269 seq.: *Invidisse deos, patriis ut redditus aris Coniugium optatum et pulchram Calydona viderem!* – *obruit*, his malis mersit et oppressit. Translatio desumta ab iis, qui maris fluctibus submerguntur; vide Ovid. Met. XI, 569; Trist. I, 2, 34 etc. – *Prometheis iugis* significatur Caucasus, ubi e cruore de iecinore Promethei, vide II, 1, 69, herbae venenatae, et ad incantationes magicas utiles nascebantur. Conf. Valer. Fl. VII, 355 sqq.; cogitavit ergo noster de misetro, scilicet odii potione. – *dividit*, seiungit, causa est dissidii.

11–20. *Qui fueram*, nempe gratus Cynthiae, felix. – *cognoscere*, experiri, ut *cognita mala* el. 7, 14. – *ipse - gravis*, me ipsum querelis obtundere; non modo solus longas noctes producere, sed et inter lacrymas et querelas eas producere cogor. Conf. I, 3, 43. – *flere* (cum Dativo, ut apud Tibull. I, 10, 64, ubi vide Observ. Heynii). – *praesenti puellae*, praesentem puellam movere lacrymis, eamque ad pristinum amorem revocare. – *nonnihil*, pro plurimum, multum. – *gaudet lacrymis*, compara Virg. Ecl. X, 29 seq. – *despectus*, si contemtus a puella potuit alio transferre amores (Horat. Epod.

Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

## ELEGIA XIII

### AD GALLVM

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces,
Fallere te nunquam, Galle, puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus et in nullo quaeris amore moram;
Perditus in quadam tardis pallescere curis

XV, 23), nam in alius quoque puellae amplexibus gaudiis frui ei licebit; etiam in mutandis amoribus aliqua voluptas reperitur. – *finis erit*, illius amorem non nisi morte deponam. Horat. carm. IV, 11, 32 seq.: *Age iam meorum Finis amorum Non enim posthac alia calebo Foemina.*

Elegia XIII

Poëtae, qui iam dudum metuerat, ne ex animo Cynthiae, quae ad aquas Baianas profecta erat, excideret, neve alius quispiam in eius amorem se insinuaret, coll. el. 11, 12, nunc de puellae perfidia persuasissimum erat. Fidem mutuam, qua, ante hanc profectionem, Cynthia et Propertius insignes fuerant, quamque hic ipse saepius praedicarat, Gallus, utpote Veneris vulgivagae cultor, saepius irriserat. Iam ut Gallo adimeret poëta occasionem sibi in dolore, quem Cynthiae perfidia adferret, insultandi, de hac puellae perfidia eum ipse certiorem facit, ita tamen, ut simul ei gratuletur, quod a Venere vulgivaga ad stabilem amorem se receperit, et tecte carpat Galli vanitatem, qui hactenus constantem amorem contemserat, coll. vers. 24, et puellam, quam nunc deperibat, nimiis laudibus extulerat. Est autem de eadem puella sermo, de qua eleg. 10 agit.

1–8. *Quod saepe soles*, more tuo, laetus alienis, inprimisque meis malis. – *abrepto amore*, per rivalem, quum Baiis commoraretur. – *solus vacem*, significanter, fidelis etiam in amore ingrato. – *perfide*, qui amicitiam violas, casu meo laetaris, sed inest huic voci dilogia, respexit simul poëta Galli inconstantiam in amore. – *voces*, euge bene! ita factum oportuit! o puellam non similem vagis collatam puellis! eleg. 5, 7. – *Dum – puellis*, dum te tua inconstantia et perfidia nobilitat. – *deceptis puellis*, circumventis fraude et iureiurando. – *certus*, constans II, 34, 11. – *in – moram*, nunquam inhaeres amori firmiter, nunquam constans in amore

Incipis, et primo lapsus abire gradu.
Haec erit illarum contemti poena doloris:
Multarum miseras exiget una vices.
Haec tibi vulgares istos compescet amores;
Nec nova quaerendo semper amicus eris.
Haec ego non rumore malo, non augure doctus;
Vidi ego: me, quaeso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere iniectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere labris,
Et quae deinde meus celat, amice, pudor.

esse cupis. I, 3, 44. – *Perditus* verbum de amantibus proprium. – *tardis curis*, sero et tardo amore. – *pallescere* pro tardo, sed vero igni tangi, utrumque enim coniunxit noster eleg. 9, 17 seqq.: *Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni.* – 8. *et – gradu*, hoc est, si sensum spectas, et iam aestuas ac misere discruciaris in amoris vota, *insanus medio flumine quaeris aquam*, vid. eleg. 9, 16, et ibi notata; superbiam et inconstantiam tuam vicit Amor, statim factus es servus Amoris et puellae, omnes persentiscis amoris veri dolores. Praeclare Huschkius Anal. Crit. pag. 155, monet imaginem a palaestra esse desumtam, et hanc verbis inesse sententiam: nondum ter deiectus, ab Amore, sed prima vice lapsus abis, et victum te fateris. Satis constat, inquit V. D. lege prohibitum fuisse, ne quis victor haberetur, antea quam adversarium ter deiecisset, qui propterea dicebatur τριαχθῆναι.

9-18. Haec puella ulciscetur omnes illas puellas, quas deseruisti, quarumque dolores et lacrymas, perfide, contemsisti ac delusisti. – 10. Haec una, quam tu iam perdite amas, pro omnibus a te deceptis satis poenarum a te exiget. – *miseras vices*, hypallage, pro miserarum vices. – *vices*, id est poenas, δίκας, ut Virg. Aen. II, 433; Horat. Carm. I, 28, 32; Prop. IV, 4, 58. – *compescet*, coërcebit, cohibebit. – *nova*, novas amicas. – *amicus eris*, du wirst kein Freund mehr davon seyn. – 13. *rumore malo*, maligno, eleg. 5, 26. – *augure doctus*, edoctus, non didici ex auguris divinatione, Tibull. I, 8, 3 seqq. – *teste*, spectatore, ut eleg. 10, 1. – *vinctum*, quum puella daret *collo vincla dulcia* tuo, III, 15, 10, quum te complecteretur. – *iniectis manibus*, nempe collo (Ovid. Met. III, 389: *iniicere sperato brachia collo*) puellae; sermo est de *communibus vinclis*, de amantibus, *quos mutua voluptas vinxit*, ut loquitur Lucretius. Conf. et eleg. 10, 5. – *optatis*, ut Ovid. Met. loco citato *sperato collo.* Vide Obss. – *animam*, vitam, vid. Burm. ad Ovid. Met. VII, 590. – *deponere labris*, iunctis enim et mutuis osculis amantes dicuntur spiritum invicem capere, ducere, vel animas transfundere, miscere. Plato Epigr. apud Gellium XIX, 11: Τὴν ψυχὴν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλε-

Non ego complexus potui diducere vestros:
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Aemonio Salmonida mixtus Enipeo
Taenarius facili pressit amore deus.
Nec sic coelestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit ab Oetaeis gaudia prima iugis.
Vna dies omnes potuit praecurrere amantes:

σιν ἔσχον, ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβεβρωμένη. Meleagr. Anthol. Gr. VII, 1, ep. 15: Ὄλβιον ἴσθ' ὑπ' ἐμοῖς χείλεσσιν χείλεα θεῖσα, Ἀπνευστὶ ψυχὰν τὴν ἐν ἐμοὶ προπίοι. Xenoph. Ephes. I, 9: τὰ χείλη τοῖς χείλεσι φιλοῦντα συνήρμοζε, καὶ ὅσα ἐνενόουν, διὰ τῶν χειλέων ἐκ ψυχῆς εἰς τὴν θατέρου ψυχὴν διὰ τοῦ φιλήματος παρεπέμπετο. Bion. Epitaph. Adon. Τοσσοῦτόν με φίλασον ὅσον ζώει τὸ φίλαμα Ἄχρις ἀπὸ ψυχῆς ἐς ἐμὸν στόμα, κ' εἰς ἐμὸν ἧπαρ Πνεῦμα τεὸν ῥεύσῃ. Petron. cap. 79: *haesimus calentes, et transfudimus hinc et hinc labellis errantes animas.* Id. cap. 132: *Iam alligata mutuo ambitu corpora animarum quoque mixturam fecerunt.* Add. Lucret. IV, 1103.

19–24. *potui*, pro potuissem. – *diducere*, brachia vincta collo divellere. Significantur omnino complexus arctissimi. – *demens furor*, ardor. Furore quodam eiusmodi oscula infigi dixit quoque Aristaenet. I, ep. 16, p. 42: τοιγαροῦν ἐκβακχευθεῖσα τῷ ἔρωτι, ἀνέκλασέ τε πρὸς ἑαυτὴν τὸν αὐχένα, καὶ πεφίληκεν οὕτω προσφῦσα μανικῶς, ὥστε μόλις ἀποσπάσαι τὰ χείλη. – 21. *Salmonis*, Tyro, Salmonei filia, flagravit amore *Enipei*, Thessaliae fluvii, vid. Casaub. ad Strabon. VIII, pag. 157 Paris.; interpp. ad Valer. Fl. I, 83, quod quum Neptunus comperisset, forma Enipei assumta eam vitiavit. Conf. Homer. Odys. Λ, 234 seqq.; Lucian. Dial. Marin. XIII, pag. 320, ibique Hemsterhus, Potter. ad Lycophr. vs. 722; Apollodor. I, 9, 8, ibique Heyne pag. 147, Herrmann Handbuch d. Mythol. B. I. pag. 183 seqq. – *Aemonio*, id est Thessalico; nam Thessalia antiquitus Aemonia dicta. – *Taenarius* est Neptunus, templum habens in Taenaro, promontorio Laconico. Vid. Nep. Vit. Pausan. 4; Mela II, 2. – *facili amore*, putabat enim Tyro se complecti Enipeum amasium suum. – 24. *Herculis amor flagrans Heben*, pro Hercules amore in Heben incensus, Heben amans. – *Hebe*, coelestibus ad cyathum ministrabat, unde et ipsa *coelestis* dicitur in eius locum Ganymedes suffectus, quum eam uxorem duxisset Hercules, immortalibus adscriptus, postquam se in monte Oeta, in confiniis Thessaliae et Macedoniae sito, combusserat. Vid. Apollodor. II, 7, 7; Stat. Silv. III, 1, 23; Sophocl. Trachin. 581 seqq.; Ovid. Met. IX, 130 seqq.; Hesiod. Theog. 950 seqq.; Lucian. Dial. Mortuor. XVI, p. 402; Soph. Philoct. 1415 seqq. – *ab Oetaeis iugis*, post iuga Oetaea, postquam in monte Oeta hominem exuerat, postquam in Oeta arserat, deposita mortalitate, *sensit prima gaudia* nuptiis in coelo celebratis.

25–28. Eleganter tempori tribuit, quod erat hominis, una die potuisti furore, ardore, omnes superare et vincere amantes. – *non tepidas*, sed

Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.
Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus:
Nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
Nec mirum, quum sit Iove digna, et proxima Ledae,
Et Ledae partu, gratior una tribus:
Illa sit Inachiis et blandior heroinis;
Illa suis verbis cogat amare Iovem.
Tu vero, quoniam semel es periturus amore,
Vtere: non alio limine dignus eras.
Quae tibi sit felix, quoniam novus incidit error:
Et quotcunque voles, una sit ista tibi.

flammas spargentes, *subdidit faces*, id est haud tepidos ignes sub pectore sentis, ut loquitur Ovid. Met. XI, 225, te totum illa inflammavit. Perquam significanter scripsit poëta *subdidit faces*, quum antea de Herculis rogo verba fecerit. – *praeteritos fastus*, praeteriti temporis, contemtum amoris constantis. – *succedere*, bene et prospere tibi evenire. – *abduci*, ab alia puella. – *te tuus ardor aget*, praeter puellam ipsam te tuus ardor, amor, aget, diriget. Alii: exercebit, miserum et sollicitum habebit.

29–36. *Iove digna*, quam amet et rapiat. Ovid. Heroidd. XVI, 273: *O Iove digna viro, ni Iove nata fores.* Videtur Propertius laudes et praeconia, quibus Gallus ipse puellam suam ornarat, saltem summam eorum repetere, eique ita salse satis insultare, unde et addit: *et proxima Ledae*, pulchritudine proxime accedat ad Ledam. – *Leda*, Tyndari Laconiae regis uxor, a Iove in cycnum mutato stuprata, Apollodor. III, 10, 7. – *partu*, pro partui, nempe Helenae et Clytemnestrae, filiabus Ledae. Se ipsum quasi corrigens addit *gratior una tribus*, quin et amabilior ipsa Leda, Helena et Clytemnestra, et blandior omnino omnibus *Inachiis* Argivis (nam Inachus primus apud Argos regnavit), graecis heroinis. – 32. *verbis*, blanditiis, illecebris, dictis multo sale et gratia conditis, *ἐπέεσσι μαλακοῖσι* Homer. Il. A, 582; *μειλιχίοις ἐπέεσσι* Odys. α, 392. – *quoniam – amore*, quoniam semel fato destinatus es ad amorem insanum. – *utere* nempe amore, ama. – 34. *non alio limine*, non alia domo, in qua amares, non alia, sed hac tam praeclara domina. – *dignus eras*, die war dir ausgehoben, et his verbis insultasse in Galli amorem poëta videtur, coll. v. 10. – *felix*, benigna, facilis. – *error*, amor. Vid. Heins. ad Ovid. Am. X, 9; Met. X, 342. – *novus*, insolens, nempe stabilis amor, quoniam praeter opinionem evenit, ut unam tantum eamque unice amares. Neque tamen multum Galli constantiae tribuens addit: *et – tibi*, et sit in posterum quoque haec instar omnium, et quasi pro multis millibus una tibi.

## ELEGIA XIV

### AD TVLLVM

Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
 Lesbia Mentoreo vina bibas opere;
Et modo tam celeres mireris currere lintres,
 Et modo tam tardas funibus ire rates;
Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
 Vrgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo valeant contendere amori.

ELEGIA XIV

Scripta ad Tullum in villa sua ad Tiberim sita rusticantem. Amorem divitiis maximis praeferendum esse docet. Est haec elegia inter suavissimas; oratio tersa ac nitida, dilectus rerum colorumque exquisitissimus.

1–4. *Vnda*, in unda, id est ad undam, vid. I, 1, 11; 3, 6; in ripa graminea Tiberis, *in gramine reclinatus* Horat. Carm. II, 3, 7. – *molliter compositus*, Prop. I, 11, 14. – *Lesbia vina*, ab insula Lesbo, pro vino generosissimo quocunque, ut Horat. Epod. IX, 34. – *Mentoreo opere*, subint. *ex*, coll. III, 5, 4, e poculo Mentoris manu fabrefacto, id est poculo pulchro et pretiosissimo. Mentor eximius caelator et sculptor, qui scyphos maxime, scilicet pocula, exquisita arte caelabat; vide Graev. et Ernesti ad Cic. Verr. IV, 18; Ruperti ad Iuvenal. Sat. VIII, 104. – *currere*, de navibus, classe, frequens, ut Valer. Fl. I, 265; Virg. Aen. V, 862; Cic. ad Div. X, 11: sic τρέχειν, vid. Triclin. ad Soph. Ai. 1102, et navem Graeci, ὄχημα, ἅρμα, vid. Kühn. ad Polluc. I. S. 83, §. 8; Gatacker. Obss. Misc. II, 18, et Stanl. ad Aeschyl. Prom. 467, atque gubernatorem ἡνίοχον dicebant. Vid. Muretus Lectt. Varr. I, 11. Caeterum hoc vers. describitur navigatio secundo flumine, vers. seq. adverso. Adverso enim flumine rates funibus trahebantur, vel hominum vel mulorum ope. Ovid. Trist. IV, 1, 8: *Cantat et innitens limosae pronus arenae, Adverso tardam qui trahit amne ratem*; add. Auson. in Mosella vers. 39 sqq.; Davis. ad Caes. B. C. III, 40.

5–8. Et licet omne nemus in villa tua tam alte extollat arbores satas, adeoque cum cura ita ordinatas et educatas ad voluptatem, quantae sunt Caucasi arbores, non tamen etc. BARTH. Sensus in universum: licet divitiis perfruaris maximis, non tamen etc. – *nemus*, sylva amoena, ein Lusthayn; nam memorantur *satae silvae, posito quae surrexerunt de semine*, ut loquitur Virg. Georg. II, 111. *silvas*, id est arbores, dici enim hoc voc. etiam de arboribus singularibus, docuit Barth. ad Stat. Theb. II, 248. – *intendat*, extendat, ut late conspicuum tollant verticem. – *urgetur*, premitur, oneratur, arboribus altitu-

Nescit amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem,
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub aequoribus.
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges,
Quae maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere!
Illa potest magnas heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,

dine et proceritate insiguibus. – *contendere*, cum felicitate amoris mei quasi certamen instituere, nihil sunt ista omnia ad amorem meum. – *nescit cedere*, non cedit amor, non comparandus est cum magnis divitiis, sed his longe maximeque praeferendus.

9–18. Sententiam universe positam egregie per speciales ideas explicat. – *trahit mecum quietem*, totam noctem mecum exigit. Burm. explicat: noctem longiorem facere, extendere, quia nulla amantibus nox satis longa sit, ut vers. seqq. – *ducit diem*, pro producit, vide IV, 6, 85. Sic Herc. Oet. 645: *Vigilesque trahit purpura noctes*, id est longiores et taedio pleniores reddit. – *facili*, benigno et promto. – *illa*, nempe Cynthia, ut eleg. 12, 3. *Pactoli*, vid. ad eleg. 6, 32. – *veniunt sub tecta liquores*, mihi Pactolus fluit, flumen aureum in aedes meas illabitur, tantum auri tunc habeo in aedibus meis, quantum Pactolus fert: ornate, pro, tunc ditissimus, maxime beatus sum. Horat. Epod. XV, 19: *Sis pecore et multa dives tellure licebit, Tibique Pactolus fluat.* – 12. Margaritae et uniones ex Erythraeo mari, hoc est indico, mihi eruuntur. Tibull. III, 3, 17: *Quidve, in Erythraeo legitur quae litore concha*; add. Id. II, 2, 15; IV, 2, 19, ibique Heyne. – 13. Tunc mea gaudia spondent, Reges mihi cessuros, non ausuros mecum contendere de felicitate, felicissimus sum. Exornavit proverbium vulgare, *Rex sum.* Horat. Carm. III, 9, 4: *Donec gratus eram tibi – Persarum vigui rege beatior*, Anacr. XV, 4: Οὐδὲ φθονῶ τυράννοις. Add. Tibull. I, 8, 34. – *dum*, pro donec. – 15. *adverso Amore*, innui h. l. Amorem, contrarium Cupidini, amores resolventem, omniumque calamitatum auctorem, quem graeci ἀντέρωτα nominabant, Eurip. Hippol. 1268: Ἔρωτα μαινομένᾳ κραδίᾳ dixit, docte observavit Huschke Analect. Crit. pag. 45 sq. quem vide. Quod sententiam attinet ipsam, conf. notata ad eleg. 9, 12. – *praemia*, praeda, lucrum, Horat. Epod. II, 36; Tibull. I, 2, 26, h. l. omnino facultates, divitiae. – *dolor*, causa doloris.

19–24. *Arabium limen*, Arabo mar-

Nec timet ostrino, Tulle, subire toro,
Et miserum toto iuvenem versare cubili.
Quid relevant variis serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere.

## ELEGIA XV

### AD CYNTHIAM

Saepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.

more obductum, vid. Plin. H. N. XXXVI, 7, docte pro, intrare domos opulentiorum. – *subire*, irrepere, clam ingredi. – *ostrino toro*, vestibus stragulis Tyria purpura infectis cooperto. Tibull. I, 2, 75: *Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo Prodest, quum fletu nox vigilanda venit? Nam neque tum plumae, nec stragula picta soporem, Nec sonitus placidae ducere possit aquae.* – 21. *versare*, vertere, volutare. Catull. L, 10: *Nec somnus tegeret quiete ocellos, Sed toto indomitus furore lecto Versarer, cupiens videre lucem.* – 22. Quodnam solatium et levamen afferunt vestes stragulae bombycinae, pictae, versicolores? Seres, Scythiae Asiaticae populi, apud quos hae vestes tenerrimae subtilitatis in usu erant. Virgil. Georg. II, 121: *non ulla verebor regna despicere.* Tibull. I, 1, 78: *despiciam dites.* – 24. *Alcinous*, rex Phaeacum opulentissimus, Homer. Odyss. H, 113, Vlyssem hospitio excepit, et multis ac splendidissimis muneribus beavit, unde *munificus* dicitur Ovidio ex Pont. II, 9, 42, et h. l. *munera Alcinoi*, poëtice, pro maximis ac praestantissimis commemorantur.

ELEGIA XV

Nuntiarat Propertius Cynthiae magnum sibi periculum imminere; quo quidem nuntio audito, illa colorem mutarat, et inter lacrymas multas ei fidem ac constantem amorem iuraverat; mox tamen rei oblita, nimii formae cultus aeque studiosa esse pergebat, ut ante fuerat. Conf. vers. 6; add. eleg. 2. Hanc igitur puellae levitatem graviter reprehendit poëta, ita tamen ut neget se unquam eam amare desinere posse. Quodnam periculum Propertius innuerit, certo definiri haud potest, crediderim tamen de itinere Athenas suscipiendo cogitandum esse, coll. eleg. 17; praesertim quum exempla fidei et pudicitiae, quae Cynthiae proposuerit, conf. vers. 10, 19, 21, et eleg. 17, 4, hanc coniecturam quodammodo confirmare videantur.

1–8. *Multa dura*, infra el. 18, 13: *multa tibi dolor hic meus aspera debet.* – 3. *quanto - periclo*, quantum periculum mihi immineat. De itinere

Adspice me quanto rapiat Fortuna periclo;
Tu tamen in nostro lenta timore venis.
Et potes hesternos manibus componere crines,
Et longa faciem quaerere desidia:
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Vt formosa novo quae parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomtis moesta capillis
Sederat, iniusto multa locuta salo.

maritimo, et navigationis periculis haud dubie sermo, coll. eleg. 17, 7, quin et *Fortuna* dicitur aequoris domina, Horat. Carm. I, 35, 6, coll. Pindar. Ol. ιβ', 3 seqq. – *lenta venis*, es tranquilla et secura, non commoveris. Tibull. I, 10, 58: *Inter et iratum lentus utrumque sedet.* Conf. Casaub. ad Sueton. Tib. cap. 57. – *hesternos crines*, recte Vulp. quos hesterno die comseras et ornaveras, qui nunc turbati et disiecti recomponi et repecti postulant. – *componere*, κτενίζειν, cincinnos et gradus eorum reficere. – 6. *faciem quaerere*, est Tibulli I, 8, 11: *succo splendente genas onerare.* Potest tamen etiam *facies* capi de totius corporis habitu et forma, ut apud Macrob. Sat. cap. 13, de Hortensio: *fuit enim vestitu ad munditiem curioso, et ut bene amictus iret, faciem in speculo quaerebat.* Sensus h. l. omnino est, diu desidendo ac praebendo te ornatricibus (vid. Pignorius de servis pag. 191) formam tibi conciliare studes ad excipiendas amatorum blanditias et confabulationes. – *longa desidia*, Tibull. I, 8, 16, *tarda arte.* – 7. *Eois lapillis*, orientis, gemmis, lapidibus pretiosis. – 8. Tibull. III, 4, 31: *Vt iuveni primum virgo deducta marito.*

9-14. *Non sic*, non ita comta et ornata, in eiusmodi ornatu flevit, coll. vs. 11, dolor illius non fucatus, sed sincerus erat et verus. – *Calypso*, quae in Ogygia insula regnabat, ad quam delatus Vlysses, *Ithacus*, per sexennium amore illius potitus (hinc v. 14, *longae conscia laetitiae*) postea tamen eam delusit et deseruit, vid. Homer. Odys. H, 244 seqq.; Prop. II, 21, 13; Ovid. A. A. II, 125 seqq. Eleganter autem Calypsus exemplum Cynthiae ob oculos ponit poëta. Calypso enim amatorem perfidum tantopere lugebat ac deplorabat; Cynthiam contra periculum fidi amatoris parum movebat. – *desertis aequoribus*, *ad* vel *iuxta* aequora navibus deserta, sedem suam alluentia, id est in litore deserto: sic Tibull. III, 6, 40: *flevisti ignoto mari*, pro ad mare, ubi vid. Heyne. – *sederat*, verbum de lugentibus proprium. Vid. Alberti Obss. Sacr. ad Matth. IV, 16. – *iniusto salo*, ita vocatur e sensu Calypsus, mare, cuius ope aufugerat eamque deseruerat Vlysses. – 13. 14. Mens et sententia poëtae haec est: illa, quamvis nunquam posthac visura, dolebat tamen longae conscia laetitiae, dolebat ita, ut praeteritae voluptatis recordatio dolorem aleret

Et quamvis nunquam posthac visura, dolebat
  Illa tamen longae conscia laetitiae.
Alphesiboea suos ulta est pro coniuge fratres,
  Sanguinis et cari vincula rupit amor.
Nec sic Aesoniden rapientibus anxia ventis
  Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
  Vt semel Aemonio tabuit hospitio.
Coniugis Evadne miseros elata per ignes
  Occidit Argivae fama pudicitiae.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
  Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine iam revocare tuis periuria verbis,
  Cynthia, et oblitos parce movere deos.

et acueret. Passerat. minus recte: dolebat quidem, sed levabat dolorem recordatio longae laetitiae.

15–24. *Alphesiboea*, Phegei regis Arcadiae filia, nupserat Alcmaeoni Amphiarai et Eriphyles filio, qui tamen postea, ea repudiata, Callirrhoen Acheloi filiam in matrimonium duxit, ac propterea ab Alphesiboeae fratribus necatus est, quos Alphesiboea in ultionem mariti interemit. Conf. Apollodor. III, 7, 5 seqq.; Ovid. Met. IX, 406 seqq. - *sanguinis cari*, consanguinitatis. – 17. *Hypsipyle*, Lemni regina, Iasonem, Aesonis filium, *Aesoniden*, quem ad insulam cum reliquis Argonautis appulsum hospitio exceperat et amarat (vide Apollod. I, 9, 17; Hygin. fab. 15; Ovid. Heroidd. VI) etiam *absentem*, *a ventis raptum*, ita amare pergebat, *ut nullos post illos sentiret amores*. – 18. *thalamo*, cubiculo. – *tabuit*, amore, amoris tabe consumta est, κατετάκετο Theocrit. Id. VII, 76. - *Aemonio hospitio*, amore Iasonis Thessali, hospitis. Vid. ad I, 13, 21. – *Evadne* vero, Capanei uxor, adeo fida mariti, etiam absentis et mortui fuerat, ut quum corpus ipsius ad Thebas interfecti cremaretur, se in ardentem rogum coniiceret. Vid. Martial. Epigr. IV, 75; Apollod. III, 7, 1; Ovid. A. A. III, 17 seqq. – *miseros ignes*, cum dilectu, ignes enim rogales et per se sunt miseri, et in Evadne inprimis commiserationi apti. – *elata*, exstincta, mortua. – *Argivae fama pudicitiae*, decus et gloria graecarum mulierum pudicarum, maritos constanter amantium. – *nobilis historia*, ut fides ac pudicitia tua ore sermonibusque omnium celebrarentur. Homer. Il. Z, 357: ὡς καὶ ὀπίσσω Ἀνθρώποισι πελώμεθ' ἀοίδιμοι ἐσσομένοισι. Theocrit. Id. XII, 10 seq. Εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες Νῶϊν, ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδή.

25–36. Desine repetere periuria tua, et rursus fidem tuam spondere, ne dii, nimium lenes, tandem per-

Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labantur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices:
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura;
Sis quodcunque voles, non aliena tamen:
Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos saepe mihi credita perfidia est.
Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,
Vt tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere solem?
Nec tremis admissae conscia nequitiae?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?

fidiam tuam ulciscantur. – *revocare*, renovare. Cic. Tusc. I, 1: *studia intermissa revocare.* – *movere*, irritare, ad iram concitare, exasperare, Ovid. Heroidd. XX, 115. – *parce*, pro noli, graec. φείδεσθαι, eodem sensu usurpatur. – 27. Si perfidiam tuam dii, quos tu nimium audax irritas, punient: dolitura recordaberis mei periculi, desidiae perfidiaeque tuae. *Dolere*, interdum quoque cum sexto casu construi, tralatitium est. Sic *doluisti nostro dolore* Virg. Aen. I, 669: *ignominia sua dolituram* Liv. XXXIX, 43. – *inciderit*, acciderit, evenerit, Catull. X, 19, 29 seqq. Egregii versus affectus amoris veritate, et verborum dilectu. Nunquam te amare desinam, omnia alia prius evenient. – *muta*, sine ullo strepitu in mare devolvantur; quod eorum naturae contrarium. – *duxerit* pro egerit. – *inversas vices*, temporum vicissitudines praepostero ordine. – *cura*, amor tui, amor in te meus alio transferatur. – *quodcunque voles*, levis in meo timore vers. 4, formae nimia cultrix vers. 5 seqq. – *aliena*, irata. – *credita*, quia per oculos peierabar. Conf. et I, 1, 1. Imitatus est Ovid. Am. III, 3, 10: *Argutos habuit, radiant ut sidus, ocellos, Per quos mentita est perfida saepe mihi.* Add. Tibull. III, 6, 47.

37–42. Omnia haec egregie ad dolorem et animi aestum. – *Potes*, audes, ut eleg. 13, 14. – *hos oculos attollere contra magnum solem*, ἀντοφθαλμεῖν μεγάλῳ τῷ ἡλίῳ. Eurip. Med. 1327: Καὶ ταῦτα δράσασ' ἥλιόν τε προσβλέπεις, Καὶ γαῖαν, ἔργον τλᾶσα δυσσεβέστατον. Solem enim omnia lustrantem ac videntem, periurii et scelerum vindicem timebant veteres. Vid. Homer. Odyss. Λ, 190; Soph. Trach. 102. – *multos pallere colores*, dich oft zu entfarben. Nam pallor non unius coloris est, unde Aristaenet. Epist. I, 11, pag. 57 Paris. ὑφ' ἡδονῆς παντοδαπὰ χρώματα καθ' ἕκαστον λόγον ἔχειν. – *fletum ducere*, pro *flere*, cum quasi oculis educere et expri-

Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes.
O nullis tutum credere blanditiis!

## ELEGIA XVI

### VERBA IANVAE CONQVERENTIS

Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
Ianua Tarpeiae nota pudicitiae,
Cuius inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrymis humida supplicibus;
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis saepe queror manibus.

mere. – 41. *Queis*, scil. luminibus, quae me fefellerunt. Vulgo male referunt ad blanditias, fraudes, illecebras. – *moniturus* exemplo, et verbis quae sequuntur. Similis locus Tibull. III, 6, 43 seqq.: *Vos ego nunc moneo: felix, quicunque dolore Alterius disces posse carere tuo.* – 42. Tutum est, neque iuriiurando, neque pallori, nec lacrymis foeminarum nimium credere. Conf. eleg. 9, 30.

Elegia XVI

Tarpeiae, Sp. Tarpeii, arcis Capitolinae sub Romulo quondam custodis ac praefecti filiae, domum prope Capitolium vetustate collapsam, eo tempore, quo hanc elegiam (quam nobile, argutum, aureum carmen, non immerito nominat Broukhusius) Propertius scripsit, inhabitabat puella quaedam infamis et impudica. Huius ergo ianuam salse satis, de amissa pristina dignitate, ac praesenti turpitudine sua conquerentem inducit poëta. Monuerunt quidem interpretes nonnulli, non posse v. 2 Tarpeiam Vestal. intelligi, quum eam Prop. IV, 4, impudicam descripserit; sed Tarpeiam tanquam Vestalem, Tatii quidem Sabinorum regis amore captam, sed h. l. moechae oppositam, commode poëta *pudicam*, vid. interprett. ad Terent. Andr. I, 5, 39, nominare potuit, nec tam Tarpeia impudicitiae, quam potius proditionis IV, 4, incusatur.

1 - 8. *patefacta triumphis*, significantur domini illius ianuae triumphantes, et e Capitolio suas in aedes redeuntes et invecti. — *Tarpeiae pudicitiae*, pro pudicae, i. e. Vestalis. — *celebrarunt*, quam nobilem reddiderunt. — *inaurati currus*, currus triumphales, auro et ebore ornati, v. Scheffer. de re vehicul. II. 13, p. 173 sqq.; commemorantur omnino docte pro pompa triumphali. — *captorum – supplicibus*, eleganter, pro lacrymis captivorum supplicum. Compara Albinovan. Consolat. ad Liviam I, 271 sqq. – *saucia*, laesa, *pulsata*, ut ipse Prop. explicat. Sic *malus saucius* Hor. Carm. I, 14, 5: ubi vid. Mitscherlich.

Et mihi non desunt turpes pendere corollae
  Semper, et exclusi signa iacere faces.
Nec possum infamis dominae defendere noctes
  Nobilis obscoenis tradita carminibus.
Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
  Turpior et saecli vivere luxuria.
Haec inter gravibus cogor deflere querelis
  Supplicis ah! longas tristior excubias.

Ovid. Rem. Am. 31: *Effice nocturna frangatur ianua rixa.* — 7. *non desunt pendere*, pro semper pendent. Solemnis taedarum corollarumque in comissatione mentio. Antiphanes ap. Athen. VI, 10: *ἐπὶ κῶμον, εἰ δοκεῖ, ἴωμεν, — δᾷδα καὶ στεφάνους λαβόντες·* amatores autem comissabundi corollas capiti detractas amicarum ianuis appendere solebant. Lucret. IV, 1171: *At lacrymans exclusus amator limina saepe Floribus et sertis operit, postesque superbos Vngit amaracino et foribus miser oscula figit.* Add. Tibull. I, 2, 14; Catull. LXIII, 66. — *turpes corollae*, quum prodant impudicitiam dominae. — *exclusi* amatoris *signa faces*, sermo est de facibus extinctis, quas non intromissi amatores proiicere solebant ante ostium, unde mane praetereuntes impudicam illic habitare cognoscebant. Vid. Pers. Sat. V, 165.

9-11. Sunt qui *infamis* et *dominae* coniungant, ita, ut sint genitivi; sed magis poëtice *noctes* dicuntur *infamis*, antiqua horum accusativorum terminatione, scilicet *infames*, ut *dominae* sit tertius casus; cum quo casu etiam *defendere* construitur. Virg. Ecl. VII, 47: *Solstitium pecori defendite*, pro a pecore prohibete. Horat. Carm. I, 17, 3: *Faunus igneam defendit aestatem capellis*, ubi vid. Mitscherlich. Sic h. l. non possum a domina mea infames noctes avertere, propulsare, nam ipsa famae suae non parcet. Etenim *defendere*, ut *ἀμύνειν*, notat quoque arcere, propulsare, *ἐκ ποδῶν ποιεῖσθαι*. Cic. pro Mil. c. 4: *cum vi vis illata defenditur.* Valer. Maxim. VI, 5, 2: *cuius armati periculum vulneribus et sanguine suo defenderant.* Vid. quos in hanc rem laudavit Daumius ad Catonis Disticha pag. 77 sq. ed. Arntzen. — *nobilis*, malo sensu, quasi noscibilis. — *tradita*, divulgata. — *obscoenis carminibus*, significantur carmina vel ad ianuam decantata, Pers. Satyr. V, 165: *dum Chrysidis udas Ebrius ante fores extincta cum face canto*; vel literis mandata et ianuae affixa, Ovid. Am. III, 1, 53, ubi elegia loquens inducta dicit: *Ah quoties foribus duris incisa pependi, Non verita a populo praetereunte legi.* — 11. Nec tamen potest revocari, et eo reduci, ut famae suae consulat, nec vivat turpior hominibus huius aetatis corruptissimis, turpior ipsa seculi sui luxuria.

13-16. *Haec inter*, interea, dum domina intus turpiter ac licenter vivit. — *querelis*, scilicet *in*, i. e. inter graves querelas. — *supplicis*, amatoris exclusi, qui in me modo minas iacit, modo mihi blanditias dicit. Solebant enim amatores exclusi ante fores amicarum cantilenas amatorias canere, in quibus et ianuam ipsam alloque-

Ille meos nunquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia:
« Ianua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur nunquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Tristis et in tepido limine somnus erit?
Me mediae noctes, me sidera prona iacentem,
Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.

bantur. Haec carmina dicebantur *παρακλαυσίθυρα* a fletu ad ianuam. Vid. Sagittar. de ianuis vett. c. 37; Casaub. ad Persium p. 454; Kuster. ad Aristoph. Eccles. vs. 954. Huius generis carmina sunt: Horat. Carm. III, 10; Theocrit Idyll. XXIII: Tibull. I, 2; Ovid. Amor. I, 6; Horat. Carm. I, 25, 7; Catull. LXVII. Eiusmodi cantilenam etiam sqq. versus continent. – *tristior*, ego ipso amatore excluso tristior. – *longas excubias*, quum nimirum nunquam postes mei requiescant, nocte qualibet intus domina Veneri pervigilium solvat, et amator exclusus limina mea corollis et floribus operiat, ac cantilenas canat. Constructio: inter has graves querelas supplicis, ego ipso longe tristior, deflere cogor longas excubias. – *arguta blanditia*, ingeniose blanda. *Argutus*, ingeniosus, indicat solertiam, ingenii acumen et sales in loquendo. Cic. in Bruto c. 17: *Quis illo – in sententiis argutior?* Auct. dial. de Oratore c. 20: *argutam et brevem sententiam.* Voc. autem *blanditia*, scilicet *blanditiae*, usurpatur quoque de sermonibus amatoriis, quibus puellae animum quis aggreditur, Tibull. I, 2, 91.

17 — 24. Iam incipit ipsa cantilena amatoria. – *taces*, non verso stridorem cardine reddis. – *reserata*, aperta. – *admittis* ( oppos. *excludere* ) *meos amores*, me amantem. — 20. Nescia moveri, et preces meas, quas clam et furtim facio, *furtivas*, ad dominam perferre, eas *reddere*, coll. vs. 27. Variis coloribus exornatur praeclare notio haec: ianua clausa. – *tristis somnus*, acerbus nempe amatoris exclusi et contemti, coll. et vs. 24. – *tepido limine*, cum dilectu *tepido*, nempe tundendo et incubando tepefacto, ut Catull. LXIII, 65: *Mihi ianuae frequentes*, *mihi limina tepida*, ubi vid. Doering. – 23. Tria tempora distinguuntur, *media nox*, *μεσονύκτιον*; *sidera prona*, nempe in occasum, tempus post *μεσονύκτιον*, quum sidera polo declivi prona, brevi merguntur, veniente lucifero; et crepusculum matutinum, i. e. *frigida aura Eoo gelu* sc. existente, matutina pruina. Ita poëtice tota nox significatur. – *mediae noctes*, ex imitatione Graecorum, *μεσῶν νυκτῶν*, licet de una nocte agatur, vid. Dorville ad Charit. pag. 632. et Obss. Miscell. tom. I, p. 132. – *me sidera prona iacentem*, respicere Burmanno videtur ad paroemiam, scil. formulam, qua carmen paraclausithyrum finire solebant cantantes amatores, *κισσῶν γε κίσσομαι*, ut caprarius ad

Tu sola humanos nunquam miserata labores
  Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam traiecta cava mea vocula rima
  Percussas dominae vertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
  Sit licet et ferro durior et chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
  Surget et invitis spiritus in lacrymis.
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto;
  At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei, tu maxima causa doloris,
  Victa meis nunquam, Ianua, muneribus.
Te non ulla meae laesit petulantia linguae,
  Quae solet ingrato dicere turba ioco.

antrum Amaryllidis iacens cantum finit ap. Theocrit. Id. III, 53: *Κνισῶμαι δὲ τισών.* *Eoum gelu*, est matutina pruina, vel matutinum gelu, ut Graecis ἠῷος simpl. est matutinus. Vid. Dorville l. c. – *dolet*, sensum dolendi, scilicet miserandi rebus quoque inanimatis tribui pervulgatum est. Virgil. Ecl. X, 15 etc.

25 — 34. *Labores*, curas, aerumnas, dolores. – *respondes – cardinibus*, silentium est tua responsio, aeque tacita es ac cardines tui. Hoc ut poëta extulit. *Respondere mutua*, ut *mutua flere* El. 5, 30. – *traiecta*, transmissa, penetrans per rimam. Eurip. Hippol. 587: *διὰ πύλας ἔμολεν, Ἔμολέ σοι βοά.* – *percussas*, nempe voce. – *vertat*, pro vertatur, l. se vertat, ut Liv. IX, 38: *fama adversae rei vertit in Romanos.* Caes. B. C. III, 73: *Quod si esset factum, detrimentum in bonum verteret.* — 29. *saxo Sicano*, intelligitur vel Aetna, Siciliae mons; Sicilia enim Sicania dicta, a Sicanis, Hispaniae incolis, qui in Siciliam coloni venere, Virgil. Aen. V, 293; Sil. Ital. XIV, 34: vel scopuli Siculi Cyclopum, de quibus Virg. Aen. I, 205; Plin. H. N. III, 8; ita ut sit per enallagen numeri *saxo Sicano* dictum pro saxis Sicanis. - *patientior*, durior. Ovid. Am. I, 15, 31: *dens patientis aratri.* – *compescere*, coërcere, cohibere a fletu. – *surget – lacrymis*, inter lacrymas suspirabit, et lacrymabitur, licet invita. – *spiritus*, pro suspiritus, ut Hor. Epod. XI, 10; Prop. II, 29, 37. – *Zephyrus*, pro quocunque vento, ut Catull. LXIV, 271. – *cadunt*, quae irrita effectu carent. Ov. Heroid. XV, 208: – *et Zephyri verba caduca ferunt.*

35 – 48. *Muneribus*, precibus, blanditiis, carminibus, coll. vs. 40, unguentis. – *quae solet*, iis verbis quae solet dicere. – *turba*, praetereuntes, qui vident pendentes corollas, carmina *foribus duris incisa* (Ovid. Am. III, 1, 53) et faces in limine abiectas, signa exclusi praeterita nocte amatoris, coll. vers. 7, 8. – *ingrato ioco*,

Vt me tam longa raucum patiare querela
  Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
  Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuas quoties verti me, perfida, postes,
  Debitaque occultis vota tuli manibus? »
Haec ille, et si quae miseri novistis amantes,
  En! matutinis obstrepit alitibus:
Sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
  Fletibus, aeterna differor invidia.

nempe ianuae et dominae. Conf. Obs. 40. Vt patiare me raucum longa querela, et sollicitum, in trivio longam, insomnem ducere noctem. – *deduxi carmina*, docte pro cecini, metaphora desumta a lanificio, a lana in filum deducta. – *novo versu*, non vulgari et tralatitio; carmina quae ipse composui. – 42. *Osculaque – gradibus*, per hypallagen dictum accipiunt, pro oscula fixi et impressi gradibus ipse genu nixus, ergo *oscula nixa*, quae quis ipse genu nixus figit; vid. Obss. Mos limina osculandi notus. – *vota*, corollae, serta. Nam *votum* saepius de re ipsa dicata, Virg. Aeneid. III, 279: *Lustramurque Iovi, votisque incendimus aras*, pro impositum thus et victimam. – *occultis manibus*, eleganter pro ipse occultus, λαθραῖος, clam, furtim. – 45. *quae novistis*, quae alia huius generis dici cantarique scitis. – *obstrepit*, cum avibus matutinis canit, eas interpellat. Per *aves matutinas*, gallos, lucis nuntias aves, intelligo. Etenim colorem noster duxit ex Theocrito Idyll. VII, 123: Μηκέτι τοι φρουρῶμες ἐπὶ προθύροισιν, Ἄρατε, Μηδὲ πόδας τρίβωμες· ὁ δ' ὄρθριος ἄλλον ἀλέκτωρ Κοκκύσδων νάρκαισιν ἀνιηρῇσι διδοίη. – 47. *vitiis*, luxuria, libidine vs. 12, et perfidia. – *invidia*, odio, ut Ovid. Fast. II, 848; Liv. III, 43. – *differor*, distrahor, infamor, dominae vitia et perpetui amantium fletus me odiosam reddunt. Petron. c. 10: *per totam urbem rumoribus different nos mille causae*; ubi vid. Burm.

## ELEGIA XVII

### AD CYNTHIAM, DE MARIS TEMPESTATE

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
  Nunc ego desertas alloquor Alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam;

Elegia XVII

Cynthiae difficilis ac durae mores quoniam pervincere Propertius non potuerat, coll. vs. 15, ut se amoris morbo liberaret, ad anceps remedium confugerat, et iter longinquum, ut videtur, Athenas (III, 21) susceperat; cf. I, 1, 29 seqq. Sed experientia edoctus cognoverat, fuga amorem non minui posse nec tolli. Hinc adversa tempestate in mari iactatus, in hac elegia se ipsum accusat, merito se hac calamitate premi profitetur, sortem suam luget, et naufragium a se deprecatur. In media vero navigatione hanc elegiam scripsisse se fingit Propertius, more poëtarum solemni. Animi motus et affectus, quos haec elegia vividissimis coloribus depingit, apprime respondent praeclarae tempestatis et periculi, in quo poëta versabatur, descriptioni. Caeterum eandem Propertii fugam, de qua haec elegia agit, respicere quoque videntur el. 1, el. 15; lib. III, el. 21; lib. I, el. 17, et hoc ipso ordine, mea sententia, hae elegiae scriptae sunt.

1 – 4. In mediam rem lectorem rapit. – *et merito*, abruptum elegiae initium, dolorem et animi aestum egregie exprimit. – *potui*, ausus sum (ut el. 15, 37) relinquere Cynthiam. – *Alcyonas*, sermo est de procella et tempestate in mari orta, coll. vs. 7. Itaque invocat *Alcyonas desertas*, aves querulas et solitarias, *quae mare placidum reddere credebantur*, inprimis quum ovis incubabant; cf. Ov. Met. XI, 745 sqq. Aves illae a poëtis in exemplis amoris perpetui fideique coniugalis numerantur. Etiam Prop. h. l. eas commemorat fabulam ipsam respiciens. Nempe quum Ceyx naufragio periisset, Alcyone coniux ipsius moerore consumta, *superis miserantibus* (Ovid. l. c. vs. 741) in volucrem, alcedinem mutata est, una cum marito, cuius mortem deplorarat. Cf. Gierig. ad Ovid. Met. XI, 410, et quos ibi laudavit. Iam poëta exprimere voluit notionem simplicem hanc: nulla stella apparet, coelum non est serenum, est nubibus atris obductum, ne vestigium quidem stellae conspicitur. Commemoravit igitur *Cassiopen*, sidus clarum et lucidum fulgens, pro quovis alio sidere lucido, ut simul tecte carperet Cynthiae superbiam, et nimium placendi studium, coll. el. 15, 9 sqq. Nempe Cassiope Cephei uxor formosa et superba, formositati suae nimium confisa, se Nereidibus praetulerat. Vid. Hygin. fab. 64; Ovid. Met. IV, 737 sqq. Heyne ad Apollod. p. 305: quare Nymphae iratae Neptunum rogarunt, ut Cephei regionem diluvio et monstris marinis vastaret, a qua calamitate Cepheus, monente Iove Ammone, liberari non poterat, nisi An-

Omniaque ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti.
Adspice quam saevas increpat aura minas.
Nullane placatae veniet Fortuna procellae?
Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas,
Sat tibi sit poenae nox et iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis?

dromeda filia ipsius, scopulo alligata, ceto obiiceretur. Ovid. l. c. 669 sq. Perseus vero, monstro trucidato, virginem liberavit. – *solito*, ex solito, ut solet, more solito, tanquam sidus lucidum. Sic *solito* legitur quoque Ov. Fast. V, 547; Senec. Agam. 715. Plenius Martialis dixit, *hibernos peterent solito cum more recessus*, Epigr. V, 68. – *ingrato*, surdo IV, 11, 6; vel inhospitali. – *cadunt*, effectu carent, ut el. 16, 34.

5—8. Etiam tibi absenti favent venti, sunt mihi adversi, imprecationibus tuis hanc calamitatem debeo. – *adspice*, en! magno cum stridore minatur ventus naufragium et interitum. Colorem duxisse videtur Propert. ex Archilochi dicto apud Plut. T. II, pag. 169, et Heraclid. Allegor. Hom. p. 412: Γλαῦκ', ὅρα, βαθὺς γὰρ ἤδη κύμασιν ταράσσεται πόντος. Vid. Pierson. Verisim. II, 10. – *aura*, αὖρα, pro vento etiam vehementiore, Virgil. Ecl. IX, 58. Vid. Drakenb. ad Sil. IX, 501. – *placatae*, pro placandae. Nunquamne Fortuna placabit hanc tempestatem? – *nulla*, pro non, ut saepius. Fortuna poëtis, Horatio et Virgilio, venire et abire dicitur. Fortuna commemoratur tanquam aequoris domina, vid. ad 15, 3. Caeterum similis locus Catull. LXVIII, 63 sq. *Ac veluti nigro iactatis turbine nautis Lenius adspirans aura secunda venit.* – 8. *haeccine parva arena*, respicit litus, quod vs. 4 *ingratum* nominarat. Est autem h. l. tenenda veterum navigandi ratio, qui litora tantum legebant. – *parva arena* naufragi corpus teget. Vid. Horat. Carm. I, 28, 24. – *funus*, cadaver, corpus mortui, ut IV, 11, 3: vid. Burm. ad Valer. Fl. VII, 643, et ad Quinct. Decl. XII, 26, h. l. naufragi.

9 - 12. Iam poëtice absentem puellam, tanquam praesentem obsecrat, ut imprecationes in melius convertat. - *saevas querelas*, imprecationes; apposite, quum antea *saevas* vocarit aurae minas. - *in melius*, εἰς ἀγαθὸν, ut Tibull. III, 4, 95. Sensus: desine imprecari, et vota potius pro salute mea facias. – *nox*, tempestas, Prop. III, 11, 5. Virg. Aen. I, 89: *ponto nox incubat atra.* – 11. *An - ocellis?* Sensus: num poteris tibi naufragium meum ante oculos ponere, ita, ut sicci maneant, nec madescant? Tralatitium enim est, verba ex *re* composita saepius habere vim verborum simplicium, ut Sueton. August. 42: *populo congiarium promissum reposcenti*, pro poscenti; add. Horat. Carm. I, 9, 6; vid. Donat. ad Terent. Andr. III, 2, 28; Serv. ad Virg. Aen. X, 766; Ernest. ad Sueton. Aug. c. 79; et Fischeri Animadv. ad Welle r. Vol. III

Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah! pereat quicunque rates et vela paravit
Primus, et invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit levius dominae pervincere mores?
(Quamvis dura, tamen rara puella fuit)
Quam sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere, et optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Vltimus et posito staret amore lapis:
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter et tenera poneret ossa rosa:

P. II, p. 165; ubi plura hanc in rem exempla protuli. Sic h. l. *reponere* legitur pro simplici ponere, ita tamen ut idem sit quod *praeponere*, ut ap. Liv. XLI, 23: *in Romanos odii regnum posuerat praemium*, i. e. proposuerat. Contra Waardenburgius Obss. in Tibull. et Prop. (Lingae 1797) *reponere* dictum putat pro *retro* quasi *ponere*, *seponere*, ut *reponere*, *seponere odium*, *dólorem* etc. ut adeo *mea fata reponere*, idem sit quod interitum meum non curare, ἀμελεῖν apud Sophocl. Electr. 237. *Ossaque — sinu?* num te mihi ossilegii praestare officium non posse, aequo animo feres? Tibull. I, 3, 5 sqq. *Abstineas, Mors atra, precor; non hic mihi mater, Quae legat in moestos ossa perusta sinus.*

13 — 18. Periculi metu pressus ac perturbatus, exsecratur eum, qui primus navigavit. Similes loci Catull. LXVI, 48; Tibull. I, 10, 1; 4, 59; Horat. Carm. I, 3, 9; ubi vid. Mitscherlich. et Burm. ad Lotich. III, 29, p. 556 sqq. — *invito gurgite*, ut *invito mari* IV, 6, 48; quum undae maris tumidae navigantibus resistere videantur. — *mores*, fastum, superbiam, morositatem. Similis locus Virgil. Eclog. II, 14: *Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras, Atque superba pati fastidia?* — *rara*, eximiis corporis ingeniique dotibus ornata, eleg. 8, 42. — *ignotis* — *silvis*, pro ignota litora circumdata silvis; indicat litora regionum ipsi ignotarum silvis vestita. — *et* — *Tyndaridas*, et quaerere frustra sidus, quod navi nocturna tempestate deprensae subveniat, et naufragio eam eripiat; hinc *optatos Tyndaridas*, cum dilectu, nam Tyndaridae, *lucida sidera*, *fratres Helenae* Horat. Carm. I, 3, 2, Castor et Pollux, nautis propitii, dii σωτῆρες, Horat. Carm. IV, 8, 31; Catull. LXV, 63 sqq.

19 — 24. *Illic*, nempe Romae, *sepelissent dolorem*, poëtice, pro me dolentem et miserum, ut eleg. 18, 13. — *ultimus lapis*, columna sepulcralis, cippus, nihil amplius. — *posito amore*, pro amatore, vel amatori reposito, sepulto; ut paulo post *funere* pro funeri. — *Ponere*, verbum sepulcrale, ut Ovid. Fast. V, 480; Lucret. III, 884: *putrescat corpore posto.* Idem ergo valet, quod *reponere* Virg. Aen. VI, 665; vid. Taubman. ad Virgil.

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
   Vt mihi non ullo pondere terra foret.
At vos aequoreae formosa Doride natae,
   Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
   Mansuetis socio parcite litoribus.

Aen. VI, 220. – *staret*, verbum de statuis proprium; vid. Burm. Anthol. I, 63, 10. – 21. *caros crines*, significanter! caros Cynthiae, in quibus excolendis multum curae adhibere solebat, cf. el. 15, 5, eleg. 2, 2; pingit hoc epitheton amorem ac desiderium Cynthiae. Solebant autem veteres crines secare, iisque rogum, aut sepulcrum propinquorum, amicorumque conspergere; vid. Homer. Il. XXII, 235; 141; Eurip. Electr. 90; Callim. hymn. in Dian. 126, ibique interp.; Kirchman. de Fun. Rom. II, 15. – *tenera rosa*, scil. *in*. Prope tumulum, et in urna ac sarcophago sternebantur flores, rosae inprimis. Vid. Mollus ad Long. Pastor. p. 33; Kirchman. l. c. IV, 2, 3. – *extremo pulvere*, est cinis in urna conditus. – *pulvere*, pro pulveri, ut vs. 21. – *funere*, pro funeri. – *meum nomen clamasset*, discedens clamasset: *o amor noster Properti vale!* vid. Theocrit. Idyl. XXXIII, 44; vel *iaces*, Catull. CI, 10, vel *in perpetuum have atque vale!* vid. Ovid. Fast. IV, 852; his enim formulis ter corpus compositum affari solebant discedentes; vid. Homer. Odyss. I, 65. Virgil. Aen. III, 67; VI, 505; Kirchman. l. c. III, 9. — *Vt mihi*, repete clamasset: *Sit tibi terra levis*, quae solemnis erat formula; vid. Tibull. II, 4, 49.

25 — 28. Ornati versus. – *Doris*, Oceani et Tethyos filia, maris dea, Nerei uxor, Nereidum mater, Virgil. Aen. III, 74; Apollodor. I, 2, 7. – *candida vela*, prosperi cursus et secundae fortunae indicium. Vulgarem sententiam, felicem cursum praebete! suavissimo phantasmate poeta explicat; chorus Nympharum cingit navem, tempestas conticuit, vela antea humida, nunc candescentia solvuntur. Fortassis e nobili pictura desumsit poëta imaginem. – 27. Si unquam amastis, mei quoque amantis, adeoque socii vestri (el. 5, 29) vos misereri aequum est. Hanc sententiam exquisita arte adornavit poëta: si unquam Amor, coelo delapsus in mare (*labi* etiam de volatu usurpatur Virg. Aen. III, 225, 243) vos suo igni contigit. – *mansuetis litoribus*, ita ut litora mansueta, placata, et mare tranquillum reddatis.

## ELEGIA XVIII

### LAMENTATVR SOLVS

Haec certe deserta loca, et taciturna querenti,
  Hoc vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
  Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Vnde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
  Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
  Nunc in amore tuo cogor habere notam.

**Elegia XVIII**

In deserto et umbroso loco Cynthiae superbiam, levitatem ac saevitiam saxis et silvis queritur, et cum iis suos dolores communicat; constantiam ac fidem suam praedicat, se ab omni culpa liberum profitetur, neque unquam amorem suum erga Cynthiam se depositurum esse, spondet. Elegantissimum carmen, et ad amicae animum permovendum aptissimum. Tenerrimum amoris sensum exprimit, et elocutionis suavitate, ac simplicitate, mirifice sese commendat.

1—8. Elegans amoris timidi descriptio! nonnisi ad inanima et deserta saxa audet queri, et tamen ne vel ab his Cynthia resciscat, timet. – *taciturna querenti*, fidelia querenti, quibus tuto arcana et querelas concredere possis. – *vacuum*, nempe incolis, unde eleganter addit poëta, non nisi *Zephyri aura possidet*, i. e. tenet, dominatur, ut Horat. Carm. III, 10, 3: *aquilonibus incolis*, scilicet Scythiae, i. e. perpetuo spirantibus. Lucan. II, 454: *Vt cum mare possidet Auster Flatibus horrificis*; vid. Burm. ad Petron. c. 114. Vacuum Zephyri tenet aura nemus, tristis idea, animo moesto apprime conveniens. – *proferre impune*, aperte, et sine ullo periculo, Cynthia non audiente. – *sola saxa*, solitaria, deserta. Vid. Heins. ad Ovid. Met. XIV, 681; Lennep. Animadv. ad Coluth. I, c. 7. – *fidem*, silentium, ut el. 10, 14. Notum proverbium, etiam *saxa loquuntur*; vid. Iuvenal. Sat. IX, 103, 5. Comparant Homer. Odyss. I, 14: Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; Theocrit. Idyll. II, 64 sqq. Νῦν δὴ μούνη ἐοῖσα πόθεν τὸν ἔρωτα δακρύσω; Ἐκ τίνος ἄρξωμαι; – *flendi principium*, querelarum initium. Tanta est querelarum mearum copia, ut, unde incipiam, equidem prorsus nesciam. – *habere notam*, qui a Censore notabantur, movebantur v. c. senatu, tribu etc. ergo in amore notam habet, qui ex animo pellitur, neque amatur amplius. Barth. vid. Burm. ad Phaedr. I, 9, 11.

Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
An nova tristitiae causa puella tuae?
Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet;
Non ita saeva tamen venerit ira mea:
Vt tibi sim merito semper furor, et tua flendo
Lumina deiectis turpia sint lacrymis.
An quia parva damus mutato signa colore;
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, et Arcadio pinus amica Deo.
Ah, quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur et vestris *Cynthia* corticibus!

9–16. *merui*, h. l. in malam partem, peccavi. Vid. Heyne Obss. ad Tibull. II, 4, 5. – *crimina* a me commissa. – 11. Vtinam (Horat. Carm. I, 3, 1) mihi ita *levis*, amica, propitia, benigna (v. Burm. ad Valer. Fl. II, 323) esses, ut certum est, nullam puellam formosam meas ingressam esse aedes. – *limine*, pro limini, v. III, 11, 40. – *dolor meus*, docte pro ego dolens. – 14. Non tamen ira mea adeo saeva venerit, sit, erit, ut te relicta aliam amem, teque tantopere offendam, ut merito mihi gravissime irascaris. – *furor*, i. e. causa furoris; – *semper furor*, perpetui furoris et odii causa. – *turpia sint*, corrumpantur, deformentur. Tibull. II, 6, 43: *Nec lacrymis oculos digna est foedare loquaces*. Add. Ovid. Am. III, 6, 57. – *deiectis lacrymis*, lacrymas iacere, ut iacere verba, querelas. Vid. Gron. ad Tacit. Ann. I, 10.

17 — 22. An propterea mentem tuam mutasti (v. 9), me non amplius amas, quia *mutato colore*, i. e. pallore, meum amorem non satis significo? quia vultum meum non perpetuus pallor occupat? Pallor oris, nostro aliisque poëtis eroticis, signum amoris manifestum, vid. I, 1, 22. – *Et – fides*, et quoniam non semper de fide mea loquor? hanc explicationem, vs. 22, flagitat. Alii male, quia vultus fidem meam in te non manifestat. – 19. Elegans ad arbores apostrophe. *testes*, fidei et amoris mei: testimonium mihi vestrum non denegabitis. – *si – amores*, si verum est, quod vulgo fertur, ipsas arbores sensu amoris non carere. Respicit Hamadryadas. (vid. eleg. 20, 32). – 20. *Arcadius Deus*, Pan, Virg. Eclog. X, 26; cuius amica Pitys, ab invido Borea, solo allisa, Terrae miserantis beneficio, in pinum arborem mutabatur; vid. interprett. ad Claudian. R. P. I, 203. Geopon. XI, 11. – *teneras umbras*, molles. Graec. ἁπαλός, mollis, tener. Theocrit. Id. XXIX, 25: *περὶ ἀπαλῶ στόματος*, *circa tenerum os*; et arbores dicuntur *tenerae* Virg. Eclog. X, 54.

Ah, tua quot peperit nobis iniuria curas,
  Quae solum tacitis cognita sunt foribus!
Omnia consuevi timidus perferre superbae
  Iussa, neque arguto ficta dolore queri.
Pro quo, devexi fontes, et frigida rupes,
  Et datur inculto tramite dura quies,
Et quodcunque meae possunt narrare querelae,
  Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscunque es, resonant mihi *Cynthia* silvae,
  Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

Theocrit. Id. XV, 113: ἁπαλοὶ κᾶποι, molles hortuli. Et *umbra* dicitur *mollis* Virg. Georg. III, 364. Est autem h. l. sermo de umbra pinus et fagi. Caeterum de more amicarum nomina arborum corticibus inscribendi, vid. Theocrit. Id. XVIII, 47; Virg. Georg. I, 16; Lucian. Tom. II, p. 416: πᾶς μαλακοῦ δένδρου φλοιὸς Ἀφροδίτην καλὴν ἐκήρυσσεν.

23 – 32. *iniuria*, superbia et saevitia. – *quae*, iniuria et curae. – *tacitis foribus cognita*, ex his verbis apparere videtur, Propertium a Cynthia exclusum fuisse, et querelas ipsius audivisse ianuam tacitam, i. e. clausam, coll. el. 16, 26. – *arguto dolore*, clamoso, sonoro, stridulo; non divulgabam meos dolores. – 27. Al. *divini*. Al. *di vivi fontes*. Vid. Obss. *devexi fontes*, ex altis montibus cum impetu decurrentes, hinc etiam *devexis fontibus* iungitur *frigida rupes*. Nam fontes et amnes ex altis montibus proni, circumquaque terram refrigerant et aërem; praeterea etiam vehemens strepitus continuus, et sonus idem, monotonia, animi tristis tristitiam augent. – *Devexus*, καταφερής, sic *amnis devexus* Virg. Georg. IV, 293. – *datur* referri debet ad *fontes*, *rupes*, et *quies*; etenim verbum in singulari saepius duobus pluribusve substantivis respondet, vid. Horat. Carm. I, 3, 1 sqq. Cortius ad Sallust. B. C. 25. Fischerus Animadv. ad Weller. Tom. III, P. 2, p. 61. – *inculto tramite*, aspero, horrido, utpote in locis desertis, vs. 1, in rupibus et saxis. Tiball. I, 2, 74: *et inculta sit mihi somnus humo*. – 30. *argutas*, canoras, λιγυράς. – *nec – vacent*, praeclare Hemsterhus. desertae atque aviae rupes tuum nomen, saepius a me ingeminatum, reddant ac repercutiant. – *qualiscunque*, licet sis perfida et aspera.

# ELEGIA XIX

## AD CYNTHIAM

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, manes,
Nec moror extremo debita fata rogo.
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leviter nostris Puer haesit ocellis,
Vt meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides iucundae coniugis heros,
Non potuit caecis immemor esse locis:

Elegia XIX

Cynthiae pollicetur ac spondet, se eam etiam post fata amaturum esse, atque mortem se timere negat, dummodo Cynthia quoque mortuum amore suo prosecutura sit; interim tamen, quum nondum mortis advenerit hora, vita vero brevis sit, amori indulgere et gaudia carpere suadet puellae. Et haec elegia nobilissimis accensenda.

1 – 6. *manes*, animae hominum mortuorum a poëtis saepius pro cinere et ossibus atque ipsa morte commemorantur, sed h. l. per *manes* significatur regnum umbrarum, ᾅδης, locus in quo manes versantur, ut Virg. Aen. IV, 387; Georg. I, 243. – *tristes*, epith. rerum inferarum solemne. – *nec moror*, nec curo. – *fata*, pro cadavere, mortuo, meum corpus, *debita*, destinatum esse. – *extremo*, epith. ornans. Notio simplex: me non terret rogus. – *mihi funus*, meum funus, ego mortuus, funeratus; vid. eleg. 17, 21; Liv. II, 47; ne me mortuum amare desinas, mei obliviscaris. – *durior exequiis*, ipsa morte acerbior. – *durior*, ut *duri dolores* Virg. Aen. V, 5; *duras immittere curas* Id. Aeneid. IV, 488. – 5. Vulgarior ratio ferebat: meus amor fidus et constans est, nec cinis factus te amare desinam; sed multo exquisitius dixit: *Puer*, Amor, *non leviter* etc.

7 – 10. *Illic*, nempe *caecis locis* vs. 8; coll. vs. 1, unde negant redire quemquam; vel *illic* positum est pro ille, ut Terent. Adelph. III, 3, 84; Andr. III, 5, 1; Plaut. Amph. I, 1, 167. – *Phylacides*, est Protesilaus, Iphicli filius, Phylaci nepos, qui in oppido Thessaliae Phylace regnavit, et primus Graecorum navi in Troianum litus egressus, ab Hectore interfectus est; vid. Homer. Il. B, 698. Sed apud inferos uxoris Laodamiae non oblitus, et ab ea vicissim sic amatus est, ut vel ipse, vel uxor, a diis unum diem (sive, ut Hyginus tradit, tres horas) impetraverit, quo ad coniugem rediret. Quo facto Laodamia se ipsam interemit. Varie a poëtis haec fabula tractata est: cf. Ovid. Heroidd. XIII; Trist. I, 5, 20; 2, 403; Hygin. f. 103 104; Catull.

Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis,
  Thessalis antiquam venerat umbra domum.
Illic quidquid ero, semper tua dicar imago,
  Traiicit et fati litora magnus amor.
Illic formosae veniant chorus heroinae,
  Quas dedit Argivis Dardana praeda viris:
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
  Gratior: et Venus hoc si dea iusta sinat.

LXVIII, 74 sqq. ibique Doering. Stat. Silv. II, 7, 121. – *caecis locis*, obscuris, apud inferos; ἀοράτοις, de quo significatu vocabuli *caecus* vid. Drakenb. ad Sil. X, 2, 36; Heins. ad Ovid. Met. I, 307; XI, 517; ad Val. Flac. VIII, 329. – *falsis palmis*, utpote umbra. Ovid. Met. X, 58: *Brachiaque intendens, prendique et prendere certans, Nil nisi cedentes infelix adripit auras.* – *gaudia*, pro coniuge Ovid. Heroidd. XV, 109. – *cupidus umbra*, ut *illic scelus* Terent. Andr. III, 5, 1, more Graecorum; vid. Fischer. Animadv. ad Weller. Vol. III, P. 1, p. 308 sqq. – *antiquam domum*, priorem, pristinam, ut *hiemes antiquae* Ovid. Trist. III, 12, 3; *antiquum saxum* Virg. Aen. XII, 897. Nimis quaesita videtur Astii explicatio (Observ. et Coniect. in Pindari Olympiaca in Beckii Commentariis Societ. Philol. Lips. Vol. I, P. 2, p. 37) domus deserta, pristino suo flore ac splendore destituta. Huic saltem interpretationi praeferrem aliam Passeratii: domus prisca et nobili vetustate. Sed quam primo loco posui verborum expositionem, et simplicissimam et unice veram puto. – *venerat*, redierat, ut ἔρχεσθαι.

11 - 16. *Illic*, nempe in locis illis caecis. – *quidquid ero*, qualiscunque mea conditio, mea sors sit. – *imago*, umbra, ut Virg. Aen. IV, 645; VI, 292. – *tua*, dein dich liebender Schatten. Conf. IV, 7, 94. Sensus: *huius ero vivus, mortuus huius ero*, II, 15, 36. – *Traiicit – amor*, über des Orcus Fluthen schifft die mächtige Liebe hinüber, sie ist stärker als der Tod. – *fati litora*, pro litora fatalia, ripam orci, vid. II, 28, 38. – *formosae chorus heroinae*, pro chorus heroinarum. Neque formosissimae heroinae ibi animum meum mutabunt, nulla earum mihi iucundior te ipsa formosa erit. Intelliguntur Cassandra, Andromache, Helena, aliae foeminae troianae, quae in praedae divisione Graecis victoribus contigerant. – *et Venus – sinat*, Veneris mentionem factam esse, ait Burmann. quod formosis invidiosa dea sit; vid. Dorv. ad Charit. p. 616. Sed et aliam rationem afferre potuisset; quum nempe h. l. poëta de sua post mortem apud inferos commoratione loquatur, coll. vs. 12, cogitat sibi Venerem, tanquam deam, quae formosas foeminas omninoque amantes laetis reponat sedibus. Venus ei Mercurii ψυχοπομποῦ personam agit, vid. Horat. Carm. I, 10, 17 sqq. Sensus: in ipsis campis Elysiis (IV, 7, 60) te unice amabo, et Venus te eo deductura amorem meum probabit. Similis locus Tibull. I, 3, 57 sqq. *Sed me, quod facilis tenero*

Quamvis te longae remorentur fata senectae,
  Cara tamen lacrymis ossa futura tuis;
Quas si, vita, mea possim sentire favilla,
  Tum mihi non ullo mors sit amara loco.
Quam vereor, ne te contemto, Cynthia, busto
  Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor;
Cogat et invitam lacrymas siccare cadentes!
  Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes,
  Non satis est ullo tempore longus amor.

*sum semper Amori, Ipsa Venus campos ducet in Elysios.*

17 – 20. Dixerat poëta in antecedentibus, se Cynthiae amore etiam post fata arsurum esse. Iam optat, ut Cynthia quoque, etiamsi summam senectutem attingat, tamen semper pristini amoris memor sit, et ossa ipsius lacrymis prosequatur. Versus suavissimi. – *fata senectae*, sunt senectus, quam fato subire cogimur, ut Tibull. I, 4, 31; Propert. II, 13, 47. – *ossa* mea sint *cara lacrymis tuis*, simili modo dixit III, 2, 13: *carmina cara legenti.* – 19. Vulgaris lectio: *Quae tu viva mea possis sentire favilla.* – *quas*, scil. lacrymas tuas. Sermo est h. l. de solemni illo fletu, quum ossa et cineres adhuc tepidi, h. e. *favilla*, colligebantur. Pertinet huc locus Ovid. Trist. III, 3, 83: *Tu tamen extincto feralia munera ferto, Deque tuis lacrymis humida serta dato. Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis, Sentiet officium moesta favilla pium.* Add. Tibull. III, 2, 25: *Et nostri memores lacrymae fundantur eodem; Sic ego componi, versus in ossa, velim.* Horat. Carm. I, 6, 22: *ibi tu calentem Debita sparges lacryma favillam Vatis amici.* Perquam apposite autem dixit Propert. *possim sentire*, quia verebatur, ne Cynthiam Amor iniquus a tumulo suo abriperet, ipsumque voluptate ex lacrymis illius percipienda privaret. Caet. conf. Obs. – *non ullo loco*, nullo modo, vel nullo tempore, nunquam. – *locus*, pro tempore, vid. Gronov. ad Liv. XXVII, 7; pro statu, conditione, vid. Cortius ad Sallust. Catil. LVIII, 5.

21 – 26. Sensus: Quam vereor, ne, alio amore admisso, mortem meam susque deque habeas. – *iniquus Amor*, mihi adversus et infensus. – *certa*, constans, fida. – *minis*, nempe Cupidinis. Markland. suspicatur, hunc locum versum esse ex aliquo poëta graeco, ubi occurrebat ἀπειλαῖς, i. e. promissis; et quum utrumque, minas et promissa, vox graeca significet, opinatur Prop. more suo hoc pro illo usum, et interpretatum esse *minis*, quum alter forte voluerit *promissis.* Sic Virg. Aen. II, 96: *Promisi ultorem, et verbis odia aspera movi.* – 26. Nullus amor unquam satis est diuturnus; itaque, dum per brevem lucis usuram licebit, carpamus fugitiva gaudia, nec reditura. Brouckhus.

## ELEGIA XX

### AD GALLVM

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti;
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
Thiodamanteo proximus ardor Hylae.

Elegia XX

Gallum, qui formosum puerum quendam amabat, cui Hylae nomen erat, vid. vs. 5, (an fuerit Hylas histrio ille, de quo Macrob. Saturn. II, 2, non liquet, fortassis Gallus ipse puero hoc nomen imposuerat, ut Prop. Hostiam nominavit Cynthiam) monet, ut hunc puerum caute ac diligenter custodiat. Hac occasione Hylae, Herculis amasii, raptum commemorat, et hanc fabulam a poëtis toties decantatam (nam cui non dictus Hylas?) suo modo pertractat. Compara Theocrit. Idyl. XIII; Apollon. Rhod. I, 1207 sqq. Orpheus Argon. 641 sqq. Val. Flacc. III, 594.

1-4. *Hoc*, nempe quod sequitur vs. 3, praeceptum, quodque ob maiorem vim finita demum oratione proponitur. – *pro continuo amore*, ut *pro nostra semper amicitia*, el. 22, 2. – *vacuo defluat ex animo*, memoria excidat. Translatio a vasis. Cic. ad Div. VII, 14: *antequam plane ex animo tuo effluo.* – 3. *occurrit*, adversatur, infesta est, nocet nec opinanti et alia omnia cogitanti. Sic *occurrere* et *obstare* copulavit Quinctil. Decl. II, 13; vid. Burm. ad Ovid. Met. XIV, 452. – *Hylas*, puer ab Hercule amatus, Thiodamantis Dryopum regis filius, unde *Thiodamanteus*, vers. 6, a patre dicitur, in expeditione Argonautarum, quum ad *Ascanium* fluvium Bithyniae et Mysiae, ad aquam hauriendam ivisset, Hercule interea materiam remi quaerente, a Nymphis illius fluvii adamatus et raptus est; Hercules vero puerum quaesiturus, ab Argonautis abstractus est; cf. Apollodor. I, 9, 19; Hygin. f. 14; Anton. Lib. cap. 26; Barth. ad Stat. Theb. V, 443. – *dixerit*, pro dicat, vel dicet, dicere, monere, testis esse poterit. Ascanius dicitur *crudelis*, ob raptum Hylan, et per eum Herculem ipsum abstractum ab Argonautis. – *Minyis*, Minyae, Argonautae, quorum plerique ex Minyis, gente Thessalica. Alii aliter. Vid. Serv. ad Virgil. Ecl. IV, 34; Hoelzlin. ad Apollon. I, 229, ibique scholiast. Munker. ad Anton. Lib. l. c. et schol. ad Pind. Isth. I, 79.

5-12. Est tibi eiusdem nominis et formae puer, ac Herculi fuit. - *proximus ardor Hylae*, puer forma non inferior Hyla, ut Virg. Ecl. VII, 22: *proxima Phoebi Versibus ille facit.* Caet. *ardor* et *ardere* occurrunt quoque de masculorum amore Hor. Epod.

Huic tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
  Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
  Sive ubicunque vago fluminis hospitio;
Nympharum semper cupidas defende rapinas.
  Non minor Ausoniis est amor ah! Dryasin.
Ne tibi sit duros montes et frigida saxa,
  Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quae miser ignotis error perpessus in oris
  Herculis indomito fleverat Ascanio!

XI, 27; Virg. Ecl. II, 1; Iuven. Sat. II, 165. – 7. *huic tu – defende*, vs. 11; ut *dominae defendere noctes infames* eleg. 16, 9; ubi vid. notata. – *leges*, legere verbum nauticum; adhibetur h. l. de navigio, cymba, litora fluminis, silvis umbrosis circumdata, praetervehente; coll. eleg. 14, 3; 11, 10. – *Anienus*, *Anio*, *Anien*, fluvius, qui per Tiburtium agrum in Tiberim decurrit; vid. Heyne Obss. ad Tibull. II, 5, 69; Vib. Seq. c. 7; Dionys. Halic. V, p. 305; Cluver. Ital. Ant. II, p. 711. – *tinxerit unda pedes*, leviter alluerit, graphice de eo, qui in ripa depressa incedit et amnem proxime praetergreditur. – *Gigantea ora*, intelligitur Cumana regio in Campania, ubi campus Phlegraeus, ita dictus ab igne, quem evomebat; ibi Gigantes habitasse, et cum diis pugnasse dicuntur; vid. Sil. Ital. XII, 143 sqq.; Eustath. ad Dionys. Perieg. vers. 357; Cellar. Not. O. A. II, 9, p. 841. Erat et *Phlegraeus* campus fertilitate insignis in Thessalia, ubi quoque bellum illud gestum dicitur; vid. Strab. in Excerpt. L. VII, p. 228; Gesner. ad Orph. Argon. 1123; ad Claudian. pag. 444. – *vago*, epith. fluviorum solemne, sed eleganter dixit *vago* instabili *hospitio fluminis*, pro hospes fluminis vagi; sensus: ubicunque errabis et tanquam hospes excipieris a fluvio. – 11. *defende*, arce, v. Lips. Var. Lect. II, 22. – *Ausoniis*, Italis, *Dryasin*, Nymphis silvestribus, *non minor est amor*, quam Mysiis, coll. vers. 4. Vulgaris sententia, quam praeclare exornavit poëta, est: custodias puerum, ne casu quodam, v. c. a puellis amore pueri correptis tibi eripiatur.

13–16. *Ne sit adire*, graece dictum pro ne adeas. ut Tibull. I, 6, 24; IV, 3, 3. – *Duros montes*, asperos, ubi Oreades Nymphae commorantur. – *semper expertos*, recte Vulp. quos noxios, et Nympharum insidiis plenos experti semper sunt amantes; ut *expertae saevitiae* el. 3, 18. – *quae perpessus*, est Theocriti ὅσσ' ἐμόγησεν Id. XIII, 66, quae perpessus! flevit. – *error Herculis*, pro Hercules errans, vid. Lips. Lect. Var. I, 19; Munker. ad Fulgent. pag. 73; sic Horat. Serm. II, 1, 72: *Virtus Scipiadae, et mitis sapientia Laeli*. – *fleverat Ascanio*, ad amnem Ascanium, vid. I, 12, 15. – *indomito*, surdo, flecti nescio, qui ei Hylan repetenti non reddebat.

Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo
Egressam, longe Phasidos isse viam;
Et iam praeteritis labentem Athamantidos undis,
Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum placitis ut constitit oris,
Mollia composita litora fronde tegit.
At comes invicti iuvenis processerat ultra
Raram sepositi quaerere fontis aquam;
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super et Zethes, hunc super et Calais,

17-20. Fabulam ipsam enarrat. - *Pagasae*, scilicet Pagasa oppidum Thessaliae maritimum, in cuius navalibus compacta fuit *Argo*, navis prima Graecorum bellica, Diod. Sic. IV, 41; Plin. VII, 56, qua Iason et Argonautae navigarunt, *auratam optantes Colchis avertere pellem*. Catull. LXIV, 5; Mela II, 3; Cellar. Geogr. Ant. II, 13, tom. I, pag. 1077. - *Phasis*, fluvius Colchidis. Catull. l. c. vs. 3: *nasse per undas Phasidos ad fluctus*; vid. interp. ad Vibium Sequestr. pag. 163. - *isse viam*, expressit noster Theocriti Id. XIII, 23: Ἀλλὰ διεξᾶιξε, βαθὺν δ' εἰσέδραμε Φᾶσιν. Caet. Colchos et Pontum Euxinum veteres terrarum et marium terminos esse crediderunt, unde proverb. Εἰς Φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος: vid. Erasmi Chiliad. quo respiciens noster dixit *longe* isse viam. - 19. *Athamantidos undis*, intelligitur mare circa Thessaliam, in quod Ino *Athamantis* uxor se praecipitavit. Vid. ad II, 28, 19. - *Mysorum scopulis*, vid. Apollon. Rhod. I, 1179: Orpheus Argon. 628. Mysia finitima Bithyniae et Phrygiae. - *labentem ratem*, natantem, ut IV, 6, 48.

21 - 28. *Manus heroum*, πλῆθος, caterva Theocrit. vers. 27, θεῖος ἄωτος Ἡρώων. - *placitis*, quae illis placuerant. - *mollia litora*, gramine tenero vestita. - *composita fronde tegit* periphrasis tori ab herbis et floribus intorti. Apollon. l. c. — τοὶ δὲ λεχαίην φυλλάδα λειμώνων φέρον ἄσπετον ἀμήσαντες Στόρνυσθαι: add. Theocr. vs. 32 sq.; Virg. Ecl. I, 80: *mecum poteras requiescere noctem Fronde super viridi*. - 23. *invicti iuvenis*, Herculis. Ap. Catull. LXIV, 4, Argonautae dicuntur omnes *iuvenes lecti*, ut et Theocrit. vers. 27. - *invictus* Hercules proprio epitheto dicitur, ut vel e lapidibus Gruterianis docuit Broukh. ad h. l. - *comes*, Hylas, Herculis minister et armiger. - *raram*, quae ibi rara erat. - *sepositi*, in secessu abditi, l. longe remoti. Apollon. I, 1207: Τόφρα δ' Ὕλας χαλκέῃ σὺν κάλπιδι νόσφιν ὁμίλου Δίζετο κρήνης ἱρὸν ῥόον. - 25 sqq. Quae h. l. Propertius de duobus Boreadis tradit, vel a graeco poëta mutuatus est, vel, ut Muretus iam suspicabatur, sunt Propertii ipsius inventum ad exornandam fabulam. - *Zethes* et *Calais*, Boreae sive Aquilonis, unde *Aquilonia proles*, et Orithyae filii alati. Vid. Apollod. III, 15, 2; Orpheus Argon. 216 sqq.; Ovid. Metam. 677 sqq.; Hyg. fab. 14. - *sectati*, verbum stupri, Hor. Serm. I, 2, 78. Hylae amore incensi

Oscula suspensis instabant carpere palmis,
  Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
  Et volucres ramo submovet insidias.
Iam Pandioniae cessat genus Orithyae:
  Ah! dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pege sub vertice montis
  Grata domus Nymphis humida Thyniasin.
Quam supra nullae pendebant debita curae
  Roscida desertis poma sub arboribus,

eum sectati sunt. – 27. *suspensis palmis*, alis in aëre libratis, alarum agitatione in aequilibrio se tenentibus. – *carpere oscula*, furtim sumere, eleganter pro osculari, ut apud Catull. LXVIII, 127; ubi vid. Doering. – *oscula supina*, sunt superne inversa, quia coelum adspiciens Hylas supino erat vultu, et ipsi fratres e coelo venientes supino erant ore. Passerat. – *alterna fuga*, modo hic, modo ille, fugiens oscula carpebat: graphice.

29-32. *Ille*, nempe Hylas. Dum Hylas Boreadum lascivia in altum attollitur, osculum detrectans, caput abdit inter alam et cubitum attollentis: tum etiam frondeo ramo oculos et labra procacis impedit, ne propositum perficere queat. Vulp. Conf. Observ. – *volucres insidias*, docte pro fratrum volantium. Imago puerili simplicitati apprime conveniens. – 31. Fratribus borealibus defatigatis et absistentibus, non tamen recedebat periculum, Hylae a Nymphis imminens. – *genus Orithyiae*, vid. vers. 26. Orithyia a Borea rapta, Ovid. Met. VI, 707. Dicitur *Pandionia*, a Pandione avo, Erechthei Atheniensium regis patre. – *dolor ibat Hamadryasin*, graeca forma dictum ut ἔρχεσθαι, vid. Apollon. Rhod. III, 1134; IV, 242; Hom. Odyss. Γ, 306. – *dolor*, Hylas causa amoris cum dolore coniuncti erat. – *Hamadryades*, Nimphae nemorum, quae ἅμα ταῖς δρυσί, cum quercubus, aliisque arboribus silvestribus (nam δρῦς antiquitus omnis arbor dicebatur, schol. Homer. Il. Λ, 86) nasci et interire credebantur. Commemorantur h. l. et saepius pro Nymphis quibusvis, ut II, 32, 37; infra vers. 45 dicuntur *Dryades*, ut vers. 12.

33-38. *Arganthus* Ἀργανθώνη Anton. Lib. c. 26. Ἀργανθώνης Steph. Byz. p. 100, mons Mysiae in vicinia Thyniae et Bithyniae, sub cuius vertice, i. e. paulo infra verticem, erat *Pege*, fons, ubi Hylas, qui aquatum exierat, a Nymphis raptus est. Vid. Orpheus Argon. 635; interprett. ad Apollon. Rhod. I, 1178; Toupius Emendat. ad Suid. Vol. I, p. 215. – *domus humida*, antrum Nympharum Horat. Carm. I, 7, 12; Virg. Aen. I, 167. – *Thyniades*, sunt Nymphae Thynicae scilicet Bithynicae. Thyni et Bithyni, e Thracia coloni, hactenus diversi, ut Thyni appellarentur, qui oram Ponto proximam, Bithyni, qui interiorem Ponti regionem incolerent. Abolitum tandem Thynorum, quod antiquius videtur, nomen, et universa gens Bithyni appellati; vid. Mitscher-

Et circumriguo surgebant lilia prato
  Candida purpureis mista papaveribus:
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui,
  Proposito florem praetulit officio.
Et modo formosis incumbens nescius undis
  Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis,
  Innixus dextro plena trahens humero.
Cuius at accensae Dryades candore puellae,
  Miratae solitos destituere choros;

lich. ad Horat. Carm. III, 7, 3; Ovid. Trist. I, 9, 35; Cat. XXV, 7; XXXI, 5. – *nullae curae*, ἀρχαϊκῶς pro *nulli*, ut apud Plaut. Mil. Glor. III, 1, 207. – *uni*, pro *unius*, Catull. XVII, 17. – *nullae debita curae*, i. e. silvestria; *sponte sua venientia* I, 2, 10. – *roscida*, rore matutino adspersa, δροσόεντα, ut Virg. Ecl. VIII, 37. – *desertis sub arboribus*, sub foliis arborum in illo loco deserto, el. 2, 11: *in solis antris.* – 37. Theocrit. Id. XIII, 39 sqq. – τάχα δὲ κράναν ἐνόησεν Ἡμένῳ ἐν χώρῳ· περὶ δὲ θρύα πολλὰ πεφύκει. – *lilia candida – papaveribus.* Theocrit. Idyl. XI, 56: κρίνα λευκὰ, ἢ μάκων' ἁπαλὰν, ἐρυθρὰ πλαταγώνι' ἔχοισαν.

39–44. Antequam iussu Herculis aquam ex fonte hauriret, pueri instar flores decerpebat, et sic suscepto muneri hauriendae aquae, *proposito officio* praetulit curam legendi flores. – *decerpens tenero ungui*; similis locus Virg. Aen. XI, 68: *Qualem virgineo demessum pollice florem Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi*; add. Catull. LXII, 43: *Idem cum tenui carptus defloruit ungui.* – 41. *formosis undis*, quae Hylae formosam imaginem referrent; conf. Virgil. Ecl. II, 25; Valer. Fl. III, 557. – *nescius*, miratus in fonte imaginem suam, pro puerili simplicitate. Simili modo Virg. usus est vocabulo *inscius*, Aen. VII, 381. – *errorem*, ut Passerat. recte interpretatur, errorem suum (corpus esse putans, quod umbra et imago esset) longiorem reddit, blanda et arridentia sibi simulacra in fonte spectando. – *parat*, aggreditur, *haurire flumina*, pro aquam fontanam, et hoc sensu *flumen* recurrit IV, 9, 36. – *plena*, scil. flumina, aquam largam et copiosam, ut Virg. Georg. III, 143. – *innixus dextro humero*, colorem duxit ex Apollon. Rhod. I, 1235 sqq: Αὐτὰρ ὅγ' ὡς τὰ πρῶτα ῥόῳ ἔνι κάλπιν ἔρεισε, Λέχρις ἐπιχριμφθεὶς (h. e. obliquato corpore proclinatus, altera manu ut niteretur, altera, pone dextram, aquam hauriret) περὶ δ' ἄσπετον ἔβραχεν ὕδωρ Χαλκὸν ἐς ἠχήεντα φορεύμενον. – *humero*, pro brachio.

45–52. *Cuius*, nempe humeri. – *solitos destituere*, i. e. intermisere *choros*, Theocrit. Idyl. XIII, 41: Ὕδατι δ' ἐν μέσσῳ Νύμφαι χορὸν ἀρτίζοντο, choream ducebant. Apollon. Rhod. I, 1222. — αἱ δέ που ἄρτι Νυμφάων ἵσταντο χοροί. *leviter* refer ad *traxere*, nempe ad se. – *facili liquore*, pro facilius cedente. Variis modis hanc poëtae fa-

Prolapsum leviter facili traxere liquore;
  Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa; sed illi
  Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His, o Galle, tuos monitis servabis amores,
  Formosum Nymphis credere tutus Hylan.

## ELEGIA XXI

### GALLVS LOQVITVR

Tu qui consortem properas evadere casum,
  Miles ab Etruscis saucius aggeribus:

bulam tractarunt: apud Apollon. I, 1239, Ephydatia Nympha, laeva manu Hylae cervicem amplectitur, ut eum exosculetur, dextra eius cubitum trahit, et praecipitem in fontem agit. Theocrit. Id. XIII, 45, tres Nymphas manibus haurientis inhaesisse fingit. Cf. et Valer. Flac. III, 500 sqq. – *sonitum fecit*, non sermo est de sono, quem excitabat corpus prolapsum, hanc notionem repudiat vers. seq. sed de clamore pueri incondito, obscuro, exili, cogitandum est. Theocrit. l. c. vers 59, dicitur ἀραιὰ φωνὰ, utpote e longinquo profecta. – 49. *cui responsa iterat*, ad hunc sonum saepius proclamavit Hercules *nomen* Hylae. – *ab extremis fontibus*, ab imo fontis. – *aura*, i. e. Echo, aëris filia. – 51. *servabis*, observabis, custodies delicias tuas. – *tutus*, nihil sollicitus, οὐδὲν φυλαττόμενος· nil veritus committere, summa animi securitate. Neque tamen praetereunda Marklandi verborum explicatio, qui, sublata in fine prioris versus distinctione, coniungit *servabis credere*, et *servabis* exponit, cavebis, ut φυλάττειν legitur Soph. Philoct. 460; Eurip. Med. 102.

#### Elegia XXI

Gallus, Propertii propinquus, cf. el. 22, 7, bello Perusino, quum ab Antonii partibus stetisset contra Augustum, cf. 7, 8, quod in A. V. 714 incidit, interemtus, loquens inducitur. Et morti quidem proximus, his versibus commilitoni fugienti mandata dat ad sororem perferenda.

1-4. *consortem casum*, cladem communem, eandem calamitatem Antonianam. – *ab Etruscis aggeribus*, intelligunt munitiones, et opera, quibus ab Augusto circumvallata fuit Perusia, urbs Etruriae. Alii: munitiones et moenia Perusina ipsa. *Agger* enim dicitur, quidquid altum est, ut vallum et murus, Sil. It. I, 308, 368, 418; Virg. Aen. VII, 159: *aggeres murorum* Id. ib. X, 24, 144. De bello Perusino, et urbis Perusiae obsidione et expugnatione, cf. Appian. Bell. Civ. lib. V; Dio lib. XLVIII; et

Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
  Pars ego sum vestrae proxima militiae.
Sic te servato possint gaudere parentes,
  Haec soror Acca tuis sentiat e lacrymis,
Gallum per medios ereptum Caesaris enses,
  Effugere ignotas non potuisse manus;
Vt quaecunque super dispersa invenerit ossa
  Montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

Suet. Aug. c. 14, 15. Augustus L. Antonium Perusiae obsedit et ad deditionem fame compulit, Perusia tunc incendio tota conflagravit, et Augustus in plurimos Antonium secutos animadvertit. Gallus a latronibus ad mortem vulneratus erat, dum evadere conaretur. – 3. *nostro gemitu*, pro nostri, dolore ob mortem nostram. Sic σὸς πόθος pro πόθος σοῦ Hom. Odyss. Λ, 201. – *turgentia*, oculi tumentes, turgentes e gemitu ac fletu. *lumina torquemus*, dum respicimus; sed *lumina* lacrymis *turgentia torquere* videtur idem esse, quod alias *fletu cruciare*, *foedare*, *corrumpere oculos*, Ovid. Am. III, 6, 57; Tibull. II, 7, 25. – *militia*, pro militibus. – *proxima*, pro proxime, nuper modo eram e militum numero.

5-10. Fac soror mea Acca resciscat per te et tuas lacrymas, me Gallum etc. sic tibi contingat, ut incolumis Romam pervenias. Barth. – *Sic te* etc. Est formula bene precantis, et vitam commilitoni salvam optantis, si mandata sua ad sororem deferat. – *Caesaris* Augusti. – *ignotas manus*, intelligunt latrones, in montibus Etruscis vagantes, in quos quum Gallus per munitiones et stationes caesarianas elapsus esset, incidit, qui eum vulneratum et exanimem reliquerunt. – *invenerit*, nempe Acca soror. Haec vero ideo monuisse Gallus moribundus fingitur, ne ossa ipsius insepulta iacerent, vid. Horat. Carm. I, 28, 24; Cuper. Obss. Var. I, 8; Liv. XXIX, 9: praeterea veteres quoque inprimis in patria sepeliri avebant; vid. Soph. Oed. Col. 402; et qui amicos ac propinquos non sepeliebant, iram Deorum movebant. Hom. Odyss. Λ, 73; add. Prop. I, 17, 12; II, 24, 35; III, 7, 9; ubi vid. notata.

## ELEGIA XXII

### AD TVLLVM DE PATRIA SVA

Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
Quaeris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriae sunt nota sepultae,
Italiae duris funera temporibus,
Quum Romana suos egit discordia cives:
(Sis mihi praecipue pulvis Etrusca dolor,
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo)
Proxima supposito contingens Vmbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

Elegia XXII

Tullum (qui videtur idem esse cum eo, ad quem eleg. I scripsit) percontantem saepe poëtae patriam docet, se Vmbrum esse.

1-5. *qualis*, pro quis (ut Hor. Epod. V, 59, *quale*, pro quo. Plaut. Aul. I, 4: *Ego te et tu me*, *qualis sis*, *scio*, i. e. qui sis) h. e. unde genus? more Propertii, εἰς τὸ αὐτὸ ponentis. Hom. Odyss. T, 105: Τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες; – *penates*, pro domo, familia. *Genus* et *penates* docte apud poëtas cumulantur; vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 4, 16. – *pro – amicitia*, ut meus certus, vetus, et perpetuus amicus. – 3. 4. Si nota tibi sunt funera Perusina patriae sepultae duris Italiae temporibus. – *Perusina funera*, innuit obsidionem Perusiae, vid. ad eleg. 21, 2. – *patria sepulta*, dicitur ob magnam civium interfectorum multitudinem. Cicer. Catil. IV, 6: *cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos acervos civium*. Intelligit Romam, Tulli patriam, in bello enim Perusino magna pars patriae Tulli, magna civium romanorum copia interiit. – *duris temporibus*, ob bella civilia.

6—10. Exquisita apostrophe ad Etruriam. – *pulvis etrusca*, pro terra, solo. – *pulvis*, gen. fem. ut II, 13, 35. – *dolor*, causa doloris esse debes. – *proiecta*, inhumata, insepulta, ut Ovid. Met. VII, 602; Heroidd. II, 135. – *mei propinqui*, Galli, coll. el. 21, 9 sqq. – *perpessa es*, sivisti iacere dispersa et insepulta membra Galli; cf. III, 7, 25 sqq. – *proxima*, pro proxime, graeco more. – *contingens*, ea pars Vmbriae, quae contigua est, pertingit. – *supposito*, humili; vid. Propert. Vit. Chronol. ad A. V. 702, et notata ad IV, 1, 119 sqq. – *terrae uberes*, pingues, fecundae. – *Vberes*, adiectiva notione, ut *uberes fruges* Horat. Carm. IV, 15, 5.

# SEX. AVRELII PROPERTII

# ELEGIARVM

## LIBER SECVNDVS

### ELEGIA I

#### AD MAECENATEM

Quaeritis unde mihi toties scribantur amores?
  Vnde meus veniat mollis in ora liber?
Non haec Calliope, non haec mihi dictat Apollo:
  Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive illam Cois fulgentem incedere vidi,

Elegia I

Ostendit, se heroico carmini scribendo minime parem esse, neque adeo, etsi quummaxime vellet, Augusti et Maecenatis res praeclare gestas et insignia in rempublicam merita carmine celebrare posse; in rebus levibus tantum amatoriisque ludicris pertractandis Musam suam versari. Pro levibus autem argumentis, quibus se unice parem profitetur, speciatim commemorat et canit Cynthiam, cuius amore se plane irretitum teneri declarat, quam se ad extremum usque vitae halitum amaturum esse spondet, cuius laudes et virtutes in hac elegia summa cum arte praedicat. Caeterum idem argumentum persecutus quoque est Horat Carm. II, 12,

1-4. *amores*, canantur et componantur carmina amatoria. – *veniat in ora*, qui fiat, ut haec carmina mea legantur et recitentur ab omnibus. – *mollis*, voc. de versibus amatoriis proprium, vid. vers. 41: *teneri versus* dicuntur Ovid. Art. Am. II, 273: *carmen tenerum* Amor. III, 8, 2. – *dictat* Apollo, Calliope, Musae poëtis carmina *dictare*, *lyram* suam iis *donare*, vel *cedere*, frequenter dicuntur, vid. I, 2, 27; et Burm. ad Anthol. lat. tom. II, pag. 121. – *ingenium facit*, me ingeniosum reddit, haec carmina, eorum argumentum et ornatum mihi Cynthia suggerit, me poëtam facit. Ovid. Heroidd. XV, 84: *Ingenium nobis molle Thalia facit.*

5–10. Poëta, quomodo Cynthia ipsi ingenium fecerit et faciat, exem-

Hoc totum e Coa veste volumen erit:
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis:
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, faciles ut premat arte manus:
Seu quum poscentes somnus declinat ocellos,

plis demonstrat. Similes loci Tibull. IV, 2, 9; Ovid. A. A. II, 295. – *Cois*, absolute h. l. legitur, ut ap. Ovid. Art. Am. II, 297; Horat. Sat. I, 2, 101. – *fulgentem* referri potest ad vestem Coam, et ad ipsum Cynthiae corpus candidum in veste Coa perlucida. Martial. VIII, 68: *Femineum lucet sic per bombycina corpus, Calculus in nitida sic numeratur aqua.* De veste Coa, vid. I, 2, 2. – *Hoc – erit*, pro est, de veste Coa cano. – *Volumen*, est h. l. elegia, carmen. Sic *liber* pro epistola ponitur ap. Corn. Nep. VI, 4, 2: *carmina*, de uno tantum carmine, legitur Prop. I, 7, 3; et Statius Silv. I Praefat. singulas eclogas huius libri vocat *libellos*, verba ibi sunt: *diu multumque dubitavi – an hos libellos – quum singuli de sinu meo prodiissent, congregatos ipse dimitterem.* 7. infra el. 23, 9: *Sive vagi crines puris in frontibus errant.* Verbum *errare* de capillis solutis ac fluitantibus proprium, vid. Barth. ad Claudian. R. P. II, 31. – *laudatis*, nempe a vate suo. – *superba*, superbiens ob comas meo carmine celebratas. – 9. *lyrae carmen percutere*, i. e. lyram percutere, ut carmen resonet. *Percutere*, verbum de lyrae vel citharae pulsu solemne, graec. *κρέκειν* (i. e. *κιθαρίζειν*. Suidas: *κρέκουσα – κυρίως δὲ κρέκειν, τὸ τὴν κιθάραν κρούειν*) et *ἀράσσειν* Orph. Argon. 380, 396, et ap. Nonn. Dionys. lib. I, pag. 34, 38: *ἐγὼ μέλος βροντοῖον ἀράσσω·* et paulo post *ἐπινίκιον ὕμνον ἀράσσων.* Theocrit. Epigr. V, 2 sqq. *κἠγὼν πακτίδ' ἀειράμενος ἀρξεῦμαί τι κρέκειν.* Latini poëtae frequenter formulis, *ferire carmina* (Ov. Trist. IV, 10, 50. *Dum ferit – carmina – lira*, h. e. dum plectro vel digitis chordas feriendo cantat) *pulsare*, *percutere chelyn* utuntur. Formula ipsa *lyrae carmen percutere*, ut monuit Huschke Anal. Crit. p. 95 sqq. e graeco deducta est *κρέκειν μέλος χέλυος*, vid. Meleagr. epigr. 88, Anal. Brunckii I, pag. 24, 25. – *digitis eburnis*, i. e. candidis, coll. eleg. 3, 10. Virgil. Georg. III, 7: *eburno humero insignis.* Ovid. Amor. III, 7, 7: *eburnea brachia.* Ovid. Metam. III, 481: *Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.* Id. XIII, 746: *Quas ubi marmoreo detersit pollice virgo.* – 10 *faciles – manus*, i. e. ut facile scienterque comprimat manus, easque chordis imprimat (*premere* etiam aliis in locis ponitur pro comprimere et exprimere, Horat. Epist. I, 16, 37; Tibull. IV, 1, 161) vel ut artificiose inflectat; *faciles*, i. e. agiles, citatas (Ovid. Am. II, 4, 27: *agili pollice.* Id. Fast. III, 536: *Et iactant faciles ad sua verba manus*) ne nimis exstent deformiter, sed uncae quasi sint.

11 – 16. *Somnus* eleganter *declinare* dicitur *ocellos;* tribuebant enim vett. Somno, respectu ad Mercurii virgam habito, virgam, qua declinaret et componeret oculos. Stat. ad Somn. Sylv. V, 4 extr.: *summas*

Invenio causas mille poëta novas:
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tunc vero longas condimus Iliadas:
Seu quidquid fecit, sive est quodcunque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
Vt possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut coelo Pelion esset iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada:

*me tange cacumine virgae.* Valer. Fl. VII, 246, Medea precatur: *da prendere vestes Somniferas ipsaque oculos componere virga.* — *poscentes*, nempe somnum. Sic quoque III, 10, 12, legitur, *surge, et poscentes* (nempe precibus implorari) *iusta precare Deos.* Add. Horat. Carm. II, 12, 27. – *causas*, argumenta carminum, sese mihi offerunt plurima. Cf. I, 3; II, 29, 27. – *seu* - *amictu*, cf. infra el. 15, 5 sqq. Quando in amoris palaestra cum Cynthia luctor, tunc illae ipsae turbae, altercationes et rixae amatoriae largam mihi carminum materiam praebent. Huius generis elegias triumphum de Cynthia deportatum canentes, exquisite vocat *Iliadas longas.* Pertinet huc quoque proverb. apud Pollucem μακρότερα τῆς Ἰλιάδος λαλῶν, prolixiora Iliade loquens. – *de nihilo*, e levi materia. – *historia*, apposite de carmine, quod legitur et recitatur ab omnibus, coll. vs. 2: *historia* enim saepius dicitur de re, quae rumoribus et vulgi sermonibus ansam praebet, ut I, 15, 24; III, 20, 27; IV, 7, 64.

17–26. Quod si fati beneficio poëtis epicis me accensere, et graviora argumenta pertractare possem, canerem res Caesaris Augusti et tuas, cf. vers. 25. Pro grandibus carminum argumentis docte talia nonnulla enumerantur, ita, ut exemplis ex mythica antiquitate subnectantur historica. – *heroas manus*, heroum copias, quas *in arma*, in proelia poëtae ipsi ducere dicuntur, dum eorum res gestas canunt. Similis locus III, 1, 7; III, 9, 53. – *Non Titanas canerem*, pugnam Titanum cum Diis. De Titanomachia, e qua multa in Gigantomachias translata sunt, vid. Heyne ad Apollodor. pag. 18 sqq. et pag. 67. Titanes Olympo, Thessaliae monti, imposuerunt Ossam, et Ossae Pelion, ut sibi viam in coelum pararent. Homer. Odyss. Λ, 314: Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἄμβατος εἴη. *coelo*, ad, in coelum. – 21. *Thebas*, non bellum Thebanum, vid. ad I, 7, 1. – *Pergama*, arx Ilii, Troianorum urbis, pro ipsa urbe ponitur, ut saepius, vid. Barth. ad Stat. Silv. I, 1, 11; significatur bellum Troianum, cuius descriptione Homerus *nomen*, i. e. famam, laudem perpetuam (I, 4, 8) sibi comparavit. – *Xerxis* – *vada.* Notandum, a poëta h. l. argumentum ex historiis, heroum vita serioribus,

Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas, et benefacta Marî.
Bellaque resque tui memorarem Caesaris; et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos,
Aut canerem Siculae classica bella fugae:
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae,

commemorari. Conf. Heyne ad Virg. Cul. vers. 29. Xerxem, Persarum regem, quo tempore Graecis bellum inferret, ponte facto Asiam Europae iunxisse, res nota. Vid. Iustin. lib. II; Plutarch. et Corn. Nepot. Themist. – 23. *Regnave Remi*, urbis Romae initia. *Remus* saepius pro Romulo a poëtis nominatur, ut Catull. LVIII, 5: *Remi nepotes*; Iuvenal. Sat. X, 73: *turba Remi*, ubi vid. Ruperti. – *animos*, superbiam, arrogantiam, *Carthaginis altae*, bella Punica. – 24. *Cimbrorumque minas*, pro Cimbros minantes, nempe eversionem imperii romani, sic *Hannibalis minae* Hor. Carm. IV, 8, 16. *Cimbri*, Germaniae populus, a C. Mario, cuius vitam descripsit Plutarch. victi; victoriae ipsius de Cimbris aliisque populi romani hostibus reportatae, dicuntur h. l. *benefacta Mari*. Conf. Plutarch. d. l. Sallust. Iug. 85; Flor. III, 3. – *et – fores*, postquam Augusti bella et in remp. merita cecinissem, proxima mihi cura foret tua canendi. Caeterum ex his et sqq. versibus satis perspicue patet, Maecenatem pluribus interfuisse proeliis, licet id historici non commemorent.

27 – 30. Tu enim, pergit, bello et pace fidelissimus Augusti amicus, periculorum et triumphorum, meritorumque ipsius particeps fuisti. Quam notionem ut plenius et accuratius exornaret poëta, singulatim attulit bella ab Augusto feliciter gesta. Sueton. Aug. c. 9: *Bella civilia quinque gessit: Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Actiacum. Ex quibus primum, ac novissimum, adversus M. Antonium: secundum, adversum Brutum et Cassium: tertium, adversum Luc. Antonium, Triumviri fratrem; quartum, adversus Sext. Pompeium, Cn. filium.* – *Mutina*, urbs Galliae Cisalpinae, colonia rom. nobilis obsidione, qua Decium Brutum Antonius cinxit, qua obsidione eum liberavit Augustus. Florus IV, 4; Suet. Aug. c. 10. Conf. et Ovid. Met. XV, 822 sqq. – *Philippi*, urbs Macedoniae nobilissima, in cuius campis Augustus et M. Antonius victoriam de Bruto et Cassio deportarunt. Vid. Dio Cass. lib. XLVII, et Sueton. Aug. c. 16. Iam ut proelium maxime cruentum ibi pugnatum esse, et Maecenatem gravissimorum periculorum comitem ac participem fuisse, significaret Prop. proposuit sententiam hanc; omnis ibi campus sepulcris, tumulis caesorum repletus; eandemque eleganter et poëtice expressit verbis *busta Philippos* (sic Catull. LXVIII, 89: *Troia – commune sepulcrum Asiae Europaeque*. Liv. XXXI, 29: *Capua sepulcrum ac monumentum Campani populi*) et ut imago eo tristior atque elegiae convenientior appareret, addidit *civilia* busta. – 28. *classica bella*, i. e. navalia. Devictus ad Siculum litus

Et Ptolemaeeae litora capta Phari:
Aut canerem Aegyptum, et Nilum, quum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra via:
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumta, et posita pace fidele caput.

ab Augusto Sex. Pompeius A. V. DCCXVIII; fuga sibi consulere studuit; vid. Dio Cass. XLIX, 10, pag. 576; Suet. Aug. c. 16; Horat. Epod. IX, 7. – *Eversosque - Etruscae*, eversam et dirutam Perusiam, vid. ad I, 22, 3. – *focos*, domos, urbem. Eurip. Hec. 22: *πατρῷα δ' ἑστία κατεσκάφη*. – *Pharus*, insula Aegyptiaca prope Alexandriam, quacum aggere et ponte olim iuncta erat. Vid. Caes. Bell. Civ. III, 112. Totam Aegyptum designat ap. Lucan. VIII, 433; Stat. Silv. III, 2, 102; dicitur *Ptolemaeea*, i. e. aegyptiaca, a Ptolemaeis Aegypti regibus; vid. Heins. Advers. p. 257 sqq. Augustus post proelium Actiacum transiit in Aegyptum, et obsedit Alexandriam, qua intra breve tempus potitus est.

31–36. Aut canerem actum de Aegypto plane subacta triumphum. Post pugnam Actiacam Augustus, capta Alexandria, Aegypto potitus, eam in provinciae formam redegit. – *tractus in urbem*, coactus venire captivus in triumphum; scil. in triumphis et regionum subactarum, et fluminum illis vicinorum (unde *Aegyptus* et *Nilus* h. l. coniunctim nominantur) lentius euntium imagines in ferculis et thensis circumferebantur. Vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, p. 230; Claudian. de Laud. Stilic. III, 23 sqq. *Hi famulos traherent Reges, hi facta metallo Oppida, vel montes, captivaque flumina ferrent, Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes* (h. l. legitur *debilis*) *Inde catenato gemeret Germania Rheno*. Add. Horat. Carm. II, 9, 19. – *septem aquis*, ostiis septem, unde Nilus *ἑπτάπορος* Dionys. Perieg. vers. 264: *septemgeminus* dicitur Catull. XI, 7; Ovid. Am. III, 6, 39: *ille fluens dives septena per ostia Nilus*. – 33. Aut reges, catenis collo circumdatis, ante currum triumphalem ductos. – *auratis*, quo discernerentur a reliquis captivis, qui catenis ferreis vincti erant. Vid. Vell. Paterc. II, 82: Iustin. V, 11. Caeterum intelliguntur reges, qui Antonio, Bruto, Sex. Pompeio et aliis Augusti hostibus faverant. – *Actiaque rostra*, navium captarum in pugna ad Actium, oppidum et promontorium Epiri. – 34. *currere*, nam spolia hostilia, ut h. l. rostra navium in victoria actiaca captarum, curribus imposita vehebantur in triumphis. – *sacra via*, per *sacram viam* imperatores triumphantes curru devehebantur in Capitolium. Vid. Horat. Epod. VII, 8. Nomen habebat a foedere, quod inter Romulum et Tatium ictum erat; vid. Festus. Incipiebat ab amphitheatro, et per vicinos hortos, iuxta templum Pacis et forum Caesaris recta tendebat in Capitolium. Vid. Fabric. Descript. Vrb. Rom. c. 5. – *armis* pro bellis. - *sumta et posita pace*, in toga et sago, tempore pacis et belli. – *fidele caput*

Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.
Sed neque Phlegraeos Iovis, Enceladique tumultos
Intonet angusto pectore Callimachus:
Nec mea conveniunt duro praecordia versu

Maecenatis fidem praedicat quoque III, 9, 34: *caput*, pro vir, amicus, noto graecismo, ut Horat. Od. I, 24, 2 etc.

37, 38. Augusti et Maecenatis amicitia mutua comparatur cum amicitia ac necessitudine, quae inter Thesea et Pirithoum, Achillem et Patroclum intercessit. Non satis accurate hi versus cum antecedentibus cohaerere, et nonnulla deesse videntur. Barthius subintelligit *qualiter*, quemadmodum; atque observat, poëtas, qui altiori ferantur spiritu, eiusmodi particulas et voces redditivas ac comparativas omittere solere. Coll. Horat. Carm. IV, 4, 17 (ubi omiss. *talem*); Virg. Aen. III, 641; adeoque sensum esse: te canerem fidelem Augusto, tali nempe fide, quali fuisse Pirithoum testatur Theseus apud inferos, et Patroclum Achilles inter homines in terra. De amicitia *Thesei* cum *Pirithoo*, Ixionis filio, (unde h. l. *Ixionides*) vid. Plutarch. in Thes. pag. 14; Lucian. in Charidemo §. 16; Schol. Apollon. I, 100; Meurs. in Theseo c. 23, 25, 27. Pirithous etiam comite Theseo ad inferos descendit, Proserpinam inde rapturus, quae fabula diversis modis tractata est. Vid. Bion. Id. VI, 6 sqq. Horat. Carm. III, 4, 80; IV, 7, 28; Heyne ad Apollod. II, 5, 12, p. 434; ad Aen. VI, 617. De amicitia *Achillis* cum *Patroclo*, Menoetii filio, (unde h. l. *Menoetiades* dicitur) ab Hectore occiso, cuius necem Achilles severissime ultus est, vid. Hom. Il. Π, 818 sqq. Σ, 446 sqq. Χ, 312; Ω, 507 sqq. *superis*, i. e. hominibus, qui supra terram sunt, ideoque opponuntur infernis, vel mortuis, qui infra terram sunt. Vid. Seneca Hippol. 625; Virg. Georg. IV, 486; Sil. Ital. XIII, 777; Seneca Phoeniss. 235. – *hic*, nempe Theseus. – *ille*, nempe Achilles, recurrit quasi oratio. Similis locus III, 14, 17. Exempla hanc in rem plura e graecis latinisque scriptoribus attulit Fischerus Animadv. ad Weller. Vol. I, p. 329.

39–42. Sicuti Callimachus, cui pectus erat angustum, non poterat canere tumultus et bella (nominatim affert poëta bellum Giganteum); ita nec ego carmine heroico Caesaris Augusti nomen celebrare possum, meae lyrae non nisi mollia, et amatoria carmina conveniunt. Conf. Ovid. Remed. Am. 381. – *Phlegraeos*, vid. ad I, 20, 9. – *Enceladus*, unus e gigantibus, omnium maximus, a Iove victus. Vid. Horat. Carm. III, 4, 56, ibique Mitscherlich. Apollod. I, 6, 2. – 40. *Intonare tumultus*, eleganter de carmine grandisono et heroico. Scilicet heroica carmina, ut poëtae loquuntur, intensionem vocis (*μέγα ψοφέουσαν ἀοιδὴν* Callimach. in fragm. Bentl. 165. *Os magnum* Prop. II, 10, 12) et lyrae modulationem requirunt. Sed in tenui et molli carmine vox remittitur, et lyra leviter tantum perstringitur. Hoc sensu *levior lyra* legitur Senec. Agam. 329. *numeri leviores* Ovid. Amor. I, 1, 19. *parvus in*

Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves:
Nos contra angusto versamus proelia lecto.
Qua pote quisque in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori: laus altera, si datur uno
Posse frui, fruar o solus amore meo.
Si memini, solet illa leves culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sint tangenda novercae pocula Phaedrae,

*ore sonus* Prop. IV, 1, 58; hinc Callimacho h. l. tribuit *angustum pectus*, quia mollibus carminibus amatoriis spiritus ipsius aptior erat, quam epico carmini; hinc *Callimachum non inflatum* vocat II, 34, 32; hinc et Prop. elegorum scriptor, sibi ipse *exiguum pectus* tribuit eodem sensu IV, 1, 59, et h. l. addit, *suis praecordiis non convenire durum versum*, i. e. grave, epicum carmen; sic epicus poëta dicitur *durus* poëta II, 34, 44. Contra carmina amatoria, iocosa, levia, dicuntur *modi molles* Ovid. Trist. II, 349; Virg. Cul. 34, et poëtae talia carmina canentes vocantur *poëtae teneri* Catul. XXXV, 1; Ovid. Remed. Amor. 757. – *Caesaris – avos*, nec mea praecordia conveniunt, i. e. apta sunt, condere nomen Caesaris, pro condendo nomini Caesaris in Phrygios avos carmine heroico. *Condere*, pro celebrare, laudibus extollere, Ov. Trist. II, 336; et *nomen* de generis nobilitate saepius dicitur, ut I, 5, 26; Ovid. Heroidd. XI, 17. Vid. Graev. ad Cic. ad Div. III, 7: atque adeo *nomen condere in avos*, est Caesaris nomen ad Troianorum gentem transferre, et celebrare inde a prima gentis origine; v. Burm. ad Valer. Flacc. I, 531. *Phrygii avi*, Aeneas, Iulus, a quibus gentis Augusti origines deducebantur.

43–50. Suo quisque studio ducitur, et de re sua loquitur. Hoc exemplis demonstratur. – *proelia* Veneris, τὰς μάχας τὰς ἀφροδισίας, in *angusto lecto* commissa *versamus*, tractamus, canimus. Ego, poëta, in iocis et lusibus occupatus sum, levia ac ludicra tracto et cano. – 46. Colorem orationis illustrabit comparatio proverbii Graecorum apud Aristoph. Vesp. 1432: Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην; quod Cic. Tuscul. I, 18, vertit: *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.* Vid. ibi Davis. et Valcken. in diatrib. ad Eurip. Fragment. Dramat. perdit. c. VIII, fragm. 76. – *pote*, potest, ut III, 7, 10. – *Laus – mori*, vid. I, 6, 27. – *uno*, scilicet amore, ita ut puella sit fida et constans. – *solus*, sine rivali. – *illa*, Cynthia, ut I, 12, 3. Spero fore, inquit Prop., ut Cynthiae amore semper sine rivali fruar, solet enim illa leves culpare puellas. – *ex Helena*, ob Helenae inconstantiam et perfidiam.

51–56. Copiosius et praeclare exornatur sententia supra proposita, *laus in amore mori* vers. 47. Ego, inquit, Cynthiam ad vitae finem usque ama-

Pocula privigno non nocitura suo:
Seu mihi Circaeo pereundum gramine, sive
Colchis Iolciacis urat ahena focis:
Vna meos quoniam praedata est foemina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores;
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
Phoenicis Chiron lumina Phyllirides.

bo. Sensus vers. 51 — 54: sive philtrum sit mihi bibendum, sive arte magica pereundum, unice tamen Cynthiam amabo. – *tangenda*, bibenda, haurienda, ut Horat. Carm. III, 19, 14. – *Phaedrae pocula*, philtra amatoria, quibus Phaedra, Thesei uxor, Hippolytum, privignum, frustra in amorem pellicere conata est; id Prop. solus h. l. memorat, aliis testes deficiunt, sed haud dubie noster etiam h. l. ut aliis quoque in locis, scriptores graecos deperditos secutus est. Vid. ad vers. 62. – *nocitura*, pro nocentia, quae non nocebant. – 53. *Circaeo gramine*, ornate pro herbis magicis. *Circe*, Solis et Perses Nymphae filia, veneficiorum peritissima, unde *docta* vocatur Tibull. IV, 1, 61. Amores et veneficia ipsius ex Homeri Odyssea satis nota sunt. – 54. Si opera Medeae recoquar, ut Aeson, et repuerascam, iterum tamen Cynthiam unice et perdite amabo. Nova erit vita, sed vetus amor. Barth. – *Colchis*, Medea, a patria ita dicta. Alludit ergo h. l. poëta ad Aesonem, Iasonis patrem, Medeae pharmacis recoctum Iolci, in Thessalia, et ex decrepito sene iuvenem rursus factum. Vid. Ovid. Metam. VII, 158. – *urat*, scil. mihi, ad me recoquendum et renovandum: *urat ahena*, faciat, ut candescant ahenea vasa, lebetes igne supposito calefaciat. Similiter Horat. Carm. I, 4, 8: *Vulcanus urit officinas*. – 55. *Vna*, Cynthia prima et sola me cepit. – *ex - domo*, coll. II, 14, 32; e Cynthiae domo ad sepulturam efferar. – *funera*, de exsequiis et funerali pompa, vid. Kirchmann. F. R. II, 1. – *ducere*, de elatione, exportatione hominis mortui ad sepulturam, verbum proprium, ut apud Iuvenal. I, 146.

57 - 60. *Dolores*, pro morbis. – *non amat*, aversatur medicum morbo tollendo occupatum. Theocrit. Idyl. XIV, 52: Χῶ τι τὸ φάρμακόν ἐστιν ἀμηχανέοντος ἔρωτος, Οὐκ οἶδα. Omnes alii morbi prius ac facilius possunt sanari. – *Philoctetes*, Poeantis filius, sagittis venenatis ab Hercule acceptis, quum se ipse vulnerasset, sive, ut alii tradunt, serpentis morsu ulceratus esset, eum sanavit *Machaon* Aesculapii filius, medicus, sive potius chirurgus, insignis, vid. interpp. ad Cels. de medic. lib. I, Praef. init.; Hygin. fab. 102; Ovid. Met. XIII, 329; Q. Calab. IX, 852 sqq. Soph. Philoct. - *tarda crura*, nempe ex vulnere, ut *vulnere tardus* Virgil. Aen. II, 436: et h. l. *tarda crura* dicitur, ut graec. βραδὺς pro claudo, unde Catullo XXXVI, 7: *tardipes deus* Vulcanus dicitur. —

Et deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
   Restituit patriis Androgeona focis.
Mysus et Aemonia iuvenis qua cuspide vulnus
   Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
   Tantaleae poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,

*Phoenix*, Amyntoris filius, Ov. Met. VIII, 307; a patre oculorum luce privatus, quod matris impulsu pellicem patris corruperat. Vid. Apollod. III, 13, 8; et Heyne pag. 803; sed *Chiron* Saturni et Philyrae (unde *Phillyrides* dicitur) Nymphae filius, vid. Hemsterhus. ad Lucian. Dial. Mort. XXVI, pag. 434, sanavit Phoenicis lumina.

61 – 64. *Epidaurius deus*, est Aesculapius, qui celebre templum Epidauri, urbe Argolidos in Peloponneso, habuit. Vid. Ovid. Metam. XV, 624 sqq. Fast. VI, 375: *Die Heilbringenden Götter. Ueber Aesculap und Hygea, von Böttiger*, im Iournal des Luxus und der Moden. Ianuar 1803. – *Cressis herbis* commemorantur, quoniam Creta saluberrimarum herbarum copia insignis erat, vid. Theophrast. Hist. Plant. IX, 16; Serv. ad Virg. Aen. XII, 412, pro herbis salutaribus quibuscunque. – *Androgeon*, scil. *Androgeos*, Minois Cretensium regis filius, ab Atheniensibus occisus, vid. Heyne ad Apollod. pag. 879 sqq. Eum ab Aesculapio vitae restitutum esse, solus refert Propertius, qui auctores habuit quos sequeretur. Certe inter eos, qui ab inferis resuscitati sunt, Androgeona non memorat Hyg. fab. 251. – *patriis focis*, patriae et patri. – 63. *Mysus* est Telephus, Mysorum rex, in pugna cum Achivis, ad oram suam appulsis, quum ad oppugnandam Troiam proficiscerentur, *Aemonia cuspide*, i. e. hasta Achillis, Thessali, vid. I, 13, 21, vulneratus, ab eodemque sanatus est. Claudian. in Deprecatione ad Hadr. XXXIX, 45: *Quae per te cecidit, per te fortuna resurgat. Sanus Achillea remeavit Telephus hasta, Cuius pertulerat vires.* – *hac ipsa cuspide*, Plin. enim H. N. XXV, 5, tradit, ab Achille aeruginem primum inventam, utilissimam emplastris; ideoque pingi solitum decutientem illam e cuspide in vulnus Telephi. Sed Telephum herbis sanatum esse ab Achille herbarum peritissimo, alii tradunt. Vid. Hygin. fab. 101, ibique Munk. Ovid. Am. II, 9, 7; scholiast. Pind. Nemeor. III, 55; Meziriac. ad Ov. Her. III, pag. 235 sqq.

65 – 70. Alia omnia prius efficere aliquis poterit, quam mihi amorem demere. – *vitium*, nempe amoris, coll. vers. 58. – *Tantaleae manu*, pro manui, I, 11, 12, poterit Tantalo porrigere poma, ita ut ille ea accipiat. Tantalus in orco, a labris sitiens fugientia captat flumina et poma, quod filium Pelopem diis epulandum apposuerat. Vid. Tibull. I, 3, 77 sqq. Ovid. Heroidd. XVIII, 121. Fabula nota. Eleganter autem amoris dolores, qui animum poëtae cruciabant, comparantur cum doloribus damnatorum, de quibus Mythologi loquuntur. – 67. Danaidum dolium, licet pertusum, replebit. Danai quinquaginta

Ne tenera assidua colla graventur aqua.
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
Brachia, et a medio pectore pellet avem.
Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero:
Maecenas nostrae spes invidiosa iuventae,
Et vitae et morti gloria iusta meae;
Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda caelatis siste Britanna iugis,

filiae maritos suos, filios Aegypti, Danai fratris, interfecerunt. Hypermnestra sola pepercit Lynceo. Supplicium earum in inferis, dolium perforatum aqua replere. De fabula vid. Apollod. II, 1; interpp. ad Hygin. 168, pag. 283. – *colla*, pro more veterum, urnas capite gestandi. Vid. IV, 4, 16; imitatus est nostrum Ov. in Ibin 355 sqq. *Quaeque parare suis letum patruelibus ausae Belides assidua colla premuntur aqua*. Barth. – 69. Herculis vires et robur ille habebit. – *Prometheus*, Iapeti filius, ob *ignem aetheria domo subductum*, Hor. Carm. I, 3, 29, Caucaso monti alligatus est, ubi secundum alios vultur, (Val. Fl. IV, 68) secundum alios aquila (Cicer. Tuscul. II, 10) iecur ipsius dilaniabat. Tandem Hercules aquila sagittis transfixa, Prometheum liberavit. Vid. Schütz. ad Aeschyl. Prometh. Excurs. I; Heyne ad Apollod. I, 7, 1, p. 89; Prop. I, 12, 10.

71-78. Suavissimus locus. Respicitur ad ea, quae vers. 56, leguntur. – *fata*, idem quod Parcae, ut saepius. – *reposcent*, translatione a creditoribus desumta. Lucret. III, 984: *Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu*. – 72. *breve nomen*, brevis inscriptio in cippo sepulcrali; quum de me nihil supererit, quam breve hoc nomen. Nomen defuncti cippis inscribebatur. Vid. Kirchman. Fun. Rom. III, 19. – *spes invidiosa iuventae*, cuius favorem, tutelam, cum invidia et aemulatione multi sperant. Imitatus est nostrum Ovid. Met. IV, 794: *Multorumque fuit spes invidiosa procorum*. Verba *nostrae iuventae* intelligunt de ipso Propertio, ad quem seq. vers. refertur; rectius Burm. de iuventa romana, ut infra el. 3, 33, *iuventus* legitur. Idem Burm. quoque monet, *iuvenem* et *iuventam* frequenter de aetate robustiore et iam matura ac provecta dici; ut *Myrsus iuvenis* supra vers. 63; Seneca Oedip. 775, ubi v. Delrii Comment. pag. 129; Vossius Inst. Orat. I, p. 191. — *et vitae et morti*, vivus et mortuus te patrono gloriabor. Similis sententia II, 15, 36: *huius ero vivus, mortuus huius ero*. – 76. *Esseda*, erant Britannorum vehicula militaria, Caes. B. G. IV, 24, brevia, duabus rotis, et celeritati apta; transierunt deinceps in usus Romanorum, inprimisque iis iter facientes utebantur. Vid. Cic. ad Attic. VI, 1; Sueton. Calig. c. 51; Kortte ad Cic. ad Div. VII, 7, et Schefferus de Re Vehic. II, 23; I, 11; interprett. ad Virg. Georg. III, 204; Plin. XXXIV, 17. – *caelatis*, caelatura exornatis. – *iugis*, ubi aurigae sedebant; sed es-

Taliaque inlacrymans mutae iace verba favillae:
　Huic misero fatum dura puella fuit.

## ELEGIA II

### CYNTHIAE LAVDES

Liber eram, et vacuo quaerebam vivere lecto:
　At me composita pace fefellit Amor.
Cur haec in terris facies humana moratur?
　Iupiter, ignoro pristina furta tua.
Fulva coma est, longaeque manus, et maxima toto

*seda cael. iugis* positum pro esseda caelata. – 77. *iace verba*, dic, loquere, sic affare manes amici. *Iacere voces* Cic. Cat. IV, 7. *sermones* Tacit. Ann. IV, 68. – *favillae*, cineri, mortuo. – 78. *fatum*, causa fati. Sensus: impotentia amoris periit. Theocrit. Id. XXIII, 46: γράψον καὶ τόδι γράμμα, τό σοι ςίχοισι χαράξω· Τοῦτον Ερως ἔκτεινε ὁδοιπόρε.

**Elegia II**

Se amori valedicere voluisse, neque tamen propter divinam Cynthiae formam potuisse, affirmat poëta. Docte et ornate primo singulas formositatis Cynthiae partes describit, deinde omnem illius formam cum forma dearum heroinarumque (loco heroinarum reliquarum omnium Ischomachen laudat) comparat, et Cynthiam deas ac heroinas omnes formae excellentia superare docet. Sublimior spiritus in hoc carmine viget.

1–4. *Liber eram*, solutus amore – *vacuo lecto*, viduo et caelibe, *desertus in lecto caelibe* Catull. LXVIII, 6. – *quaerebam*, cupiebam, adnitebar, meditabar, Ovid. Heroidd. I, 9; Valer. Flacc. VI, 450. – *composita pace*, ficta, simulata. *Componere*, verbum insidiarum; vid. II, 32, 19; 9, 31. – *Cur – tua* Cynthia digna coelo, Iovis amore digna, *moratur*, cum dilectu, qui fit, ut adhuc, tam diu his in terris moretur, vivat? – *Ignoro*, non agnosco, non credo Iovis furta: nam si vera essent, quae de iis narrantur, non amplius Cynthia his in terris versaretur, iamdudum a Iove rapta esset. – *Ignoro – tua*, solemnis exprobratio, quasi Iupiter omnibus formosis potiri ac frui deberet puellis. Stat. Silv. I, 2, 134 sqq.; Ovid. Am. III, 10; Petron. c. 138; add. el. 3, 30. – *furta* pro amoribus obvium, inprimis *Iovis furta* apud poëtas celebria, Ovid. Heroidd. XVI, 289: *Iupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis, Haec tibi nempe patrem furta dedere Iovem;* et *furtum* pro raptu Virg. Aen. X, 91.

5 – 8. Ornatius iam Cynthiae pulchritudo per partes describitur. – *fulva coma est*, ξανθὴ, Periz. ad Ael.

Corpore, et incedit vel Iove digna soror:
Aut quum Munychias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferae pectus operta comis.
Qualis et Ischomache Lapithae genus heroinae
Centauris medio grata rapina mero,

IX. 9: flavos et fulvos crines maxime adamabant veteres. Vid. Salmas. ad Tertull. de Pall. pag. 352; interpret. ad Petron. c. 110; Ovidd. Heroidd. XX, 57. – *longaeque manus*, etiam commendabantur in puellis. Apuleius lib. II Florid. init. *manus tenerae, procerulae.* — *maxima corpore*, augustior corporis proceritas: statura aliquantum procera in deabus, foeminisque laudatur Ovid. Met. XIII, 790, 794: hinc et incessum Iunone dignum Cynthiae tribuit, nam Iuno Iovis *soror* et coniux, Virg. Aen. I, 46: *Ast ego quae divum incedo regina Iovisque Soror et coniux.* – *incedit*, quam opportune positum! usurpatur enim hoc verbum prop. de iis, qui gravitatem et dignitatem incessu affectant. Conf. Servius ad Virg. Aen. l. c. Proverb. Ἥραιον βαδίζειν. Schrader. ad Musaeum cap. 7, p. 171. – *Munychias*, Athenienses. Munychia pars urbis Atheniensis cum portu. Athenae autem in tutela Minervae; hinc Ovid. Met. II, 709: *Munychiosque volans agros, gratamque Minervae Despectabat humum.* Caeterum observanda praeclara comparatio Cynthiae incedentis cum Minerva festo die prodeunte, ut sacris suis intersit. Vid. Heyne Excurs. II ad Virg. Aen. IV, 143 sqq. – *Gorgonis*, Medusae caput anguiferum a Perseo abscissum, aegidi suae i. e. thoraci Pallas affixit, vel saltem eius imaginem affabre insculpi iussit, vid. Heins. ad Ovid. Met. V, 195; ad Valer. Fl. III, 54; Stat. Theb. VIII, 518; ibique Barth. p. 900: idem quoque in scuto gestabat. De Medusa cf. Hesiod. Theog. 270 sqq. Apollod. II, 4, 2, ibique Heyne. Ovid. Met. IV, 752 sqq.

9–12. *Ischomache*, quae etiam Hippodamia sive Hippodame dicitur, Atracii filia (Hygin. f. 33 eam Acasti filiam facit) in cuius, cum Pirithoo, Lapitharum in Thessalia rege, nuptiis, inter Lapithas et Centauros, qui sponsam aliasque foeminas praesentes rapere conabantur, pugna orta est. Vid. Ovid. Met. XII, 215 sqq.; ibique Gierig.: Perizon. ad Aelian. H. V. XI, 2, et Heyne ad Virg. Aen. VII, 304. – *Lapithae genus heroinae* vocatur, quia mater Hippodamiae e Lapitharum fuit gente et heroina. *genus*, docte pro filia, ut Horat. Carm. I, 3, 27, *Iapeti genus*, i. e. filius. – *medio mero*, quum potaretur maxime in convivio nuptiali. – 11, 12. *Brimo* est Proserpina, ita dicta ἀπὸ τοῦ βριμᾶν, a terrendo, quod ab ea immitti terrores nocturnos credebant, ei ad *Boebeidos*, lacus Thessaliae, *undas* Mercurius vim inferre voluit, sed illa adeo acriter repugnavit et infremuit, ut a proposito Mercurius deterreretur. Vid. schol. Apollon. Rhod. lib. III, cuius locum vid. apud Delr. ad Sen. Med. 812; Serv. ad Virg. Aen. IV, 577; Tzetzes ad Lycophr. 698; et Meurs. ad vers. 1176; Orpheus Arg. 17, 427; Propertius, qui Proserpinam Mercurio paruisse ait, alios auctores

Mercurio et sanctis fertur Boebeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.
Cedite iam, divae, quas pastor viderat olim
Idaeis tunicam ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Et sic Cumaeae secula vatis agat.

secutus est. – *sanctis undis*, Avernum, Virg. Aen. III, 442, vocat *divinos lacus*, h. e. monente Heynio, vel omnino sacros, consecratos, vel propter vicinam Sybillam, divinam vatem. Fontes *divinos* et *sacros* vett. nominant. Vid. Apollon. Argon. I, 1208; Theocrit. Idyll. VIII, 33; Burm. ad Ovid. A. A. III, 452. Fontes, quibus deae, antequam se Paridi conspiciendas praeberent, lavabantur, dicuntur σεμνοὶ Eur. Hel. 682, ut omnia quae ad deos et res divinas pertinent. Vid. Iacobs. Animadv. in Eurip. tom. II, pag. 163; Boebeida paludem Eurip. Alc. 589, dicit: καλλίναον Βοιβίαν λίμναν. Hesiod. Fragm. vs. 50, ex Strabone: (Pallas) Νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα παρθένος ἀδμής· et *paludes liquidas* dixit Ovid. Met. I, 324. Hinc patet sanam esse lectionem *sanctas undas*. Vid. Obss. – *composuisse latus*, pro concubuisse, ut ap. Ov. Heroidd. XIX, 138.

13–16. Postquam Cynthiam poëta comparavit cum Iunone, Minerva, Hippodamia, Proserpina, in fine carminis declarat, eam omnibus, etiam formosissimis deabus longe formosiorem esse. – *cedite*, nolite cum Cynthia de formositate certare. – *divae*, Iuno, Minerva, Venus. Innuit iudicium Paridis, quod in Ida monte de illarum trium dearum pulchritudine tulit. Res nota. – 15. *faciem*, ut εἶδος, de tota puellae persona capiendum. – *Et sic*, formae venustate non imminuta, Sibyllae Cumaeae senium superet. – *Cumaeae vatis*, Sibylla, quae Cumis Campaniae urbe consulentibus responsa dabat, vide Heyne Exc. III ad Virgil. Aen. VI, 9, longaeva vid. Ovid. Met. XIV, 146 seq.

## ELEGIA III

### ADVERSVM SE

Qui nullam tibi dicebas iam posse nocere,
Haesisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te iam liber alter erit.
Quaerebam, sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto vivere torvus aper:
Aut ego si possem studiis vigilare severis.
Differtur, nunquam tollitur ullus amor.

Elegia III

Videntur rixae inter Propertium et Cynthiam intercessisse. Propertius Cynthia se carere posse crediderat, sed amore iterum exardescente, in gratiam cum ea redierat. Itaque levitatem suam excusat, quod amores iam dimissos revocarit, atque Cynthiae raris et eximiis corporis animique dotibus, quas summis extollit laudibus, id factum esse declarat. Eodem tempore haec elegia scripta videtur, quo secunda.

1–4. Se ipsum alloquitur. Theocrit. Idyl. I, 97: Τὺ θὴν τὸν ἔρωτα κατεύχεο, Δάφνι, λυγιξεῖν; Ἀρ' οὐκ αὐτὸς ἔρωτος ὑπ' ἀργαλέω ἐλυγίχθης. – *nullam*, puellam, amicam, animum tuum porro movere posse. *Nulla*, absolute dicitur ut nemo. Vid. II, 33, 41. – *Haesisti*, amore captus desiisti fortia verba proferre. Vox faucibus haesit. Burm. *haerere* explicat, amoris oestro contactum et adtonitum stare, Cupidini praedam fieri, ut Ovid. Met. XIII, 906: *visaeque cupidine virginis haeret*, id est conspecta repente virgine, eius formam stupens constitit. Sed quam ipsi proposuimus explicationem, flagitare nobis videtur verbum *dicebas*, quod praecessit. – *cecidit – tuus*, superbia tua, fastus detumuit, subsedit. Virgil. Aen. III, 206: *cecidere animi*: *nec iam amplius armis, Sed votis precibusque iubent exposcere pacem*. Ovid. Heroidd. IV, 150: *Heu! ubi nunc fastus, altaque verba? iacent*. – 3. *requiescere*, abstinere ab amore et carminibus amatoriis conscribendis, *unum mensem*, aliquantisper. – *Et – erit*, infra eleg. 24, 1, 2: *quum sis iam noto fabula libro, Et tua sit toto Cynthia lecta foro*. vs. 5: *Nec sic per totam infamis traducerer urbem*. Respicit Prop. h. l. librum Carminum primum ab ipso editum.

5–8. Sed tentabam ea, quae fieri nullo pacto possunt. – *Non solitus*, verbum *quaerebam* repetendum, *si* (id est an, ut saepius) posset aper vivere in ponto, *non solitus*, scilicet vivere in ponto. Idiotismus Propertii, vide III, 10, 12. Caeterum ἀδύνατον simile est Virgiliano Ecl. I, 61,

Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit:
  Lilia non domina sint magis alba mea:
Vt Maeotica nix minio si certet Hibero,
  Vtque rosae puro lacte natant folia:
Nec de more comae per laevia colla fluentes,
  Non oculi, geminae, sidera nostra, faces;
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella:

et Horatiano A. P. 30. – *studiis severis*, vid. III, 21, 25. – *vigilare*, pro invigilare, assidue tractare. – *differtur*, mora quaedam et frigusculum intervenit, sed nunquam omnino evellitur ex animo. PASSERAT.

9–16. Similis locus I, 4, 11, ubi vid. not. – *Maeotica*, pro Scythica, epitheton a regione translatum, ubi maxima nivis copia; simpliciter ornat. *Maeotis* palus Scythiae, *Maeotis hiems* Ovid. Trist. III, 12, 2. – *minio si certet Hibero*, si cum minio componatur et coniungatur. – *Hibero*, ex Hispania praestantissimum minium Romam mittebatur, vid. Plin. H. N. XXXIII, 7; Hiberus Hispaniae fluvius, Plin. III, 1, unde regio ipsa Hiberia dicta, et Hispani, Hiberi. – 13. Suaviter depingit genas candidas roseo suffusas rubore. Anacr. XXVIII, 22 seqq.: παρειὰς Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας. Ovid. Met. III, 442 seqq.: *decusque Oris, et in niveo mixtum candore ruborem*, Virgil. XII, 67 seq.: *Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa Alba rosa: talis virgo dabat ore colores*. Vid. Dorvillius ad Charit. pag. 161; Schrader. ad Musaeum pag. 175 seqq. Add. Prop. II, 15, 52. – 13. *Nec – fluentes*, vid. II, 1, 8; 22, 9. – *laevia*, polita, marmorea, pulchra, ut *laeve pectus* Virg. Aen. XI, 40: *Marmorea caput a cervice revulsum* Id. Georg. IV, 523. – *faces*, oculos, puellarum inprimis, poëtae frequenter comparare solent cum *facibus*, *sideribus*, Ovid. Amor. III, 3, 9; II, 16, 44; Met. I, 499; *flammis* Claudian. X, 266; *lampadibus* Tibull. IV, 2, 6. Vid. Fischer. ad Anacr. XXVIII, 18. – *Nec si qua – puella*, dignum animadversione, inquit Vulpius, quod Prop. hic a Cynthia describenda ad quamlibet puellam transeat. Et Barthius addit: vult nimirum Propertius non aliam puellam, quaecunque demum sit, amorem Cynthiae ex animo suo depulsuram; neque enim se temere amare. Sed haec interpretatio nimis contorta est, et omnis orationis series docet etiam h. v. de Cynthia cogitandum esse. Scaliger exponit: nec quia tu luces Arabio bombyce. Scilicet incerto sermone certam puellam designat, nempe Cynthiam, quae sunt verba Passeratii ad I, 3, 15: *si qua*, pro quaecunque, ut III, 2, 15; Ovid. Trist. I, 1, 77; Met. I, 502; Virgil. Ecl. IV, 13. Vt Graeci εἴ τι pro ὅ τι ponunt; vid. Abresch. Dilucc. Thucydd. pag. 27, 354, 501. Sed incerto sermone h. l. Prop. usus est, ut videtur, propterea quod et alias Cynthiam ob nimium formae cultum vituperarat I, 2, 2, s. 8, hinc etiam vs. 16 addit *non sum de nihilo*, adeo levibus de causis, temere, *blandus*, obsequiosus amator. – *lucet*, fulget.

(Non sum de nihilo blandus amator ego)
Quantum, quod posito formose saltat Iaccho,
Egit ut evantes dux Ariadna choros:
Et quantum, Aeolio quum tentat carmina plectro,
Par Aganippeae ludere docta lyrae:
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,

Vid. II, 1, 5; Martial. VIII, 67: *Femineum lucet sic per bombycina corpus.* – *Bombyx*, pro veste bombycina et serica, Coa, vid. I, 2, 2, hoc voc. etiam masculino genere usurpavit Martial. VIII, 33. – *Arabio*, de linis Aegyptiorum, Indorum, etiam Arabum, unde vestes tenuissimae texebantur, vid. Plin. XIX, 1.

17–22. *Quantum* refertur ad v. 9: nec me tam cepit facies etc. quantum me capit, quod etc. Vid. et I, 12, 3. – *Iaccho*, docte pro vino, II, 33, 25 seqq. – *posito*, seposito, post vina; *posito mero* Ovid. A. A. III, 350; Anacr. Od. XLVIII, 5. Alii *posito*, id est apposito. – *formose*, scite, eleganter, decenter, ut apud Apulei. Met. VI, pag. 183; V, pag. 168, ed. Elmenh. – 18. *evantes choros*, ὀργιάζουσαι, bacchantes. Vide Heyne ad Virgil. Aen. VI, 517. Monent interpp. intelligi h. l. genus quoddam choreae, multi laboris opus, ab Ariadne Minois filia, a Theseo derelicta, a Baccho amata, vid. Catull. LXIV, nomen habens. Vide Heyne Obss. ad Homer. Il. Σ, 590. – *dux*, vid. eleg. 30, 37. – *Aeolio plectro*, lyra Lesbia (Lesbos enim tota fere ad Aeoliam pertinebat, vid. Strabo XIII, pag. 916, 924 Almel.), lyra Sapphus, quae *Aeolia puella* Horat. Carm. IV, 9, 12, cuius *lyra Aeolia* dicitur Ovid. Heroidd. XV, 200. Intelliguntur h. l. carmina Sapphica amatoria, et cum hac praestantissima poëtria Propertius Cynthiam suam comparat. – 20. *Aganippe*, fons Boeotiae, Musis sacratus, I, 2, 28, unde *ludere* (id est canere, de carmine levioris argumenti, carmine amatorio, ut παίζειν, παίγνια) *par Agan. lyrae* est, dignum Musis carmen, cantus, qui lyram Musarum aequet. Tibull. IV, 1, 25. Iam Propertius, qui Cynthiam cum ipsis Musis comparaverat, nunc in ea, monente Hemsterhusio, poëticae virtutis fiduciam laudat, quippe quae non dubitet infra se positas esse praestantissimas Graecorum vates. Saltem in simili iactantia versatur Virgil. Ecl. IV, 55, et Propertius ipse III, 1, 9 seqq. al. – 21. *Corinnae*, duae fuerunt, una Thespia, altera aut Thebana, aut Tanagraea; utraque poëtica laude insignis, haec quidem ita, ut Pindarum quinquies vicisse tradatur. Sed Pausanias ideo factum putat, quod Pindarus Dorica lingua caneret, quae non satis intelligeretur ab Aeolibus, illa autem Aeolica; neque non illud ad conciliandum victoriam profuisse tradit, quod mulier esset omnium per id tempus formosissima. MVRET. – *committit*, componit, comparat, veluti certando pugnandoque, *committere*, *Martem* Sil. XIII, 155; sed *committit* positum etiam esse potest pro, licet ei, potest *committere*, *non aequa putare.* Sic *eat* pro ire possit II, 6, 38; *mercatur* II, 16, 15. – *cum antiquae*, nobilis, celebris,

Carminaque Erinnes non putat aequa suis.
Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aureus argutum sternuit omen Amor?
Haec tibi contulerunt coelestia munera divi;
Haec tibi: ne matrem forte dedisse putes:
Non, non humani sunt partus talia dona;
Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis.
Romana accumbes prima puella Iovi.
Nec semper nobiscum humana cubilia vises:
Post Helenam haec terris forma secunda redit.

*Corinnae* scilicet scriptis; similis loquendi ratio eleg. 8, 23: *Et sua cum miserae commiscuit ossa puellae.* Sapphus coaeva et amica fuit Erinne, quae lyrica scripsit carmina et heroica, tanto in pretio habita, ut cum Homericis compararentur; hinc patet, cur Propertius Sapphus et Corinnae mentione facta, hanc quoque poëtriam nominaverit. Conf. de ea Antipater Anthol. Gr. lib. I, tit. LXVII, Ep. VIII, Epigr. XIV.

23–34. Inde a primis vitae tuae diebus tibi favit Amor. Sternutamenta iam antiquissimis temporibus ad omina fausta referebantur. Theocrit. Id. XVIII, 16: *Ὄλβιε γάμβρ', ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι Ἐς Σπάρταν.* Homer. Odys. P, 545: *Οὐχ ὁράᾳς, ὅ μοι υἱὸς ἐπέπταρε πᾶσιν ἔπεσσιν;* hinc *sternuere* translatum est ad deos, qui coeptis propitii essent, inprimis ad Amorem, votis amantium faventem, Theocrit. Id. VII, 96: *Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον.* Vid. Catull. XLV, 9, ibique Doering. Ovid. Heroidd. XIX, 151. – *Aureus*, epith. Cupidinis perpetuum, Ovid. Remed. Am. 39; Amor. II, 18, 36. Vid. Obss. – *argutum*, sonorum, clarum, omen cum acuto sono prolatum. – 25. *haec munera*, *dona*, *bona*, haec animi ornamenta. – *Non*, *non*, solemnis repetitio, quando aliquid maiori cum emphasi et adfectu effertur. Horat. Carm. III, 24, 25; Soph. Philoct. 1270; Eurip. Med. 467. – *decem menses*, de mense decimo inchoato explicat Vulp. Vid. interpp. ad Virgil. Ecl. IV, 61. – *prima*, primum et unice, neque enim ante id contigit puellae romanae, ut a Iove raperetur, quo ei accumberet, neque post continget. *Accumbere*, frequenter quidem de lecto convivali usurpatur, ut Virgil. Aen. I, 79: *tu das epulis accumbere divum*; et Iovis ac deorum epulis adhiberi, etiam in aliis poëtarum locis, designat immortalitatem, locumque inter deos datum, vid. interpp. ad Epictet. Ench. cap. 15; Theocrit. Id. XVII, 22; Apulei. Met. VI, pag. 183: *Porrecto ambrosiae poculo, sume, inquit, Psyche, et immortalis esto.* Add. Horat. Carm. III, 3, 11; ubi vid. Mitscherlich. et Hemsterhus. ad Lucian. D. D. IV fin., tom. II, pag. 259; sed quum h. l. sequatur *humana cubilia vises*, verba vs. 30 haud dubie explicanda sunt

Hac ego nunc mirer si flagret nostra iuventus?
  Pulchrius hac fuerat, Troia, perire tibi.
Olim mirabar, cur tanti ad Pergama belli
  Europae, atque Asiae causa puella fuit.
Nunc, Pari, tu sapiens, et tu, Menelaë, fuisti;
  Tu, quia poscebas: tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;
  Vel Priamo belli causa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
  Hic dominam exemplo ponat in arte meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
  Vret et Eoos, uret et Hesperios.

de Iovis thalamo. Sic *accumbere* occurrit quoque apud Tibull. I, 9, 76; Prop. III, 15, 12. Conf. Oudendorp. ad Suet. Caes. 72, pag. 112. Faciunt praeterea ad hanc interpretationem confirmandam alii quoque loci, in quibus amatores, ut eximie laudent suas puellas, se deos rivales timere simulant. Charit. III, 3, pag. 45: *τίς ἄρα θεῶν, ἀντεραστής μου γενόμενος, Καλλιρρόην ἀπενήνοχε*, vid. ibid. p. 59. Add. Prop. II, 2, 3. – *secunda redit*, secundo, altera vice redit, neque praeclara; quin et praeclarior addit poëta, nam *pulchrius*, maiori tibi honori et gloriae fuisset, *hac*, per hanc, Troia perire tibi. – *forma*, pro formosa. – *nostra iuventus*, id est iuvenes romani. – *flagret*, ardeat, depereat. Horat. Carm. I, 4, 18: *Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet Iuventus Nunc omnis.*

35–44. *Pergama*, vid. eleg. I, 21. – *Europae atque Asiae.* Virg. Aen. X, 90: *quae causa fuit consurgere in arma Europam Asiamque.* Catull. LXVIII, 89: *Troia nefas, commune sepulcrum Europae Asiaeque.* – 37. Nunc egomet, captus pulchritudine Cynthiae, quae tamen Helenam, formosissimam foeminam, praestantia formae non tam aequat, quam potius superat, longe aliter de vobis iudico, quam antea. Fuistis uterque sapientes. – *poscebas*, ad Menelaum referendum, raptam Helenam sibi reddi postulantem, *lentus* ad Parin, Helenam restituere cessantem. – *facies*, Helenae. – *probanda fuit*, respexit Prop. Homer. Il. Γ, 154 seqq., ubi Helenae pulchritudo optime descripta est per vim ad animos spectantium, senum inprimis. Vid. Lessing. Laocoon. cap. 21, pag. 214 seqq., et Heyne ad Hom. loco citato. – 41. Nec tantum Helenam, formosissimam foeminam, sed et reliquas omnes prisci aevi pulcherrimas foeminas formae raritate et praestantia Cynthia superat. Hanc notionem praeclare exornavit poëta. Praecipit nimirum pictori eximiae pulchritudinis simulacrum picturo, Zeuxidis Helenam, vel Venerem Praxitelis superatûrum, ut Cynthiae imaginem exprimat, et ita sibi famam paret perpetuam. – *fama anteire*, maiorem famam picturae suae conciliare. – *tabulas vetustas*, vete-

His saltem ut tenear iam finibus: aut mihi si quis
  Venerit alter amor, acrius ut moriar.
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
  Post venit adsueto mollis ad arva iugo:
Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
  Dehinc domiti post haec aequa, et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,

rum pictorum Zeuxidis, Apellis etc. qui deas et foeminas formosissimas pinxerunt. – *in arte*, in opere suo artificioso. – *Ars*, pro opere artificioso, ut III, 5, 9. – *Sive – Hesperios*, omnes quicunque Cynthiae imaginem viderint, sive sint Eoi, sive Hesperii, eam deperibunt.

45. seqq. Initio elegiae poëta dixerat, se dimissos amores revocasse, coactum quasi forma Cynthiae, quam huc usque descripsit. Nunc ait: si mihi necessario amandum est, hoc saltem mihi dii largiantur, ut hanc unam tantum amem. Sin possim Cynthiam deserere, atque ego hoc audeam, tum vero mihi duplicentur et augeantur velim incommoda amoris. Sed hoc vix sperandum de me veterano amatore, et iam domito, in tanta forma qualis est Cynthia. Sic igitur Scaligeri transpositionibus (in eleg. 1 transtulit quae h. l. leguntur) nihil opus. Barth. Digna etiam est quae repetatur Vulpii ad h. l. observatio: Cave ab iis qui poëtas, Lyricos praesertim et Elegiacos, ad amussim dialecticam; vel geometricam, si diis placet, exigere volunt, et μέθοδον quandam iis praescribunt; quum tamen huiusmodi poëtarum vera et propria μέθοδος sit ἀμεθόδευτα. Nihil autem mirum, iis quibus ob amorem fluctuet animus, orationem praeterea et sententiam fluctuare. Verum haec intelligere non omnium est, sed eorum tantum, qui Gratiis litaverunt. – *ut*, pro utinam, *his tenear finibus*, hanc unice amem. Conf. I, 1, 36. – *acrius moriar*, acerbius crucier, vid. Heyne ad Tibull. II, 6, 51.

47–54. Compara Prop. II, 34, 47; Ovid. Heroidd. IV, 21; A. A. I, 19; II, 184; Tibull. I, 4, 11. – *venit taurus mollis*. Callim. Epigr. XLVIII, 3: Ἦλθεν ὁ βοῦς ὑπ' ἄροτρον ἑκούσιος. – *trepidant*, docte pro indignantur, iugum ferre nolunt, est Gr. σφαδάζειν, quod de equis ferocientibus, omninoque iis dicitur qui indignantes terram pedibus percutiunt. Vid. Ruhnken. ad Timaeum p. 173, Euripides apud Galenum Dogm. Plat., et Hippocr. IV, pag. 152: Εἰκὸς σφαδάζειν ἂν ὡς νεόζυγα Πῶλον χαλινὸν ἀρτίως δεδεγμένον. Conf. et Persius Sat. V, 170, ibique Casaub. et eleg. 4, 4. – *Dehinc posthaec*, pleonasmus graecis latinisque scriptoribus frequens. Herodot. III, 36: οὐ πολλῷ μετέπειτα χρόνῳ ὕστερον: Nep. Eumen. V, 5, *deinde post*. Vid. Fischer. Animadvv. ad Weller. vol. III, P. 2, pag. 91. – *Melampus*, filius Amythaonis (unde Tibullo IV, 1, 120, et Virgil. Georg. III, 550, *Amythaonius Melampus* dicitur. Add. Hom. Odyss. O, 223) frater Biantis, qui posterior summo flagrabat amore Peronis, quam Neleus, pater, illi uxorem promiserat, qui boves Iphicli, in quem miro flagrabat odio, surripere auderet; suscepit hoc

Cognitus Iphicli subripuisse boves.
Quem non lucra, magis Pero formosa coëgit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.

## ELEGIA IV

### AD AMANTEM

Multa prius dominae delicta queraris oportet:
Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas.
Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis;

in gratiam fratris Biantis augur Melampus. Sed Melampus *cognitus surripuisse*, id est surripere voluisse, ab Iphiclo captus et in vincula coniectus est; quibus tamen, quum Iphiclum rationem docuisset procreandi liberos, quibus ob sterilitatem carebat, post annum, *mox* vs. 54, liberatus est, nec tantum boves impetravit, sed et Pero fratri Bianti uxor cessit. Vid. Hom. Odyss. Λ, 286; Pausan. IV, 36, ibique Kuhn. Orpheus Argon. 147; Apollod. I, 9, 11; Schol. ad Theocrit. Id. III, 43; Apollon. Argon. I, 126. – *vates*, quamquam artis divinandi egregie peritus, sortem suam praevidebat. – *non lucra*, e surreptis Iphicli bovibus. – *domo*, id est Amythaonio Bianti. Sic Virgil. Aen. I, 366: *domus scelus*, id est a fratre commissum.

ELEGIA IV

Suo et Cynthiae exemplo docet, quot et quanta mala puellarum amor pariat. Videtur poëta hac elegia respondere cuidam amicorum, qui eum consuluerat, quomodo flectere posset puellam duram, ab ipso adamatam.

1–4. *Multa* etc. elliptica loquendi ratio; subintell. quam dominae tibi copia fiat, et ea certa ac fida frui possis. – 3. Vivide depingit mores hominis, cuius animus ira et indignatione aestuat. Martial. IV, 26, 5: *Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues*. Add. Prop. III, 25, 4. – *corrumpere*, deformare, corrodere. – *crepitum*, de sonitu graviore capiendum, terra irato pede percussa. – *dubio pede*, explicant de amatore secum deliberante, an non praestet blanditiis rem agere; vel, de amatore, an abire velit nec ne, haesitante; ut adeo *pes dubius* dicatur, quatenus amator ipse dubius sit. Sed rectius Mitscherlich. ad Horat. Epod. XI, 20 exposuit, pede instabili, utpote hominis irati, prae ira terram pulsantis, et toto corpore contremiscentis.

5–10. Quum ille Propertii amicus adolescens mollis et delicatus esset; hactenus dictis sententiam adnectit hanc: nimius cultus corporis et mun-

Ibat et expenso planta morata gradu.
Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
Non Perimedea gramina cocta manu.
Quippe ubi nec causas, nec apertus cernimus ictus,
Vnde tamen veniant tot mala, caeca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger:
Huic nullum coeli tempus, et aura nocet.
Ambulat, et subito mirantur funus amici.
Sic est incautum quidquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?

ditiei studium parum prodest in amore aspero et difficili. Sed urbane satis, amicum innuens, de se ipso loquitur. – *perfusa unguenta capillis*, hypallage, pro perfusi unguentis capilli. – *expenso gradu*, Gr. *μετὰ ῥυθμοῦ βαίνειν* Pollux III, 4, numerato, lento et composito, muliebri quadam segnitie. Talem incessum describit Coluth. Rapt. Hel. 227: *Ὠκύτε σειομένοισιν ἐπ' ἴχνεσιν ἴχνος ἐρείσας, Μὴ πόδας ἐμπεσόντας ὑποχραίνοιντο κονίης.* – 7. *Non hic herba valet.* Tibull. II, 3, 13: *Nec potuit curas sanare salubribus herbis: Quidquid erat medicae, vicerat, artis, amor.* Ovid. Met. I, 523: *Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis.* Nec saga, foemina artis magicae perita, aliquid potest et pollet in amore. Pro saga quacunque docte nominatur *Cytaeis*, hoc est Medea venefica insignis, Aeetae regis Colchorum filia, ita dicta a Cyta, Cyte, vel Cytaea, Κύτη, Κύτα, Κύταια, oppido regionis Colchicae. Vid. Potter. ad Lycophr. vs. 174, Obss. ad I, 1, 24. – *nocturna* dicitur, quia sacra magica noctu fiebant. Vid. Apollon. Rhod. Argon. III, 1028; Ovid. Met. VII, 179 seqq. – *Perimedea manu*, a Perimede, venefica, cuius et mentio apud Theocrit. Id. II, 16, ubi vid. interpp. 9 seqq. Quum enim nec origo morbi, nec manifesta sint vulnera, quia saucius est animus, non corpus: *caeca*, ignota, obscura, vid. II, 27, 6, est *via:* nemo scit, qua ex parte *tamen*, tandem, sagittae advolent, et tot mala veniant, nec adeo potest sanari hic morbus, neque quisquam te puellam duram perdite amantem sanare, curas ac dolores tuos tibi adimere potest. Non potest amoris morbus caveri, vs. 15, nec sanari. – *apertos ictus*, vulnera manifesta. Respicit Cupidinis ἰοὺς πυροφόρους. Virg. Aen. IV, 1, 2: *At regina gravi iam dudum saucia cura Vulnus alit venis, et caeco carpitur igni.*

11–16. Conf. II, 1, 57 seqq. – *coeli tempus* II, 28, 3. – *aura*, pro ventis noxiis, v. I, 17, 6. – *Ambulat*, vivit, valetque. – *funus*, pro mortuo, ut saepius. – *incautum*, passive accipiendum, ἀφύλακτον adeo caveri non potest, id quod (*quidquid*, pro quod, ὅ, τι) amor dicitur. Hanc sententiam suo exemplo confirmat. – *cui*, pro cuinam? – *sum praemia*, quem non ditavi, mercede pro divinatione solvenda? *praemia* pro praeda. – *fallaci*, qui me fefellit. – *somnia versat*, animo saepe volvit,

Quae mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas:
Gaudeat in puero, si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?
Alter saepe uno mutat praecordia verbo:
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

## ELEGIA V

### AD CYNTHIAM

Hoc verum est tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas,

perscrutata est, et explicuit. Fundus Theocrit. Idyl. II, 90 seq.: *καὶ ἐς τίνος οὐκ ἐπέρασα; ἢ ποίας ἔλιπον γραίας δόμον, ἅτις ἐπᾶδεν.*

17–22. Quo clarius patescat magnitudo mali perpessi, more poëtarum solemni, propria mala hostibus imprecatur. Conf. Lambin. ad Horat. Carm. III, 27, 21. – *amet*, cum damno suo. – 19. Proverbialis locutio, cuius sensus: pueri desiderati amore fruendi copia opportuna et facilis. Tibull. I, 5, 76: *in liquida nat tibi linter aqua.* Vbi vid. Heyne. – 20. Parvo flumini puerilem simplicitatem suaviter comparat. – *alter*, puer. – *praecordia*, animum, iram. Videtur Prop. haec e graeco poëta expressisse, qui vocabulo *φρένας* usus erat, quod, ut *θυμὸς*, iram quoque significat. Caet. eadem sententia el. 5, 13. – *altera*, puella. – *mollis*, pacata, mitigata. – *sanguine*, caede et nece amatoris.

ELEGIA V

Cynthiam perfidiae ac levitatis incusat, minatur se ab ea discessurum esse, et iniuriam sibi illatam ulturum, non rusticorum, sed poëtarum more, carminibus Cynthiae quidem formositatem laudantibus, eiusdem tamen etiam levitatem perstringentibus. Affectus veritate et varietate inprimis hoc carmen sese commendat. Compara Horat. Epod. XV.

1–4. *verum*, aequum, iustum est, Horat. Epp. I, 7, 98, ut Gr. *ἀληθές*. – *ferri*, differri, diffamari. Vid. el. 24, 7. – *nequitia*, pro libidinosa petulantia. – *haec merui sperare*, hoccine praemio mea fides digna fuit? an mihi metuenda fuit tua perfidia pro fide et constantia mea? – *sperare*, pro exspectare, in malam partem, id est metuere, vid. Ernesti Clav. Cic. Sic *ἐλπίζειν*, vid. Wesseling. ad Diod.

Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quae fieri nostro carmine nota velit;
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
Vellicet: heu! sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus;
Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto:
Quam facile irati verbo mutantur amantes.
Dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis.
Omne in amore malum, si patiare, leve est.

Sic. tom. I, pag. 574. – *Et – ventus erit*, quum de amore sermo est, saepius a ventis metaphorae deducuntur. Cf. vs. 11 seqq., et eleg. 4, 19. Commemoratur *Aquilo*, quo nihil mobilius, ad significandam inconstantiam et perfidiam. – *nobis*, est dativus commodi, atque adeo sensus: Aquilo, me ulturus, tibi flabit; perfidus erit et inconstans, qui te nunc amat, et ita dabis mihi, perfida, poenas. Similis quodammodo locus I, 17, 5. Conf. Obss.

5–10. *tamen*, pro tandem, ut el. 4, 10; Ovid. Trist. I, 5, 81; Burm. ad Val. Fl. VI, 385; Oudend. ad Lucan. I, 333. – *fallacibus*, vid. II, 9, 31. – *nota*, celebrata, famae commendata, ut Ovid. Amor. III, 12, 9. Similis locus Theocrit. Idyl. XI, 76: εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλαν. – 8. *vellicet*, verbum vindictae femineae in rivalem alteram apprime conveniens; te insectabitur, per ora hominum traducet. Horat. Serm. I, 10, 79: *vellicat absentem Demetrius.* Gr. ἀμύσσειν, vid. Lennep. ad Coluth. III, 5, pag. 150. – *sero flebis*, frustra dolebis, ut Horat. Carm. I, 25, 10. – *Nunc est* etc., se ipsum alloquitur. – *discedere*, I, 4, 2: *abire domina.* – *dolor*, pro ira ut eleg. 8, 36. – *abfuerit*, nempe animo, neque vincula rupta. – *redibit amor.* Terent. Andr. IV, 3, 23: *Amantium irae amoris integratio.* Add. Eunuch. I, 1, 19 seqq.; Pers. Sat. V, 161 seqq.

11–16. Eleganter cum fluctibus marinis, et nubibus a ventis agitatis, comparat incertos amantium animos. – *Carpathiae undae*, cum dilectu; Carpathium mare, inter Aegyptum et Rhodum, a Carpatho insula dictum, propter procellas periculosissimum, vid. Horat. Carm. I, 35, 8. – *atra*, quae pluviam et tempestatem minatur. – *dum – iugo*, coll. vs. 9, et eleg. 3, 47. – *Nec – dolebis*, dolebis, sed iste dolor non ultra primae noctis spatium protendetur. – *primae noctis*, qua primum, relicta domina, vacuus tibi lectus est II, 2,

At tu, per dominae Iunonis dulcia iura,
  Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
  Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.
Nec tibi periuro scindam de corpore vestem,
  Nec mea praeclusas fregerit ira fores:
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
  Nec duris ausim laedere pollicibus.
Rusticus haec aliquis tam turpia proelia quaerat,
  Cuius non hederae circuiere caput.
Scribam igitur, quod non unquam tua deleat aetas:

1. – *si patiare*, levius fit patientia, dummodo perferas et obdures.

17. 18. Propertius, qui declararat, se Cynthiam plane deserere velle, et sibi acclamarat, nunc esse discedere tempus, et colla subducere iniusto iugo, vs. 9, 14, iam mollior factus, et paululum mitigatus, obtestatur eam, ut ad meliorem frugem redeat, et additis minis, eam ad fidem et constantiam revocare studet. – *per Iunonis iura*, Iunonem ut peculiare numen suum venerabantur, per eamque iurabant foeminae. Vid. Burm. ad Petron. cap. 25; Tibull. IV, 13, 15. – *dominae*, passim dicuntur deae, ut *domini*, dii. Res notissima. – *dulcia*, tibi *iura*, id est per Iunonis numina, Tibull. IV, 13, 15, per Iunonem. – *parce*, cave, desine, *tuis animis*, animi impetu, iracundia, fastu, superbia; θυμὸς, ὀργὴ, Horat. Carm. III, 14, 25; Virgil. Aen. I, 57.

19–24. Si aspera et perfida esse pergis, utique ulciscar iniuriam mihi illatam, nam et maxime placidus ac lenis fatigatur tandem, et iniuriae vindictam expetit, neque tamen rustici, sed poëtarum more perfidiam ac levitatem tuam vindicabo. Respexisse Propertium h. l. ut III, 8, 1 seq. ad Menandri fabulam, τὴν περικειρομένην, et Menandrum imitando expressisse, coll. Lucian. Dialogis Meretr. ex eodem fonte ductis, VIII, tom. III, p. 299, pluribus docuit Huschkius Analect. Crit. pag. 173 seqq. Compara et Tibull. I, 10, 59 seqq. – *carpere crines*, discerpere, *laniare capillos* apud Ovid. A. A. II, 451. – *duris*, utpote laedentibus, crudelibus, Ovid. A. A. III, 371: *Nec dominae teneras appetet ungue genas.*

25–30. *Rusticus*, inhumanus, incultis et asperis moribus, *lapis et ferrum*, ut loquitur Tibull. I, 10, 59; unde *turpia*, inhonesta, *proelia* dicuntur. – 26. *Cuius – caput*, a Musis et humanitate alienus, non poëta. – *hedera*, Baccho, poëtarum deo tutelari, atque adeo poëtis quoque sacra, ea coronabantur in agone musico. Hinc et Romae in bibliothecis, maxime Apollinis Palatini, oratorum poëtarumque imagines hedera coronari solebant. Vid. interpp. ad Horat. Carm. I, 1, 29; Virg. Ecl. VII, 25; VIII, 13; Iuvenal. VII, 29. – *tua aetas*, pro tu ipsa, ut I, 6, 21. – *forma potens*, formosa, quae formae

Cynthia forma potens, Cynthia forma levis.
Crede mihi, quamvis contemnas murmura famae,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

## ELEGIA VI

### AD CYNTHIAM

Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes,
Ad cuius iacuit Graecia tota fores:

praestantia omnes in amorem sui raptat, cui nihil resistit: nam τὸ κάλλος τυραννίδα ἔχει, ut legitur apud Stob. tit. LXIV. pag. 410. Add. Prop. III, 20, 7. – *forma levis*, inconstans, perfida. Horat. Carm. III, 19, 22, *levior cortice*, eodem sensu, et *levior pluma* Plaut. Menaechm. III, 2, 23. – *murmura famae*, tacitos hominum de tua nequitia sermones; *fama susurrat* dixit Catull. LXXIX, 5. – *pallori*, causa palloris, te culpae consciam pallescere coget. Vid. Horat. Epp. I, 1, 61.

Elegia VI

Cynthiae, quae virorum frequentiam amabat, timidum se esse profitetur, et illam sibi etiam levissimis de causis in perfidiae suspicionem venire declarat. Hunc aestum animi sui, amoris igne incensi et maxime suspiciosi, hoc carmine poëta praeclare descripsit.

1. 2. Sensus: Domus tua ab amatoribus aeque frequentatur ac olim frequentatae sunt ab amatoribus famosissimarum meretricum aedes. Burm. se non intelligere ait, quomodo carminis initium cohaereat cum vs. 6 seqq., et excidisse nonnulla, vel in alium locum reiecta esse, opinatur. Male. Sermo abruptus mirifice convenit poëtae animo aestuanti ac perturbato. – *Lais*, meretrix famosissima, natione Sicula, quae Corinthi habitavit, unde *Ephyrea* dicitur, id est Corinthia; Corinthi enim nomen antiquum Ephyre. Vid. Plin. H. N. IV, 4; Cellar. Geogr. Ant. II, 13, tom. 1, pag. 1171. Recte caeteroquin monent interpp. mores huius foeminae non cum nostris prostibulis esse conferendos, sed domum illius, quasi alterius Aspasiae, scholam politioris vitae, Musarum Gratiarumque domicilium fuisse. Vid. de ea Gellius IV, 4; interpp. ad Ovid. Amor. I, 5, 12; Horat. Epp. I, 17, 36; Barth. ad Claudian. in Eutrop. I, 90. – *ad cuius fores iacuit*, eleganter Laidis superbia his verbis significatur, quae procos et amatores ex omni Graecia, tanquam turbam clientium, ad fores suas iacere cogebat, antequam aegre eos admitteret. – *Graecia tota*, hyperbole, qua et Plutarch. usus est tom. II, pag. 767. F.: ἤρα δήπουθεν ἀνὴρ Λαΐδα – ὡς ἐπέφλεγε τῷ πόθῳ τὴν Ἑλλάδα, μᾶλλον δὲ ταῖς δυσὶν ἦν περιμάχητος θαλάτταις. Gellius N. A. I, 8.

Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
  Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.
Nec quae deletas potuit componere Thebas
  Phryne, tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
  Oscula ne desint, qui tibi iure ferant.
Me iuvenum facies pictae, me numina laedunt,
  Me tener in cunis, et sine voce puer:
Me laedit, si multa tibi dedit oscula, mater;
  Me soror, et cum qua dormit amica simul.

*Conventusque ad eam ditiorum hominum ex omni Graecia celebres erant.*

3-6. *Thais*, nomen meretricis nobilissimae, patria Alexandrinae, quae se quaestus causa Athenas contulit. Athen. XIII, 13. Fabulam illius nomine inscriptam, nunc deperditam, Menander docuit. Vid. Prop. IV, 5, 43, unde h. l. *Menandrea* dicitur. – *in qua lusit*, quacum amori indulsit. – *ludere* et *lusus*, in rebus amatoriis frequentissima, Gr. ἀφροδισιάζειν. Vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 516; interpp. ad Petron. cap. 132. – *Erichthonius*, id est Atheniensis, ab Erichthonio, qui et Erechtheus dicitur, Athenarum rege, Ovid. Met. II, 553. – *Phryne*, Thespia, multis procis, adeo *beata*, dives, opulenta, *facta*, ut Thebas, ab Alexandro dirutas, vid. Iustin. XI, 4, se refecturam polliceretur, si hoc inscriptionis titulo ac monumento ornarentur ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΜΕΝ ΚΑΤΕΣΚΑΨΕΝ, ΑΝΕΣΤΗΣΕ ΔΕ ΦΡΥΝΗ ΕΤΑΙΡΑ. Vid. Athen. XIII, 6, ibique Casaub. pag. 591. Floruit circa Olymp. CVI. Conf. de ea Quinctil. II, 15; Bergler. ad Alciphr. I, 31: Plin. XXXIV, 8. – *componere*, condere, restituere, ut apud Virgil. Aen. III, 387; Ovid. Fast. I, 708.

7-14. Quo liberius versari possis cum amatoribus tuis, *fingis tibi saepe propinquos*, *ne desint*, qui sub hoc nomine *oscula*, tanquam *iure*, tibi dent. – 9. Hominis suspiciosi animum etiam res levissimae movent ac perturbant (II, 34, 19 seq.: *Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras, Stultus, quod stulto saepe timore tremo*) et ridendi materiam saepius sese praebet; quin, dum suspicionem alit et fovet, ad desperationem tandem redigitur, ut nihil laeti neque videat, neque speret. Hunc animi morbum vividis coloribus hoc vers. et seq. poëta depinxit. – *iuvenum facies pictae*, intelliguntur imagines deorum, aliorumque e fabulis antiquis, formae praestantia celebratorum, v. c. Apollinis, Bacchi, Narcisi etc., Ovid. Trist. II, 521: *Scilicet in domibus vestris, ut prisca virorum Artifici fulgent corpora picta manu; Sic quae concubitus varios, Venerisque figuras Exprimat, est aliquo parva tabella loco.* At vero etiam suos amores, sub deorum specie et nomine, pictos habebant vett. Vid. Anacr. XXIX, 43 seqq.; Dorvill. ad Charit. pag. 338; huius generis imagines h. l. innuuntur. – *numina*, explicantis est. – 10. *tener puer*,

Omnia me laedunt: timidus sum: ignosce timori.
  Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, ut fama est, vitiis ad proelia ventum est,
  His Troiana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
  Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor
  Nutritus duro, Romule, lacte lupae.
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas;
  Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.
Felix Admeti coniux et lectus Vlixis,
  Et quaecunque viri femina limen amat.

de quonam puero? an de Cynthiae filio sermo sit, quaesiverunt interpp. ita, ut nodum in scirpo quaererent. Capienda sunt haec verba de quocunque puero, non Cynthiae, sed cuiusvis alius foeminae, cui illa in cunis iacenti oscula dabat. — *sine voce*, νήπιος, *nescius fari* apud Horat. Carm. IV, 6, 18. — *laedit*, cruciat, urit, sollicitum habet. — *mater*, fictitiam esse suspicans. — *cum qua*, nempe sorore. — 13. Ovid. Pont. II, 7, 7: *Da veniam, quaeso, nimioque ignosce timori.* Heroidd. I, 12: *Res est solliciti plena timoris amor.*

15–22. Ex *his vitiis* nimia foeminarum libertate, virorum rivalitate et libidine tanquam uberrimo fonte maxima omni tempore mala, rixae, iurgia, caedes promanarunt. Rem exemplis illustrat. — *Troiana funera*, cladem, exitium Troiae, ut Horat. Carm. I, 8, 14. — *Aspera Centauros*, vid. ad II, 2, 9, 33, 31. — *Aspera* copulandum cum *pocula*, pocula *signis exstantibus* aspera, figuris eminentibus caelata: *Forte fuit iuxta signis exstantibus asper Antiquus crater* etc. Ovid. loco citato; *aspera signis pocula* vocat Virgil. Aen. IX, 264. — *eadem dementia*, amoris furor. — *in adversum Pirithoum*, id est *in ora eius adversa*, ut loquitur Ovid. Met. XII, 237: *Antiquus crater, quem vasto vastior ipse Sustulit Aegides, adversaque misit in ora.* — 19. *criminis*, perfidiae, stupri, raptus. — *nutritus*, Romule, qui nutritus es. — *duro lacte lupae*, significanter; imbibisti quasi saevitiam cum lacte durae, saevae, lupae; hinc ipse durus et inhumanus fuisti. — *intactas*, virgines, integras, Gr. ἄζυγας κούρας. — *per te*, tu auctor, causa extitisti.

23–26. *Felices ter et amplius Quos irrupta tenet copula*, Horat. Carm. I, 13, 17. — *Admeti coniux*, Alcestis, quae morte sua vitam mariti redemit, ab Hercule vero in vitam revocata est. Res nota. Conf. Eurip. Alcestis; Valer. Max. IV, 6; Apollod. I, 9, 14. — *lectus Vlyxis*, Penelope, quae fidem servavit marito decem annos absenti, vid. eleg. 9, 13; Homer. Odys. Τ, 137 seqq.; *lectus*, pro coniuge, ut *torus* Ovid. Heroidd. VIII, 26, λέχος Eurip. Iphig. Aul. 389; Med. 591, 672; Soph. Ai. 211. — *et — amat*, et

Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?
Quae manus obscoenas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo:
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.
Ah! gemat in terris, ista qui protulit arte
Iurgia sub tacita condita laetitia.
Non istis olim variabant tecta figuris:

quaecunque foemina, Alcestidis ac Penelopes exemplo, domum mariti, eo absente servat et curat; inter praecipuas laudes foeminarum hoc olim celebratum est, ita, ut earum etiam sepulcris pro insigni elogio inscriberetur, *domum servavit*, *lanam fecit* etc. Vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 104. – *Templa pudicitiae* etc. Pudicitia duplex erat, plebeia et patricia, et duo Pudicitiae templa, vetus et maius, patriciae, in foro boario, recentius minusve, plebeiae, in vico longo, vid. Liv. X, 23. Festus voc. *Pudicitia* et *Plebeia*. Sensus: quare olim templa Pudicitiae exstructa sunt, si cuilibet nuptae licet esse quidlibet velit? si quaevis nupta impune peccare potest?

27–32. Ad aliam foeminarum impudicitiae perfidiaeque causam transit. – *obscoenas tabellas*, vid. Suet. Tib. 44; Plin. H. N. XXXV, 10; Terent. Eun. III, 5, 36 seqq.; Spanhem. de usu et praest. Numism. tom. II, p. 522 seqq.; Burm. Anthol. Lat. tom. I, pag. 633; tom. II, pag. 483. – *visa*, de iis, quae in tabulis pictis obvia, imagines obscoenae, spectacula turpia. – 29. *Illa*, manus, artifex ille, et is qui posuit casta domo. – *puellarum ingenuos ocellos*, ornate pro simplici, puellas ingenuas, castas. – 30. Earumque animos eadem libidine inflammavit, qua ipse inflammatus ardebat. – 31. Conf. not. ad I, 17, 13. – *ah*, imprecantis, ut I, 6, 12. – *gemat in*, sub, *terris*, cruciatur apud inferos, vid. II, 18, 27; Tibull. I, 4, 59 in re diversa: *At tibi, qui Venerem docuisti vendere primus, Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.* – *iurgia* ut *proelia*, de variis concubitus modis II, 1, 45; I, 4, 14. – *condita*, pro condenda, reticenda, a pictoribus et statuariis non in lucem proferenda. Mallem tamen haec verba hunc in modum interpretari: *iurgia*, rixae, inimicitiae, dissidia, divortia. – *ista arte protulit*, in lucem protulit, produxit, cum dilectu (sequitur enim *condita*), pro, auctor extitit iurgiorum, procreavit, effecit ea. – *laetitia*, sunt scenae, imagines obscoenae, quas picturae exhibent, quibus puellae oculos pascunt, et quum de picturis, tabellis sermo sit, eleganter additur *tacita*, *condita*, quorum iurgiorum causa et fons est laetitia tacita. Dum enim oculi eiusmodi tabellis ac picturis delectantur, concipiunt ea vitia, quibus ad iurgia et proelia ventum est.

33–36. Non aedes suas olim distinguebant eiusmodi tabellis ac picturis. – *paries nullo crimine pictus*,

Tum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immerito velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba deos.
Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae nunquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.
Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica;
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

exquisite dicitur in quo nulla pendet stuprorum et adulteriorum pictura, turpes et incestos amores oculis exponens. Sic *crimina* de adulteriis Ovid. Met. VI, 131; Stat. Silv. III, 1, 42. – *Sed* pro itaque. – *velavit aranea fanum*, scil. Pudicitiae, coll. v. 26. – *velavit*, telis suis obtexit. Nota imago de rebus neglectis, et in situ ac squalore iacentibus. Theocrit. Id. XVI, 96: ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχναι λεπτὰ διαςήσαιντο, βοᾶς δ' ἔτι μηδ' ὄνομ' εἴη. Tibull. I, 10, 49: *Pace bidens vomerque vigent: at tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs.* Add. Hesiod. Ἐργ. 475; Prop. III, 6, 33. – *occupat*, obtegit. – *deos*, ἐναργῶς, pro signis, statuis, et ipsis templis deorum, ut Tibull. II, 5, 22, ubi vid. Heyne. – *desertos*, quia ob ingravescentem libidinem turpesque amores templa illa Pudicitiae inutilia et vacua erant facta. – *mala herba*, lolium et sterilis avena. Caet. eandem rem paullo aliter exornavit Horat. Carm. III, 6, 1 seqq.

37–42. *Custodes*, nam quis custodiet ipsos custodes? – *ponere*, apponere, verbum de custodibus proprium, vid. Tibull. I, 1, 17; 2, 5; Hirt. B. Afric. 88; Cic. pro Flacco 19. Conf. Oudendorp. ad Suet. Vit. Tib. 22: sed idem verbum *ponere* alio sensu refertur ad limina, nota figura. Largam exemplorum copiam protulit hanc in rem Fischer. Animadvv. ad Weller. vol. III, P. 1, p. 448 seq.; P. 2, p. 70. – *quae limina*, quam ianuam bene munitam. Praeplacet tamen Heinsii et Burm. coniectura *ad limina ponam*. – *pes inimicus*, epith. ad omnem habitum animi pertinet, ut πούς ἀνόσιος Eurip. Hel. 875. *superbus* Senec. Med. 253 etc. – *invitae*, frustra custoditur, quae pudica esse non vult. – *peccare*, impudicam esse, Ovid. Heroidd. XVII, 41: *At peccant aliae, matronaque raro pudica est.* Verbum enim *peccare* de stupro et adulterio adhiberi tritum est, vid. Westerhou. ad Terent. Andr. V, 3, 25, ut ἁμαρτάνειν, conf. Elsner. ad Ioh. VIII, 11; Muncker. ad Anton. Lib. pag. 337, 41 seq. Suo exemplo Cynthiam hortatur, ut mutuam sibi voluntatem praebeat. – *ducet*, pro abducet, capiet, allicet. Vid. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 123.

# ELEGIA VII

## AD CYNTHIAM

Gavisa es certe sublatam Cynthia legem,
  Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret: quamvis diducere amantes
  Non queat invitos Iupiter ipse duos.
At magnus Caesar. — Sed magnus Caesar in armis:
  Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,

Elegia VII

A. V. DCCXXVI Augustus ferre conatus erat legem de maritandis ordinibus, qua caelibes omnes cogerentur uxores ducere, liberorum creandorum causa. Sed Augustus legem illam, Iuliam, etiam Papiam Poppaeam dictam (vid. Tacit. Annal. III, 25, 28; Dio LIV, pag. 745; Barth. Vit. Prop. Chronol. ad A. V. DCCXXVI; Heineccii ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam Commentarius Lips. 1778, 4; Bachii Hist. Iurisprud. Rom. III, 1, 2) prae multitudine recusantium perferre non potuerat, triennii dilationem tantum impetraverat. Iam si lex illa tunc temporis perlata fuisset, Propertius, quamvis invitus et reluctans, uxorem ducere coactus fuisset; tum vero Cynthia ab ipso abalienata, et ipse uxoris iunioris, II, 18, 20, blanditiis et illecebris ab amica abstractus fuisset; nec Cynthiam, ob sterilitatem illius II, 18, 33, uxorem ducere potuisset. Hinc Propertius, cui omnino non minus quam Cynthiae, liberior vita et vagi amores praeplacerent, sibi et Cynthiae hoc carmine gratulatur, quod Augustus legem illam perferre non potuerit, et fidem atque constantiam, seque nunquam uxorem ducturum, amicae pollicetur.

1–6. *Sublatam* de triennii dilatione intelligendum, unde Prop. sperabat fore, ut paullatim lex illa antiquaretur. – *flemus* pro flevimus, inhaeret vero etiam huic verbo notio metus, flevimus et metuimus, ut ap. Ovid. Heroidd. I, 18: *Flebam successu posse carere dolos*. – *Ni* pro ne vett. scripsisse auctor est Serv. ad Virg. Aen. III, 686, et Donat. in Ter. Eunuch. II, 3, 35; III, 3, 2. – *At magnus Caesar*, nempe dividere potest amantes. Obiectio, cui respondet: *sed magnus in armis*, hoc nomen ei convenit, quum est in armis, amantes coniunctos non potest separare; quamvis enim devicerit gentes, propterea tamen non potest imperare amori, hic dari nec potest, nec debet; cedere nescit amor victoriis atque triumphis. – *magnus*, titulus Caesari solemnis Horat. Carm. I, 12, 50; Prop. II, 1, 26; Virg. Georg. IV, 560.

7–12. *Nam – collo*, colorem duxi

Quam possem nuptae perdere amore faces.
Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
Ah mea tum quales faceret tibi tibia cantus,
Tibia funesta tristior illa tuba!
Vnde mihi patriis gnatos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quod si Romanae comitarent castra puellae,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.

ex Homer. Il. B, 259: Μηκέτ' ἔπειτ' Ὀδυσῆϊ κάρη ὤμοισιν ἐπείη. Imitatus est nostrum Ovid. Pont. II, 8, 65: *Nam caput e nostra citus cervice recedet, Et patiar fossis lumen abire genis; Quam caream raptis, o publica numina, vobis.* – 8. *nuptae amore*, uxoris amore perdere, amittere, puellam amatam, i. e. te. – *faces* pro amoribus et puellis amatis frequenter a poëtis dicuntur, ut *taedae* Propert. I, 8, 21; vid. interpp. ad Nemesian. Ecl. IV, 5; et Dorvill. Obss. Misc. vol. 1, p. 430; qui ibidem etiam refutavit Bronkhus. et Vulpii horum verborum explicationem, affirmasse nimirum Propertium, se potius moriturum, quam ut argentum in apparatum nuptialem perderet; quam interpretationem verba ipsa repudiant. – 9 sqq. Praeclarus locus, elegiae convenienter tractatus. – *transirem*, sermo est de pompa nuptiali, qua uxorem ducens Propertius, alterius maritus factus, aedes Cynthiae transiret. – *clausa*, tui moeroris signum. – *prodita*, deserta a me, alia nimirum, licet invite ducta. *Prodere*, pro deserere Catull. LXIV, 190. Vid. Gronov. Observ. III, 20; Graev. ad Cic. pro Flacc. cap. 41. – *respiciens*, plenus doloris ac desiderii tui. – 11. Sensum loci bene constituit Astius: tristes tibi tunc essent cantus tibiae nuptiales, ac funesti, immo tristiores, quam quos edit tuba funebris. Ovid. Heroidd. XII, 140: *Tibiaque effundit socialia carmina vobis, At mihi funerea flebiliora tuba.*

13–16. *Vnde mihi*, wie käm' ich dazu? ut ap. Horat. Epist. I, 5, 12: *Quo mihi fortuna?* – *patriis*, romanis, Caesaris. – *gnatos praebere triumphis*, filios procreare qui triumphos Caesaris prosequantur, i. e. procreare filios milites – *de nostro sanguine nullus miles* in castra mittetur. Sed legis Iuliae ferendae occasionem dederant bella civilia, quibus valde imminitus erat civium numerus, ut reipublicae per coniugia novi succrescerent milites. Conf. Horat. Carm. Sec. vers. 17, ibique Mitscherlich. – 15. Quod si ad castra puellis, atque adeo tibi Cynthiae pateret aditus etc. Ex Romanorum disciplina militari foeminae castris prohibebantur; vid. Barth. ad Stat. Silv. V, 1, 130, pag. 435; Festus v. *castra*; Prop. IV, 3, 45. – *Non – equus*, egomet ipse promtus et lubens, illico, sequerer castra. Iam quoniam Prop. equestri loco natus erat, ait *iret mihi equus*; et quo vividior imago sensui subiiceretur, addit *non sat iret Castoris equus*, non satis velociter me posset equus ad castra vehere. Innuit autem *Cyllarum* equum, quem a Neptuno

Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
  Gloria ad hybernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus:
  Hic erit et patrio sanguine pluris amor.

## ELEGIA VIII

### AD AMICVM

Eripitur nobis iam pridem cara puella;
  Et tu me lacrymas fundere, amice, vetas?
Nullae sunt inimicitiae, nisi amoris, acerbae:
  Ipsum me iugula, lenior hostis eris.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?

acceptum, Iuno Castori dono dedit. Vid. interpp. ad Virg. Georg. III, 90.

17–20. *Hinc*, ex amore, et amatoriis carminibus, quibus tantum nomen consecutus sum. – *mea gloria*, exquisite pro ego, vid. Heyne ad Tibull. IV, 1, 29: opponit enim suam gloriam, quam amore et carminibus suis consecutus erat, gloriae militari. – *Gloria*, *laus* frequenter de virtute bellica occurrunt, vid. Burm. ad Valer. Fl. I, 77. – *lata*, latissime propagata, pervagata totum terrarum orbem. Pro populis remotissimis poëtice nominat *Borysthenidas*, Scythas Borysthenis fluvii accolas; et sententia haec est: carmina mea amatoria, a tribunis et centurionibus romanis, apud longe dissitas regiones militantibus, in castris leguntur. Idem de suis carminibus iactavit Martialis Epigr. II, 3: *Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis, A rigido teritur centurione liber.* – 20. *patrio sanguine* mihi eris carior, quam parentes, liberi et propinqui; ita Passerat. rectius tamen Livineius, subole quae patriae debetur. Vid. Obss.

Elegia VIII

Conqueritur, Cynthiam sibi a rivali esse ereptam, seque gravissima quaeque libenter perpessurum profitetur, dummodo suas ulciscatur iniurias. Egregie aestuantis ac perturbati animi motus expressi, eorumque imagines vivis coloribus adumbratae sunt.

1–8. *Eripitur*, nempe a rivali. – *iam pridem cara*, amata diu (el. 5, 8) vers. 13. Per quinque annos se Cynthiam amasse, docet ipse Prop. III, 25, 3. – *iam pridem* pro olim, ante longum tempus, Suet. Aug. cap. 1, et saepius. – 3. *inimicitiae amoris*, i. e. propter amorem, inimicitiae inter rivales. – *lenior hostis eris* si mihi vitam adimis, quam Cynthiam. Similis locus Tibull. I, 9, 21: *Vre meum potius flamma caput, et pete ferro Corpus, et intorto verbere terga seca.* – 5. *spectare*, maius quid invol-

Nec mea dicetur, quae modo dicta mea est?
Omnia vertuntur, certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis; haec in amore rota est.
Magni saepe duces, magni cecidere tyranni;
Et Thebae steterunt, altaque Troia fuit.
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
Illa tamen nunquam ferrea dixit, Amo.
Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba. qui tulerim teque tuamque domum.
Ecquandone tibi liber sum visus? an usque
In nostrum iacies verba superba caput?
Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere: interitu gaudeat illa tuo.

vit, coll. vs. 2; tranquille spectare. – *nec – est.* Ovid. Amor. III, 12, 5: *Quae modo dicta mea est, quam coepi solus amare.* – 7. *certe*, utique, mihi crede. – *haec in amore rota est.* Fortunam antiqui globo, vel rotae (Cic. in Pison. 10 etc.) insistentem exhibebant. Tibull. I, 5, 70: *Versatur celeri Fors levis orbe rotae*, ubi vide Broukhusium. Hinc Propertius Amori, aeque ac Fortunae *rotam* tribuit, propter utriusque vicissitudinem. Hinc et Plaut. Cistellar. II, 1, 4: *Versor in amoris rota miser.*

9–16. Vlterius confirmatur sententia vers. 7 proposita. – *tyranni*, reges, ut *purpurei tyranni* Horat. Carm. I, 35, 12 etc. – *Troia*, cum dilectu, quum Helenae in Menelaum perfidia fuerit Troiae interitus causa. – *alta*, αἰπεινὴ epith. Troiae Homericum. — *fuit*, Virg. Aen. II, 325: *fuimus Tiroës, fuit Ilium, et ingens Gloria Teucrorum.* – *Thebae steterunt.* Vid. el. 6, 5. – *steterunt*, penult. correpta, ut saepe fit in hoc tempore. – *ferrea*, dura, saeva, ἀδαμαντίνα Theocrit. Id. III, 39: κἢν λίθος vers. 18. χαλκεοκάρδιος XIII, 5. Vid. Mitscherlich. ad Hor. Carm. I, 3, 8. – *temerarius*, stultus nempe fui. – *te*, fastum, asperitatemque tuam. – *tuamque domum*, familiam tuam, servos servasque exemplum tuum imitantes. – 15. Quando me non ut servum, contumeliose tractasti? – *an – caput?* num perpetuo mihi illudere, me contumeliose tractare vis? – *verba superba*, convicia. – *in nostrum caput*, in me, ut Catull. XV, 16.

17–24. Splendidus locus. Sententia nuda et simplex vs. 17–20: Necem mihi consciscere malo, quam vivere sine Cynthia. Sed quo fortius feriret lectoris animum, eam ita adornatam expressit. Malo mortem subire iuvenis, *prima aetate*, et vel mortuus a Cynthia, puella amata, crudeli tamen et perfida contemni ac male tractari, quam porro vivere ab ea contemtus. Se ipsum nominatim alloquitur, more poëtarum, qui proprium nomen suum interponere solent, quando cum animo loquuntur. Vid. Dorville. ad

Exagitet nostros manes, sectetur et umbras,
  Insultetque rogis, calcet et ossa mea.
Quid? non Antigonae tumulo Boeotius Haemon
  Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
  Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies; mecum moriaris oportet:
  Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura;
  Mors inhonesta quidem: tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
  Cessare in Teucros pertulit arma sua.
Viderat ille fugas, fractos in litore Achivos,

Chariton. pag. 90. — *exagitet*, *sectetur*, mihi mortuo illudat, me mortuum persequatur. — 20. Colorem duxit ex Homer. Il. Δ, 177: Τύμβῳ ἐπιθρώσκων Μενελάου κυδαλίμοιο· summae contumeliae et irrisionis significatio. Vid. ad III, 6, 24. — 21. Amor laesus vertitur in saevitiam. — *Quid?* nec Haemon poterat vivere sine amata puella. — *Haemon*, Creontis regis Thebanorum (unde *Boeotius*) filius, amator Antigonae, quum audisset eam, iussu Creontis, vivam sepultum iri, quod Polynicen fratrem clam sepelisset, ne dira ac lenta morte enecaretur, et ut eodem in tumulo caderet, se atque Antigonam simul interfecit; ita Hyginus fab. 72; et illo vetustiores haud dubie scriptores alii rem exposuerunt, quos Prop. h. l. secutus est. Alii enim aliter hanc historiam enarrarunt, vid. interpp. ad Ovid. Trist. II, 402; Sophocl. Antigon. Barth. ad Stat. Theb. IV, 88. — *puellae*, scil. ossibus. — *Thebanam ire domum*, Thebas in Creontis patris regiam redire.

25-34. *Sed non effugies*, nec tu effugies mortem. Haemon pietate et amore ductus Antigonam occiderat; Propertius vero Cynthiae perfidiam vindicaturus, ei necem minatur; hinc utitur voce *mors inhonesta*, inhonestum enim se ipsum interficere propter puellam perfidam: inhonestum, mulieri vindictae causa manus adferre. Virg. Aen. II, 583 sqq. *Namque, etsi nullum memorabile nomen Foeminea in poena est, nec habet victoria laudem, Extinxisse nefas tamen, et sumsisse merentis Laudabor poenas.* 29 sqq. Sed defendit factum suum, quo Cynthiam occisurus erat, exemplo Achillis, qui ob similem causam similia delicta perpetravit. — *viderat*, lentus. *coniuge* pro amica, ut Ovid. Heroidd. VIII, 86; Val. Fl. II, 208, intelligitur Briseis. Res ex Homero nota. — *fractos* cf. Il. A, 301. *frangere* de iis potissimum dicitur, qui ad ultimas angustias redacti sunt, vid. Claudian. Bell. Gildon. 91; Bell. Get. 604; Virg. Aen. II, 13; VII, 594; Quinctil. III, 3: *subnixum Numidia fregimus Iugurtham.* — 32. *fervere*

Fervere et Hectorea Dorica castra face:
Viderat informem multa Patroclen arena
Porrectum, et sparsas caede iacere comas.
Omnia formosam propter Briseida passus.
Tantus in erepto saevit amore dolor.
At postquam sera captiva est reddita poena,
Fortem illum Aemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo quum sim vel matre, vel armis,
Mirum si de me iure triumphat Amor?

incensas naves Graecorum. *Dorica* (ut ap. Virgil. Aen. II, 27, ubi vid. Heyne) *castra*, igne ab Hectore iniecto. *castra* pro navalibus, classe, ut Virg. Aen. III, 519; V, 669; Burm. ad Ovid. Met. VII, 99. *viderat*, nec tamen pugnabat. – *informem*, nempe caede. – *multa arena*, amplum spatium, quod Patroclus cadens occupavit, corporis heroici proceritatem designat. Similis locus Horat. Carm. IV, 6, 9 sqq. Sophocl. Electr. 759; Hom. Il. Σ, 27: *ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθείς*. Caeterum vid. notata ad II, 1, 38. – *et - comas*, crines cruore, sanguine foedatos horrere. – *caedes* pro sanguine, ut *φόνος*, Apollon. Rhod. II, 1217; vid. Reines. Var. Lect. I, 1; Dorvill. ad Charit. p. 374.

35-40. *Omnia passus*, haec omnia passus est accidere Graecis propter formosam Briseidem, ipsi ereptam. – *Briseis*, Hippodamia, sic dicta a patre Brise, capta ex Lyrnesso Achilli in sortem cessit. Vid. Eustath. ad Il. Γ, 58; Homer. Il. B, 690. – *amore* pro amica, puella, ut saepius; *dolor*, pro ira, ut II, 5, 10. – *poena*, *ποινή*, *λύτρον*, pretium quod ad redimendam poenam datur; reddita est Briseis cum maximis donis, Homer. Il. T, 268. – 38. Notio simplex: arma recepit. – *Aemoniis*, Thessalicis, ut I, 13, 21. *Hectora*, Achilles interfecit, et cadaver illius currui alligatum ter circum Iliacos raptavit muros, Virg. Aeneid. I, 483; Homer. Il. X, 395; Ω, 14 sqq. – *inferior*, nempe Achille; quum nec dea *matre* progenitus sim, nec virtute bellica cum eo comparandus. – *matre*, Achilles Pelei et Thetidis filius, Homer. Il. A, 280: Εἰ δὲ σὺ *καρτερός ἐσσι θεὰ δέ σε γείνατε μήτηρ*· a materna nobilitate saepe censebantur heroës, praesertim si paterna deficeret. Vid. Virg. Aen. XI, 340. – *iure*, explicant de iusto triumpho, et merito parto. – *si triumphat*, si Amori succumbo, ita ut ad desperationem adducar. Caet. cf. Obs.

# ELEGIA IX

## AD AMICAM DE RIVALI

Iste quod est, ego saepe fui; sed fors et in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos sola per annos
Vivere, tam multis femina digna procis.
Coniugium falsa poterat differre Minerva,
Nocturno solvens texta diurna dolo.
Visura et quamvis nunquam speraret Vlyxen,
Illum exspectando facta remansit anus.
Nec non exanimum amplectens Briseis Achillem,

Elegia IX

Cynthia, quae Propertium habuerat negligentius, cum aliis pluribus consuescebat, et pro suo viros captandi studio hominem quendam, qui ipsam olim deseruerat, laqueis suis denuo irretire studebat. Hanc puellae inconstantiam et levitatem indigne ferens Prop. hac elegia acriter in eam invehitur, et allatis exemplis foeminarum pudicitiae et constantiae laudibus florentium, eam impudicitiae et perfidiae accusat; fidem contra suam iactat, et rivali minatur. Oratio in hoc carmine lectissima, et praeclarissimus imaginum exhibitarum nitor.

1–8. *Iste*, nempe rivalis; contemtim et cum indignatione. – *ego fui*, tenet eundem apud Cynthiam locum, quem ego tenui. – *fors* pro forte, Valer. Fl. III, 665; IV, 620; VII, 129. – *in hora*, pro exiguo temporis spatio, vid. interpp. ad Val. Fl. VII, 318. – *Penelope*, vid. eleg. 6, 23. – *sola*, ab Vlysse tamdiu deserta ac vidua, coll. vs. 20. – *Minerva*, artis textoriae inventrix, unde pro ipsa textura vel tela ponitur h. l. et Ovid. Met. IV, 33. Add. Virg. Aen. VIII, 409; ubi *tolerare colo vitam tenuique Minerva*, est, lanificio tenuem victum praebente. – *coniugium falsa poterat differre*, intelligi debent haec verba de Penelope, telam, quam texere simulabat, semper retexente, ut procos falleret et eluderet. Claudian. in Laud. Seren. vers. 31: *Penelope trahat arte procos, fallatque furentes Stamina nocturnae relegens solertia telae.* Cf. Homer. Odyss. T, 149. – *falsus*, eleganter ponitur de eo, qui videri vult, aut qui putatur is esse, qui revera non est. Vid. Heins. ad Ovid. Heroidd. II, 73; Markland. ad Stat. pag. 321; Burm. ad Val. Fl. VI, 491. – *visura speraret*, ad Graecorum exemplum, pro quamvis nunquam se visuram speraret. – *facta remansit*, explicant, facta est; vid. Obss.

9–16. *Briseis* (vid. . . 8, 35) serva, non oblita pristini amoris, Achillem

Candida vesana verberat ora manu.
Et dominum lavit moerens captiva cruentum,
Appositum flavis in Simoenta vadis,
Foedavitque comas, et tanti corpus Achillei,
Maximaque in parva sustulit ossa manu.
Quum tibi nec Peleus aderat, nec caerula mater,
Scyria nec viduo Deidamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis:

exanimum (a Paride sagitta occisum, vid. Ovid. Met. XII, 608 sqq.; Virg. Aen. VI, 56; Hom. Il. X, 359; Hyg. fab. 107, ibique interpp.) luxit, et gravibus deflevit querelis. – 10. *vesana*, furenti, saeva, *manu verberat ora*, pectus et genas lacerare in luctu solemne. Virg. Aen. XII, 604: *Quam cladem miserae postquam accepere Latinae; filia prima manu flavos Lavinia crines Et roseas laniata genas.* Virg. Aen. IV, 673: *Vnguibus ora soror foedans, et pectora pugnis.* Vid. Propert. I, 8, 15; II, 13, 27. — *in Simoenta* pro in Simoënte, fluvio Troiano, ut Terent. Eunuch. II, 2, 29: *Ille ubi me videt esse in tantum honorem.* Curt. III, 5, 10: *quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur.* Cf. de hac prisca venustate, quae *in* accusativo iungit, quae eadem librarios saepe fugit, interprett. ad Iustin. III, 1, 1; VII, 6, 11; Burm. ad Phaedr. V, 1, 15; Arntzen. ad Catonis Disticha pag. 55. — *flavis*, frequenter ap. poëtas de fluviis occurrit, ut Ovid. Met. II, 245; Senec. Herc. Oet. 591; Horat. Carm. I, 8, 8. — 13. *foedavit*, laniatas pulvere respersit; de quo ritu lugentium vid. Hom. Il. Ω, 315 sqq. Virgil. Aen. X, 844; XII, 611; Elmenhorsth. ad Apul. p. 248; exprimitur h. l. verbum αἰσχύνειν et Prop. in animo habuit locum Homeri Il. Σ, 23 sqq. *Ὣς φάτο· τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα· Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν, Χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον. — Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς Κεῖτο, φίλῃσι δὲ χερσὶ κόμην ᾔσχυνε δαΐζων.* Posses etiam capere verbum *foedare* de comis evulsis et sanguine foedatis; sed prior interpretatio praeferenda. – 14. *maxima - ossa manu*, vid. ad el. 8, 33. Imitatus est nostrum Ovid. Met. XII, 612: *Iam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi Nominis, Aeacides, caput insuperabile bello, Arserat: — Iam cinis est, et de tam magno restat Achille nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.* Add. Prop. IV, 11, 14. – 15. Apostrophe elegans ad Achillem. Quo tempore tibi nec aderat pater, *Peleus*, nec *caerula* (commune deorum, dearumque maris epitheton. Horat. Carm. I, 17, 20; Theocrit. Id. VII, 59) *mater*, Thetis, nec Deidamia coniux. Achilles apud Lycomedem Scyri insulae regem muliebri veste ante bellum Troianum delituerat, et ex illius filia, Deidamia, Pyrrhum susceperat. Vid. Hygin. fab. 97; Ovid. A. A. I, 681; Barth. ad Stat. Achilleid. – *viduo toro*, scil. existente, cui erat torus viduus, ipsa vidua.

17–24. *Tunc igitur*, quum foeminae adeo constantes in amore essent. – gau

Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare
Impia: non unum sola manere diem.
Quin etiam multo duxisti pocula risu;
Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Dii faciant, isto capta fruare viro!
Quae mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Quum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae:
Et lectum flentes circumstaremus amici!
Hic ubi tum, proh dii, perfida, quisve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?

*debat veris natis*, genuinis, non spuriis, sed castis thalami pignoribus. – *etiam et*, vid. el. 3, 50. – *vacare*, amore vacare et sola manere. – 21. Cf. II, 33, 25. – *ducere pocula* pro bibere simpl. ut Horat. Carm. I, 17, 22. – *verba mala*, maledicta, irrisiones. Cynthiam reliquosque convivas, quibuscum genio indulserat, male de se locutos suspicatur. Conf. III, 25, 1. – 23. *petitur*, etiam eum appetis et sequeris, qui te *ipse*, i. e. sponte, reliquit. Quinam a poëta significetur, definiri non potest. Spectari putat Burm. Praetorem Illyricum, de quo el. 16, sed τὸ *ipse*, i. e. sponte, αὐτὸς, huic coniecturae non magnopere favet. – *Isto fruare viro*, isto praeclaro amatore potiaris. – *capta*, eius amore capta et decepta.

25–30. Quo maiorem invidiam faceret homini illi, quem Cynthia petebat, suam contra fidem ostentaret, affert, illum Cynthiam aegrotam reliquisse, se contra aegrotae affuisse, et pro ipsius salute vota suscepisse, cf. eleg. 28. Venustissimus locus. – *capite — aquae*, quum Stygiae undae iam peterent, attingerent tuum caput, quum orcus in potestate iam fere *tuum caput* haberet. Quanto ornatius quam, quum tu morti proximo esses! – *Poterer*, aeque ac *potirer* veteribus usitatum. Ovid. Met. XIV, 641; Val. Fl. VII, 54. – *hic*, qui nunc petitur, coll. vs. 23. – *ubi tum*, num tibi aegrotanti aderat? – *quisve fuit*, perfidus ipse fuit, nec tui curam habuit. – 29 seq. *Quid* faceres, si militarem adversus populos longe remotos, aut iter maritimum longinquum suscepissem, num aeque sollicita pro mea salute fores, ac ego pro tua fui salute? num et tu pia conciperes vota? – *longinquos ad Indos*, docte nominantur pro populis remotissimis, vid. Doering. ad Catull. XI, 2; haud inepta tamen est Passeratii observatio, Indorum mentionem esse factam ob expeditionem, quam tum Augustus in Indiam parasset. Cf. III, 4. – *retinerer*, cogerer ad signa manere. *retineri*, ut *mitti* et *dimitti*, verba militiae. – *staret*, idem quod esset, ut Horat. Carm. I, 16, 17: *et altis urbibus ultimae stetere causae.* Virgil. Aen. VII, 735: *stant belli causae.* Prop. III, 22, 21: *Nam quantum ferro, tantum pietate*

Aut mea si staret navis in Oceano?
Sed vobis facile est verba, et componere fraudes;
Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto:
Quam cito feminea non constat foedus in ira,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.
Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela precor, pueri, promite acuta magis;
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam;
Sanguis erit vobis maxima palma meus.
Sidera sunt testes, et matutina pruina,

*potentes Stamus.* Est graeca loquendi ratio. Lucian. Mort. Dial. XXIX, p. 448, tom. I: τῆς μανίας αἴτιος κατέστη. Herod. VII, 152: ἐπειδή σφι πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους κακῶς ἡ αἰχμὴ εἱστήκει. Vid. Wyttenbach. Animadv. in Iulian. Orat. in Constantii laudem pag. 33 C. pag. 199, ed. Schaefer.

31–36. Conf. I, 15, 3 seqq. Tristitiam forte fingeres, meque lactares. – *componere fraudes*, ut componere blanditias Tibull. I, 2, 91: *verba et fraudes*, verba fraudulenta, fallacia. – *hoc opus*, eleganter, quum praecesserit *componere*, pro simplici hoc. Sed et Graeci ita loquuntur, vid. Wyttenbach. ad Plut. de S. N. V. pag. 11. Pedo Albinov. el. 2, 10: *Lollius hoc ergo conciliavit opus.* – 33. *incerto flamine*, ventus, qui crebro mutatur, incertus dicitur, quo eodem sensu mare *dubium* vocatur Lucan. V, 569, 602. – *Syrtes*, loca in litora Africae periculosissima, ob vada arenosa, erant duae, maior et minor. Sallust. Iug. 78: *ubi mare magnum esse, et saevire coepit ventis, limum, arenamque, et saxa ingentia, fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis simul mutatur: Syrtes ab tractu nominatae.* Add. Lucan. IX, 431. Syrtes commemoravit poëta, quoniam antea vers. 30, navigationis mentionem fecerat. – *nec tam*, scilicet mutantur, concutiuntur. – 35. *non constat*, movetur, frangitur, fides ac promissa in ventos abeunt, quando foemina irascitur. Marklandus: ἐν ὀργῇ γυναικός, i. e. indole, ingenio, animo foeminarum; unde quia graeca vox etiam *iram* significat, ita vertit noster *foeminea ira* pro indole.

37–40. Quandoquidem hoc tibi ita videtur, quum tibi placuerit fidem et promissa non servare, foedus frangere, non repugnabo. Iam desperatis rebus alloquitur pueros, servos, eosque cohortatur, ut ipsi ferro mortem inferant. – *figite certantes*, certatim, eleganter de servis tanquam certamen leti instituentibus, quis prior eum telis fixurus esset. – *solvite vitam*, Homer. Il. Θ, 123: τοῦ δ' αὖθι λύθη ψυχή τε μένος τε. – *palma* pro victoria.

41–46. En! vel invitus ad Cynthiam redit. Observa affectus varietatem et veritatem. Vulgarius erat: semper te amavi, semperque te amabo. Pro quo longe exquisitius dixit: Quam arden-

Et furtim misero ianua aperta mihi;
Te nihil in vita nobis acceptius unquam,
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi.
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet esse tuo.
Atque utinam! si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.
Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani, media non sine matre, duces;
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

ter te amaverim, *sidera sunt testes*, quae toties me in limine tuo iacentem viderunt, et *matutina pruina*, quae me toties laesit, vid. I, 16, 22, 46, et ianua furtim aperta. *Sidera* testes advocat, tribuit iis visum, spectantur tanquam oculi coeli. Catull. VII, 7: *sidera — Furtivos hominum vident amores*. Iuvenal. VIII, 149: *Nocte quidem, sed luna videt, sed sidera testes Intendunt oculos*. Add. Valer. Fl. VIII, 48 sqq. schol. ad Theocrit. Idyl. II, 12; Iacobs. Animadv. in Eurip. Tragoed. pag. 80. — *ianua furtim aperta*, intelligi debet ianua Propertii domestica clam reserata, (domus maternae, coll. I, 11, 21, ut Vulpius putat) non Cynthiae, nam loquitur de suo amore in Cynthiam, non de amore, quo ipsum Cynthia amplexa esset, quod ostenderet ianua Cynthiae aperta. — 45. *vestigia*, vocabulum huc in re proprium II, 29, 35.

47–52. *Si pios eduximus annos*, si fidus et constans annos exegi, pie vixi. *educere annos*, ut *ducere annos* pro exigere. Vid. Markland. ad Stat. Silv. pag. 293; Burm. ad Lucan. VIII, 479. — *ille vir*, rivalis, in medio amore torpeat immobilis, Ovid. Am. III, 7. — 49. Ad rivalem se convertit oratio. Sensus: sicuti Eteocles et Polynices, *Thebani duces*, ira et odio inflammati, regni Thebani causa, mortem subire non recusarunt, praesente matre Iocasta; ita nec ego recuso mortem subire, tecum pugnare, dummodo mecum moriaris, praesente Cynthia. Vid. ad I, 6, 5; II, 34, 39. Seneca Phoeniss. 407 sqq.; Barth. ad Stat. Theb. XI, 390. — *diris sub armis*, utpote fratres, *media non sine matre*, Iocasta praesente, et pugnantibus intercedente, quae manus sibi ipsa intulit, postquam frater uterque ceciderunt; hinc significanter additur *media puella*, Cynthia, ea praesente et commoriente.

## ELEGIA X

### AD MVSAM

Iam tempus lustrare aliis Helicona choreis,
  Et campum Aemonio iam dare tempus equo.
Iam libet et fortes memorare ad proelia turmas,
  Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
  Laus erit: in magnis et voluisse, sat est.
Aetas prima canat veneres, extrema tumultus.

Elegia X

Ab amoribus scribendis ad Augusti victorias celebrandas, licet animi magis audacia, quam viribus ductus, divertere statuit. Sublimitatis laudem hoc carmen meretur.

1–6. Vulgaris sententia: ad graviora argumenta elegiam accommodare, nec amplius carminibus amatoriis vacare volo. Iam quum poëtae fingant Musas in montibus ipsis sacratis choreas indefesso studio agitare (vid. Hesiod. Theog. 2 sqq.) pro vulgari, carmina scribere, vel magis poëtico, inter Musas versari, longe doctius et ornatius dixit *Helicona* (Boeotiae montem Musis sacrum, Strabo IX, pag. 409) *lustrare choreis*. Addit *aliis* choreis, carminibus, non ad leves et molles, II, 34, 42; sed ad duriores modos ductis, compositis, i. e. pertractabo graviora, res ab Augusto praeclare gestas, vid. eleg. 1, 25, non amores, canam. – 2. Enthusiasmo poëtico indulgendum, equo apertus campus dandus est, in bellis Augusti canendis. Metaphora a circo et stadio petita, ut ap. Ov. Fast. II, 360; IV, 10; VI, 586; vid. Dorville Obss. Misc. vol. I, tom. 3, p. 431 sqq. – *Aemonio*, i. e. praestantissimo, quales erant Aemonii, i. e. Thessali equi, vid. Theocrit. Idyll. XVIII, 30. – 3. Notio adornata: bella canam. – *fortes ad proelia*, elegans locutio, nostro inprimis familiaris, vid. Canterus Lect. Nov. III, 20; sed et aliis poëtis usitata, *fortis ad arma* Ovid. Fast. II, 688. Vid. Drakenb. ad Liv. VII, 40; Burmann. ad Virgil. Georg. III, 50. – *mei ducis*, Augusti minus ambitiosa appellatio, quod regium nomen Romanis exosum esset. Vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. IV, 5, 5; Markland. ad Stat. Silv. IV, 1, 46. *mei* venerationem indicat, cuius virtuti faveo, quem veneror. Exempla plura hanc in rem attulit Burm. ad Phaedr. V, 7, 32. – – *Quod si* etc. Conf. Tibull. IV, 1, 1 sqq.

7–12. Iuventuti canendos vult amores, bella vero aetati provectiori, cui grande epos magis convenit. Burm. – *tumultus*, pro bellis, ut II, 1, 39; Horat. Carm. III, 14, 14; IV, 4, 47.

Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge, anime, ex humili iam carmine. Sumite vires,
Pierides: magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet.

*quando*, pro quandoquidem, satis iam Cynthia a me est celebrata. – 9. *subducto vultu*, quum de graviori carminis argumento sermo sit, cuiusmodi carminibus ipsis poëtae severitatem tribuunt. Vid. Mitscherlich. ad Hor. Carm. II, 1, 9: *subductus vultus*, est gravis, severus, tristis, qui et *adductus* dicitur, quo *vultu adducto*, *plerumque tacitum* incessisse Tiberium refert Sueton. Vit. Tib. c. 68, eodem sensu usus est Iuvenal. Sat. IX, 2, voce *obductam frontem*. Eurip. Alc. 800: σεμνὸς καὶ συνωφρυωμένος. – *aliam citharam*, aliud carmen, quod ad citharam canatur. – 11. *Anime*, ita passim poëtae, quum se ipsos adhortantur, et ad aliquid audendum excitant, Senec. Herc. Oet. 480; Med. 41, 988; Aristoph. Equit. 1191. – *humili carmini* opponitur sublime, ut tenui stilo fortior et magnificus. Cf. Oppian. Cyneg. I, 367, ibique Rittershus. – *magni – opus*, carmen grandisonum et heroicum canendum. Vid. not. ad II, 1, 39.

13. 14. Augustus A. V. DCCXXX Arabiae Felicis divitiis allectus, et ut novam in Parthos viam experiretur, duce Aelio Gallo Aegypti praefecto exercitum in Arabiam misit, vid. Prop. Vit. Chron. ad A. V. DCCXXX. Circa illud tempus Prop. hanc elegiam scripsit; hinc Arabibus Parthos adiunxit, nam etiam ad hos, atque Indos, iis finitimos, spectare videbatur Galli expeditio, quae tamen tristem ac infelicem exitum habebat, vid. Hor. Carm. I, 12, 56; I, 35; 31, 32, et ut omnino illius aetatis poëtae nimis magnifice de rebus Augusti Parthicis atque Indicis loqui solebant, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. III, 5; Argum. Prop. Vit. Chronol. ad a. c. et ad A. V. DCCXXXIV, ita et h. l. noster victorias de Parthis, Indis et Arabibus reportandas tanquam de iis iam reportatas praeclare repraesentavit, omninoque sententiam hanc: canam Augustum, extremorum orbis populorum victorem, mira suavitate extulit. – *Euphrates*, fluvius Armeniae maximus, qui olim Romanorum imperium a Parthis disterminabat, vid. ad III, 4, 4; eleganter dicitur negare *equitem Parthorum*, id est simpl. Parthos, qui optimi erant equites, *post terga tueri*, respicere, id est simulata fuga fortissime pugnare, et sagittas in Romanos temere sequentes mittere, vid. ad III, 4, 4. Parthorum sagittas tractandi, et in fuga retrorsum tela iaciendi dexteritas, satis nota, unde *sagittiferi* dicuntur Catull. XI, 6. Add. Virgil. Georg. III, 31; Prop. III, 9, 54; IV, 3, 66. Notio simplex: Parthi debellati sunt. – *Crassos se tenuisse*, Passerat. detinuisse, captosque occidisse, vel reddere noluisse; rectius Beroaldus: se reliquias Crassorum et cadavera insepulta tenuisse. Vid. IV, 6, 83 seq.

India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho;
Et domus intactae te tremit Arabiae.
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar: vates tua castra canendo
Magnus ero: servent hunc mihi fata diem.
Vt caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos, nunc inopes laudis conscendere carmen,

M. Crassus, Romanorum ditissimus, tandem cum Caesare et Pompeio Triumvir factus, infeliciter contra Parthos pugnavit, et ab iis, cum Publio filio, signis amissis, captus et interfectus est. Ovid. Fast. VI, 465: *Crassus aquilas natumque suosque Perdidit, et leto est ultimus ipse datus.*

15–20. *India* intelliguntur omnino extremi Orientis populi. Vid. Cuperus Obss. IV, 7, pag. 412 seqq., qui copiose satis disseruit de regionibus, quas India apud Romanos significat. – *intactae Arabiae*, maxime Felicis; eo enim nondum arma Romanorum pervenerant, vid. Horat. Carm. I, 29, 3; III, 24, 1. Solam Arabiam Petraeam fere antea attigerant Pompeius, Marcellus, alii. Vid. Dio LIII, pag. 516. – *domus Arabiae*, regio Arabiae vel gens, id est Arabes, sic Virg. Georg. II, 115: *Eoas domus Arabum.* – 17. Et si qua gens remotissima se armis tuis subducere, neque tibi se submittere tentabit, non diu post victas dabit manus, et potentiam tuam sentiet. Bvrm. – 19. *castra sequar*, persequar carmine, narrabo, celebrabo res tuas gestas, victorias tuas. Verbo *sequar* exquisite usus est, pro canere, loqui, quoniam sermo fuerat vs. 17 seqq. de triumphis, quos devictis iam Parthis, Indis, Arabibus, Augustum porro acturum esse non tam sperat quam potius confidit, de *oris extremis.* — *hunc diem*, quo te orbis terrarum victorem canam. – *servent mihi fata*, me huic diei servent, vivere me ad hunc usque diem permittant. Aristoph. Pace 345: Εἰ γὰρ μοι γένοιτ' ἰδεῖν ταύτην τὴν ἡμέραν ποτέ.

21–26. Elegans sequitur comparatio, qua significat, se non grandisono et heroico carmine, sed exiguo tantum et humili, Augusti res praeclare gestas et triumphos celebrare posse: *Vt corona, ubi caput in magnis signis*, statuis deorum, *non est*, non licet Graecorum more, οὐκ ἔστι (vid. Heins. ad Ovid. A. A. II, 28) *tangere*, *hic*, tunc, ubi non licet, *ponitur ante pedes* eius. – 23. *laudis carmen*, est carmen epicum, grande, grandia tractans, Virgil. Ecl. IV, 11. – *decus aevi*, id est aevum decorum, aureum. Horat. Carm. II, 1, 38. – *munera naeniae*, id est lugubre. Vid. Burm. ad Phaedr. IV, 4, 44. – *inopes*, viribus destituti. – *conscendere*, id est attingere, magnitudinem et gloriam rerum verborum pompa et grandiloquentia aequare. *Laudis conscendere carmen* ad Propertii singularia pertinere, Vulpius indicat. Locus vexatus. Conf. Obss. – *sacris*

Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

## ELEGIA XI

### AD CYNTHIAM

Scribant de te alii, vel sis ignota, licebit;
Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto

*pauperibus*, subint. *in;* ipse pauper in sacris pauperibus, quae tibi, tanquam deo, facio. Conf. III, 4, 1. — *Sacra*, poëmata, communis poëtarum cultus. Vid. Ovid. Trist. IV, 10, 19; Pont. II, 10, 17. — *vilia tura*, non pretiosa, sed adulterata, nempe resina; vel *minuta* Iuvenal. IX, 137. *quae de parva Dis pauper libat acerra* Ovid. Pont. IV, 8, 39, imagine omissa, carmen exiguum et humile. — 25. *Ascraeos fontes*, maiores poëtae ex fontibus Heliconis, Hippocrene et Aganippe, *Ascrae* oppidulo ad Heliconem sito vicinis, minores e Permesso, qui ex Helicone fluit, bibere dicuntur. Vid. Persius Prol. vs. 1, ibique Casaub. Sensus ergo: nondum magnis et heroicis poëtis accensendus sum. — *Amor lavit* mea carmina *Permessi flumine*, suavis imago: pro, mihi materiam carminum suppeditavit, id est levia et amatoria tantum, neque tamen invenusta carmina adhuc scripsi. Quae enim praecipua quadam venustate commendantur, poëtae erotici Amoris manu facta dicunt. Vid. Iacobs. ad Anthol. Gr. tom. I, P. 1, pag. 5.

Elegia XI

Cynthiae iratus, ei contemtum et oblivionem apud posteros vaticinatur, licet ab aliis vel maxime laudetur. Poëta igitur et Cynthiam nihili pendit, et facultatem ipse extollit suam. Si qui alii te laudaverint, ait, *sterili semina ponunt humo*, bis operam perdent, et quod male apud te collocantur beneficia, et quod eorum carmina levia et inficeta, brevi duratura sunt. Vulp.

1 seqq. *Scribant*, canant tuas virtutes. — *vel sis ignota*, vel eas non carminibus celebrent. — *licebit*, per me licet. Sic *licebit* pro licet Ovid. Heroidd. XX, 71; Martial. Epigr. VIII, 21, 11. — *qui-humo*, proverbialis locutio. Ovid. Heroidd. V, 115: *Quid facis, Oenone? quid arenae semina mandas? Non profecturis litora bubus aras.* — 3. *munera*, carmina illa, quae laudes tuas celebrant. — *lecto*, intelligitur lectus funebris, cui cadaver impositum igne rogi comburebatur. Colorem duxit Prop. ex loco Sapphus apud Plutarch. tom. II, pag. 146 A. Stob. IV, pag. 52

Auferet extremi funeris atra dies.
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet: Cinis hic, docta puella fuit.

## ELEGIA XII

### DE AMORE

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit, sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit et humano corde volare Deum.

Brunck. Anal. tom. I, pag. 57: Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι Οὐδέ τι μναμοσύνα σέθεν Εσσεται οὐδὲ ποκ' ὕστερον, Οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων Τῶν ἐκ Πιερίας· ἀλλ' ἀφανὴς Κὴν Αΐδα δόμοις Φοιτάσεις. Οὐδεὶς δέ σε βλέψει παῖδ' ἀμαυρῶν Νεκύων ἐκπεποταμέναν. – 6. Doctrinae laudem non negat Cynthiae Propertius, tantum ait eius sepultae atque a Propertii versibus destitutae, rudes viatores rationem non habituros. VVLP.

ELEGIA XII

Amoris vulgatam imaginem illustrat, ita ut singulis partibus probabilem interpretationem subiiciat, et ad se ipsum accommodet, atque Amorem pectore suo excedere iubeat. Compara Moschi Idyl. I, et Meleagri epigr. XVII in Brunckii Analect. vol. I, pag. 7.

1 sqq. Eubulus apud Athen. XIII, pag. 562: Τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα, Η κηροπλαστήσας ἔρωθ' ὑπόπτερον; *pinxit* nempe primus. – *miras*, artis plenas. – *sine sensu*, sine consilio, temere, puerorum instar. – 5. *ventosas*, leves; aptissimum, ut recte monet Degen. Anthol. Eleg. Rom., epitheton, quod notionem tam velocitatis, quam levitatis et inconstantiae Amoris egregie exprimit. Vid. Servius ad Virgil. Aen. XII, 848. Alatus ideo dicitur, quia amantibus nec levius aliquid, nec mutabilius invenitur. Ovid. Am. II, 9, 49: *Tu levis es, multoque tuis ventosior alis.* Moschus I, 16: Καὶ πτερόεις ὅσον ὄρνις ἐφίπταται ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλους. – 6. *humano corde*, vid. Obss. Male haec verba interpp. nonnulli ad artificem referunt, et explicant, admodum cordate ac sapienter, magna arte; immo ad Amorem referri debent, eumque divinae pariter atque humanae naturae participem significant. Conf. Huschkius in Anal. Crit. pag. 40 seqq., qui laudato Platonico mytho de parentibus Amoris Πόρῳ et Πενίᾳ Sympos. cap. 23 seq. ita per-

Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago,
Sed certe pennas perdidit ille suas.

git: detracto fabulae involucro, pater iste Amoris philosopho Pythagoreo aut Platonico diceretur νοῦς seu λόγος, mater ψυχή· filius, ex hoc connubio natus, Euripidi, in scena philosopho, est Ερως μαινομένᾳ κραδίᾳ, Hippol. 1274. Xenophonti, Δαίμων μέγας, ψυχῇ ἀνθρώπου ἰσούμενος Sympos. VIII, 1. Propertio, elegantissimo Graecorum imitatori, *deus humano corde*. Animus humanus quatenus cupiditatum illecebris est obnoxius, a Graecis quum philosophis, tum poëtis, saepenumero vocatur ψυχή. Vid. Luzac. Exercit. Academ. Specimen I, pag. 32 seqq.

7–12. *Alterna in unda*, inconstante, modo tranquilla, modo commota. – *iactamur*, verbum de iis proprium, qui in mari errant, procellis huc illuc acti, inde h. l. metaphora desumta. – *nostra aura*, ventus secundus, nobis favens, ut Ovid. Rem. Am. 14: *Gaudeat, et vento naviget ille suo.* Sensus: agitamur in mari amoris, modo commoto modo tranquillo, modo adverso modo secundo vento. — 10. *Gnosia*, epith. ornans. Gnosii, id est Cretenses (Gnosus olim Cretae regia) artis sagittandi peritissimi fuerunt, vid. Aelian. H. V. I, 10; Horat. Carm. I, 15, 17. – *ex humero utroque*, vid. Hesiod. Scut. Herc. 130, ibique Guietus. – 11. Cupido ut insidiator depingitur, sagittis suis hamatis inopinantes configens. — *nec – abit*, insanabile vulnus infligit. Eubulus loco citato: Εστιν γὰρ οὔτε κοῦφος οὐδὲ ῥᾴδιος Απαλλαγῆναι τῷ φέροντι τὴν νόσον, Βαρὺς δὲ κομιδῇ.

13–18. Cupidinis attributa eleganter poëta ad se ipsum accommodat. Moschus Id. I, 18: ἔνδοθι δ' ἐντὶ Τοὶ πικροὶ κάλαμοι, τοῖς πολλάκι κἀμὲ τιτρώσκει. Compara et Pauli Silentiarii epigr. Anthol. VII, pag. 457 a Dousa allatum et a Dorvill. Obss. Miscell. vol. I, tom. 3, pag. 435, cuius ultima verba sunt: ἀστεμφὴς, ἀδόνητος ἐνέζεται οὐδὲ μετέστη, Εἰς ἐμὲ συζυγίην κειράμενος πτερύγων, insidet aeternus misero, nec avolat unquam, Alas ipse sibi praesecuit geminas. Add. Plutarch. ap. Stob. tit. LXII, pag. 403, 27. – *manet et puerilis imago*, explicant: in me sagittarius et puer esse non desinit et ad pueriles ineptias adigit, alas tantum suas amisisse videtur. Huschkius Anal. pag. 60 rectius verba nostra ex opinione vett. philosophorum illustrat, qua animus vitiis vibices ac cicatrices concipit, omniumque affectionum quasi imagines retinet, conf. Wyttenbach. ad Plutarch. D. S. N. V. pag. 111; laudatque hanc in rem verba Meleagri Anal. tom. I, pag. 16: Ω πτανοί, μοι καί ποτ' ἐφίπτασθαι μὲν

Evolat heu! nostro quoniam de pectore nunquam,
  Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iucundum siccis habitare medullis?
  Si pudor est, alio traiice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno:
  Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei.
Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet?
  Haec mea Musa levis, gloria magna tua est.
Quae caput et digitos et lumina nigra puellae,
  Et canit, ut soleant molliter ire pedes.

Ερωτες, Οἴδατ', ἀποπτῆναι δ' οὐδ' ὅσον ἰσχύετε. Add. Plutarch. apud Stob. LXII, pag. 401. – 15. *evolat*, prop. de iis, qui evadere tentant. V. Burm. ad Ovid. A. A. II, 19. – *meo sanguine*, in; Theocrit. Id. II, 55 seqq.: Αἶ αἶ ἔρως ἀνιαρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα Εμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας. – 17. Archias Epigr. II, Brunck. Anal. II, 92 nihil sibi loci relictum esse affirmans ad nova Amoris tela recipienda: καὶ εἰς σκοπὸν ἥσυχος ἐλθὲ Ἄλλον· ἐγὼ γὰρ ἔχω τραύματος οὐδὲ τόπον. ut recte distinxit verba Iacobs Animadv. ad Anthol. Gr. tom. II, P. 1, pag. 251. – *siccis medullis*, amoris flamma siccatis, Theocrit. Id. II, 134; III, 17; VII, 56. – *habitare*, insidere, haerere, diu morari. Vid. Burm. ad Ovid. Trist. III, 10, 11; Moschus Id. I, 17 de Cupidine, ἐπὶ σπλάγχνοις δὲ κάθηται. – *si pudor est*, bene Degen: si qua tibi est humanitas.

19–24. *intactos*, nondum tuas sagittas expertos. – *veneno*, vis amoris passim ab utriusque linguae poëtis cum telis et veneno confertur. Vid. Dorvill. ad Charit. pag. 204; tela venenata h. l. intelligenda. – *vapulat tenuis umbra mei*, caeditur, cruciatur. Cupidinis crudelitas summa his verbis designatur. – *umbra mei*, de homine, cui vita vix constat, σκιῇ εἴκελος Homer. Odyss. Λ, 206: τὸ ἥμισυ τᾶς ζωΐας ἔχω Theocrit. Idyl. XXIX, 5: ἔμψυχος τάφος Lucian. Dial. Mort. VI, 2, 347; ubi vid. interpp. – *talia*, amores, carmina amatoria. – 23. Vulgarius erat: canit puellae meae pulchritudinem; pro quo longe exquisitius et doctius singulae formositatis partes recensentur. – *lumina nigra* Horat. A. P. 37. – *molliter ire pedes*, in molliori incessu haud exigua pars pulchritudinis ponebatur. Ovid. A. A. III, 298. Incertus poëta a Vulpio laudatus Anthol. l. c. 67: Λεσβίδες, ἁβρὰ ποδῶν βήματ' ἐρεισάμεναι.

# ELEGIA XIII

## AD CYNTHIAM

Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
  Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
  Iussit et Ascraeum sic habitare nemus.
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,

### Elegia XIII

Iacobsio adstipulor in epistola Astii Obss. in Prop. praemissa pag. 12, suspicanti, hanc elegiam ex tribus carminibus esse conflatam. Initio (liceat enim ipsis V. D. verbis uti) poëta se per Amorem ad Musas adductum et in Ascraeo nemore collocatum esse narrat. Neque se tamen gloriae consectandae gratia versibus scribendis operam dare affirmat, sed ut puellae sibi amorem conciliet, cuius iudicium plus apud se valere ait, quam universi populi opinionem. 1–16. Inde a vs. 17–42, qui versus quoque integram elegiam constituunt (vid. Prop. Vit. Chronol. ad A. V. DCCXXXI), docet Cynthiam, quae ab illa post fata sua et in funere suo fieri velit. Absit, inquit Prop. inanis pompa et funerum magnificentia, tu modo rogo adsis, tu modo ultimum mihi acclames vale, et cineris mei reliquias in parva testa componas. Particula *igitur* vs. 17 non habet quidem quo referatur, sed abrupta huiusmodi principia poëtis nonnunquam placuisse constat; ut ap. Horat. Serm. I, 10: *Nempe incomposito dixi pede currere versus Lucili.* Reliqui elegiae versus inde a vs. 43 maioris carminis particula esse videntur.

1–8. Docte et ornate expressa est sententia haec: amor erga Cynthiam flagrantissimus me poëtam mollem et eroticum fecit. – *Achaemeniis*, id est Persicis, ab Achaemene Persarum rege, vid. Barth. ad Stat. Theb. VIII, 286. Medos et Parthos arte sagittandi nobilissimos fuisse, pervulgatum; et eleganter comparat noster optimos sagittarios cum Cupidine iis etiam meliore. – *Susa*, urbs primaria regionis Susianae in Persia. Vid. Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 1073; Holsten. ad Steph. Byz. pag. 302. – *armantur*, instruuntur ad pugnam, ut eleg. 12, 9: *manus est armata sagittis.* – 3. *graciles Musas*, tenues, leves. El. 12, 22. Vid. Obss. Si sensum spectamus, intelliguntur carmina mollia, amatoria, elegi. – *sic*, cum Musa tam gracili. – *Ascraea*, silva et Tempe prope Heliconem, vid. Markland. ad Stat. Silv. pag. 312 et not. ad eleg. 10, 25. – *iussit habitare A. n.*, imagine omissa, iussit me canere. – *Pieriae quercus*, sunt quercus Thraciae (Pieres Thraciae populus fuere, Macedoniae finitimus, vid. Plin. IV, 10) Orphea canentem se-

Aut possim Ismaria ducere valle feras:
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu,
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae,
Nec si qua illustres foemina iactat avos.
Me iuvat in gremio doctae legisse puellae,
Auribus et puris scripta probasse mea.
Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula, nam domina iudice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Iovis.

* * * * * *

Quandocunque igitur nostros mors claudet ocellos,

cutae. Conf. III, 2, 1: hic ipse poëta Thracius respicitur etiam vers. seqq. *Ismarus* enim mons Thraciae, ubi Orpheus canere solitus erat, v. Virg. Ecl. VI, 80. – *verba*, carmina, ut Horat. Sat. II, 1, 19. – *ducere feras*, Virg. Georg. IV, 510: *Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.* Horat. Carm. III, 11, 13: *Tu potes tigris comitesque silvas ducere.* Sensus: Non ut Orphica carmina canam, ut Orphea lyra grandia canam, ut lyricis, maioribus vatibus annumerer. – 7. *stupefiat*, admiretur et probet carmina mea mollia, amatoria. – *sim*, esse possim. – *notior arte*, clarior arte canendi. – *Linus*, nomen inter vetustissimae memoriae vates clarum, Apollinis filius, Virgil. Ecl. IV, 57; Orphei et Herculis praeceptor, Hygin. fab. 161; Apollod. II, 4, 9. – *Inachio*, Argivo, Graeco, vid. I, 13, 31.

9–16. *formae honestae*, decorae, pulchrae, formosae. – *nec si* etc., nec si foemina antiqua superbit nobilitate. Respectu Cynthiae haec dicta sunt, quae formosa, et claro genere nata erat, sed et ingenio scientiaque excellebat. Erant autem Romae, qui non nisi cum foeminis claro genere natis rem habere vellent. Vid. Horat. Serm. I, 2, 29. – *me iuvat*, summam inde voluptatem capio, si etc. – *legisse*, pro legere, id est praelegere mea carmina. – *in gremio*, amicae reclinatum. – *puris auribus*, quas *purgatas* dixit Horat. Epist. I, 1, 7. – *fabula*, quae fatur populus, sermones populi. – *confusa*, iudicia aliorum modo aequa, modo iniqua, ea non curo. – *valeto*, est dimittentis cum contemtu. – *tutus ero*, in Cynthiae iudicio acquiesco. – 15. *si – aures*, si placata fuerit; simultates Propertium cum Cynthia tunc temporis exercuisse, manifeste satis ex his ipsis verbis apparet. – *bonas aures*, benignas, faciles.

17–20. Quae inde a vs. 17 leguntur, neutiquam cum antecedentibus cohaerere, iam *Broukhus.* Hemsterhus.

Accipe, quae serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus; adsint
Plebeii parvae funeris exequiae.
Sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli:

Burmannus, alii, monuerunt. Vid. Argum. – *mors claudet ocellos*, eleganter dictum, quum a poëtis haud raro mors tanquam persona proponatur. Vid. Eurip. Alch. schol. ad Homer. Il. Z, 153; Prop. II, 27, 2. – *accipe*, alloquitur Cynthiam, quam sibi superstitem optat. – *acta*, mandata literis consignata in funeris mei exsequiis curanda. Vid. interpp. ad Suet. Caes. 20; Cic. ep. ad Div. II, 15, 7. – *longa imagine*, longa imaginum serie. Maiorum imagines in funebri virorum illustrium pompa praeferebantur. Vid. ad I, 5, 24; Dorvill. ad Chariton. p. 364; Scheffer. de Re Vehic. II, 3; interpp. ad Suet. Vesp. 19. – *spatietur*, lente incedat et graviter. – *tuba*, vid. ad II, 7, 12. Tubae funeribus ditiorum sicut pauperum tibiae adhibebantur. – – *vana querela*, quia poëtarum nomen immortale, adeoque eorum funera non lugenda. Ennius ap. Cic. Tusc. I, 15: *Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu faxit: Cur? volito vivu' per ora virum.* Horat. Carm. II, 20, 21: *Absint inani funere naeniae Luctusque turpes et querimoniae: Compesce clamorem, ac sepulcri Mitte supervacuos honores.*

21–26. *Sternatur*, fulciant et sustineant lectum fulcra eburna, nitatur lectus fulcro eburno. – *lectus*, lectis scil. lecticis mortui efferebantur (Hesych. *λέχη, ἐφ' οἷς τοὺς νεκροὺς κοσμοῦσιν*) ditiores et nobiliores; sandapila vero ignobilium et pauperum cadavera. Vid. Iuvenal. Sat. VIII, 178. – *mors mea*, docte pro, ego mortuus, meum cadaver, ut *funus* I, 17, 8, *exsequiae* Stat. Silv. III, 5, 5e, ubi vid. Markland. pag. 178. – *Attalico toro*, Attalicis vestibus instrato, vel omnino, magnifico, splendido. Vid. ad II, 32, 12. – *odoriferis lancibus*, intelliguntur lances thure et aliis rebus odoriferis repletae, quae longo ordine in pompa cum corpore mortuo cremandae ferebantur. Acervatim enim odores in rogum coniiciebantur. Vid. Plin. H. N. XII, 18; Virg. Aen. VI, 229; Prop. IV, 7, 32; Kirchman. F. R. III, 5. – *exequiae*, pompa. Donat. ad Terent. Andr. I, 1, 100: *Funus interim procedit, nos sequimur.* Sequimur, inquit, quasi post ipsam morituri, unde exsequiae. – *plebeii*, plebeii *funeris* cuiusmodi funera minima impensa curabantur. Funus plebeium dicebatur etiam *translatitium*, *commune*, *tacitum*, *vulgare*. Vid. Suet. Ner. 33; Ovid. Trist. I, 3, 21; V, 1, 13; Kirchman. F. R. I, 4. – *tres libelli*, Burmannus intelligit Mimnermi, Callimachi et Philetae carmina, quae assiduo usu contriverat, sed re-

Quos ego Persephonae maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris;
Nec fueris nomen lassa vocare meum.
Osculaque in gelidis ponas suprema labellis,
Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos.
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quae tegat extincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus: Qui nunc iacet horrida pulvis,

ctius ob vs. seq. (coll. III, 1, 21 seq. 2, 15; 9, [illegible]) intelligitur exemplar trium librorum elegiarum Propertii, manu ipsius et assidua lectione attritum. Vid. Prop. Vit. Chronol. ad A. V. DCCXXXI. – 26. Sententia nuda poëtice exornata: mecum tres illi libri comburantur; quae enim vivis inprimis cara, et quibus usi fuerant, concremabantur. Vid. Homer. Odyss. Λ, 74; interpp. ad Lucan. IX, 174 seqq.; Virg. Aen. VI, 217; Senec. Herc. 1660. – *Persephone*, Περσεφόνη, Proserpina, Plutonis coniux, inferorum regina. Vid. interpp. ad Horat. Carm. I, 28, 19 seq.

27–32. *Pectus lacerata* vid. ad el. 9, 10. – *sequeris*, nempe exsequias, Ovid. Trist. I, 8, 14: *neque exsequias prosequerere meas.* – 28. *Nec – meum*, solebant enim mortui nomen repetita voce pronuntiare, ut, si fieri posset, vocantium voce audita, in vitam rediret; Homer. Odys. I, 65: πρίν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι. Add. Virg. Aen. III, 68. – 29. *Osculaque ponas*, osculabantur non solum moribundos, vid. Virg. Aen. IV, 684, sed etiam iam iam in rogum ponendos, Tibull. I, 1, 61: *Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto, Tristibus et lacrymis oscula mixta dabis.* Compara et Theocrit. Idyl. XXIII, 40; Moschus Epitaph. Adonid. vs. 45. – 30. *onyx*, Plin. VIII, 2: *Onyx factum aliquid ex onyche, ut vas unguentarium, potorium.* Sed onyx gemma non debet confundi cum onyche marmore. Vbi onyx pro vase unguentario ponitur, intelligendum est plerumque marmoris genus, colorem unguis humani referens, alabastri appellatione frequentatum. Vid. Plin. H. N. XXXVI, 7, 8; Salmas. Exercitt. Plin. ad Solin. tom. I, pag. 558; Theocrit. Id. XV, 114: Συρίω δὲ μύρω χρύσει' ἀλάβαστρα. – *Syrio munere*, unguentis ex Syria advectis. Vid. ad vs. 23, et I, 2, 3. – *ardor*, ignis rogo subiectus. – *manes*, pro cinere et ossibus urna condendis, ut saepius. Ossa minuta legebant incincti nigra veste propinqui et amici, vid. Tibull. III, 2, 17 seq.

33–38. *Laurus superaddita*, commune poëtarum votum, quo sepulcra sua lauri (Apollini dicatae), myrti, aliarumve arborum umbra tegi optabant. Vid. Burm. ad Lotich. pag. 230 seq. – *extincti funeris*, intelliguntur ipsae reliquiae et cineres rogo detracti. – *locum*, sepulcrum. – 35. Compara Theocrit. Idyl. XXIII, 46; Tibull. I, 3, 54 seqq.; III, 2, 30.

Vnius hic quondam servus Amoris erat.
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata (memento
Hoc iter!), ad lapides, cara, veni memores.
Interea cave, sis nos adspernata sepultos:
Nonnihil ad verum conscia terra sapit.

* * * * * *

– *horrida*, proiecta, disiecta, ut *coma ventis horrida facta* Tibull. I, 9, 14. – *unius amoris*, unius amicae, puellae, constans amator. – *servus*, *servire*, ut δοῦλος, δουλεύειν, de amatoribus frequenter leguntur. Vid. Dorvill. ad Charit. pag. 197; Bergler. ad Alciphr. I, 13. – *quam fuerant*, scil. nota. – *Phthii viri*, Achillis, ita dicti a Phthiotide Thessaliae tractu, cui imperabat, Homer. Il. A, 155, 169. – *busta cruenta*, propter Polyxenam, Priami et Hecubae filiam, ad sepulcrum eius immolatam. Vid. Eurip. Hecub. Senec. Troadd. 367; Ovid. Met. XIII, 448; Hygin. fab. 110; Markland. ad Stat. Silv. V, 1, 36. Sensus: sicuti crudelitas in Polyxenam commissa nobilitavit Achillis sepulcrum, ita meum mea fides Amori praestita nobilitabit.

39–42. *Ire*, sive *venire ad fata*, poëtice dictum est pro mori. Vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 4, 17; II, 17, 12; Homer. Il. Σ, 143: ὀλέθρου πείραθ' ἱκέσθαι. Burmanni explicatio: *ad fata venire*, ad sepulcra mea, vel propterea non potest admitti, quoniam sequitur, *ad lapides veni memores*. Verba *memento hoc iter*, in parenthesi ponenda sunt: memor sis, tibi quoque ad fata veniendum esse! – *hoc iter*, nempe ad fata. Horat. Carm. II, 17, 11; *supremum carpere iter parati*. Id. I, 28, 16, *via leti*. Catull. III, 10, *iter tenebricosum*. Prop. II, 27, 16: *concessum nulla lege redibit iter*. III, 7, 2: *mortis adimus iter*. Verbum *venire* legitur h. l., ut apud Ovid. Heroidd. VII, 101 seqq.: *Hinc ego me sensi noto quater ore citari: Ipse* (Sichaeus) *sono tenui dixit, Elissa, veni: Nulla mora est, venio: venio tibi debita coniux.* Qui sint et poëtice dicantur *lapides memores*, docent vs. seqq. quos recte Barthius hunc in modum explicuit: mortui in cinerem redacti habent aliquem sensum veri, et intelligunt, quid iustum sit et aequum, quid a vivis praestandum sit officii et praestetur. – *conscia terra*, id est quae me sepultum inclusum habet, ego sepultus, cinis. *Conscia* enim saepe poëtice dicuntur, quae aliquid in se continent, et inclusum habent. Vid. Heyne ad Tibull. I, 7, 48. Optat igitur poëta, ut Cynthia eodem, quo ipse conditus sit sepulcro, mortuum se condi iubeat. In communi enim sepulcro, solemne erat amantium votum. Vid. Dorville ad Charit. pag. 422. Caet. verba *memento hoc iter*, possent etiam explicari de via ad sepulcrum poëtae, hoc modo: tu, quae poëtae tui funus inter lacrymas multas comitata es, et exsequiarum iusta persolvisti, coll. vs.

Atque utinam primis animam me ponere cunis
  Iussisset quaevis de tribus una soror!
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
  Nestoris est visus post tria secla cinis.
Si tam longaevae minuisset fata senectae
  Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
  Diceret aut, o mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico:

27, si quando venies ad fata, memento hoc iter, hanc viam semel ingressam, et ad lapides memores veni. – *Venire*, ut Gr. ἔρχεσθαι, redire.

43–50. Sensus: Vtinam Parcae me infantem iussissent mori! nam quem ad usum vita tam dubiae horae producitur, quum tamen moriendum sit? quum vel Nestor quantumvis vivax mortuus sit; quem si Troianus miles vita in tempore privasset, non vidisset multa mala, mortem saltem filii non cognovisset. Barth. – *primis cunis*, prima infantia, ut Ovid. Met. III, 313. – *animam ponere*, ut infra eleg. 16, 3, *vitam ponere*. Ovid. Met. V, 106, *animam expirare*. – 44. *quaevis – soror*, e Parcis quaelibet, sive Clotho, sive Lachesis, sive Atropos. Τρεῖς κασίγνηται Parcae dicuntur Hom. hymn. in Merc. 549. Add. Ovid. Met. XV, 807; Horat. Carm. II, 3, 15, ubi vid. Mitscherlich. – *spiritus*, vita, *horae dubiae* explicant: cuius exitus hora incerta est; mallem: quem in usum vita servatur Horae, fortunae in horas varianti, vid. Horat. Carm. II, 16, 32, quid prodest vita vel longissima in tanta fortunae vicissitudine. – 46. *Nestor*, vid. de eo Homer. Il. Α, 250. – *post tria secla*, vixit tres γενεὰς, Homer. Il. Α, 247, ubi Schol. observat, γενεὰν apud vett. fuisse spatium XXX annorum, et hoc modo nostro loco legitur *seculum*, eodem sensu Noster *trisaeclisenex* dicitur. Naevio apud Gell. IX, 7. Vid. Gierig. ad Ovid. Met. XII, 186; Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 9, 13. – *visus est cinis*, in cinerem est redactus. – *fata senectae*, senectus ipsa, quam fato subire cogimur, vid. I, 19, 17. – *Gallicus miles*, Phrygius, Troianus, a Gallo Phrygiae fluvio, de quo vid. Ovid. Fast. IV, 364; Stephanus de urbibus: Γάλλος ποταμὸς Φρυγίας. Vid. Obss. – *Iliacis in aggeribus*, in muris et operibus ac munitionibus Troianis. – 49. *Antilochus*. Nestoris filius, in bello Troiano a Memnone Aurorae filio interfectus, Vid. Homer. Odyss. Δ, 187; Pind. Pyth. ς' 28 seqq.; Q. Cal. II, 243 sq.; Heyne ad Virg. Aen. II, Exc. I; Wernsdorf. Poët. min. tom. IV, 568 seqq.; Ovid. Epist. I, 15. – *humati*, pro humandi, ut *spoliati*, pro spoliandi III, 12, 3. Vid. Burm. ad Virgil. Aen. II, 721. – *diceret* pro dixisset; nec mortem sibi optasset.

51–57. *Flebis*, vid. Tibull. I, 1, 63, verbum de graviori luctu solenne, II, 20, 2; Theocrit Idyl. XX, 35. – *praeteritos viros*, amissos, defunctos, οἰχομένους, παροιχομένους ἄνδρας, vid. Dorvill. ad Charit. pag. 257. Iam

Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, quem niveum quondam percussit, Adonis,
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illic formosum flevisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

## ELEGIA XIV

### LAETATVR POTITVS AMICA

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Quum caderent magnae Laomedontis opes:

Adonidis exemplo id demonstratur. – *Adonis*, propter insignem pulchritudinem a Venere amatus, ab apro percussus interiit, et a Venere in florem purpureum mutatus est. Vid. Hygin. fab. 248, 271; Tzetzes ad Lycophr. pag. 133; Ovid. Met. X, 503 seqq.; Bion. Idyl. I; Theocrit. Idyl. XXX; Apollod. III, 14, 4, ibique Heyne. – *niveum*, id est omnino formosum. Cutis candor Adonidis celebratur etiam nominatim ab Anacr. XXIX, 28; Bion. Id. I, 7, 9. – *Idalio vertice*, id est monte. Idalium nemus et mons, urbi eiusdem nominis vicinus in Cypro. Vid. Valcken. ad Theocrit. Idyl. XV, 100. – *illic flevisse*, eleganter; respicitur vers. 51. Conf. Obss. – *paludibus*, nam aper excitatus in montis summitatibus, ab Adonide et canibus eius actus fuit in nota cubilia, paludes. – *effusa isse coma*, Bion. Idyl. I, 20: ἁ δ' Ἀφροδίτα Λυσαμένα πλοκαμῖδας, ἀνὰ δρυμὼς ἀλάληται. Veteres, passas neglectasque comas in luctu habuisse, tritum. – *manes*, me defunctum. – *ossa minuta*, reliquiae ossium e rogo detractae.

#### Elegia XIV

1–4. Laetitia exsultat, quod amica tandem et praeter opinionem suam potitus fuerit. Laetitiam suam inde perceptam affirmat maiorem fuisse et esse, 1–8, laetitia Agamemnonis, Troia capta; Vlyssis, quum finito errore in patriam revenisset; Electrae, quum salvum adspexisset Orestem; Ariadnae, quum Thesea sospitem vidisset. Duo priora exempla 1–4, gaudium indicant post longum temporis spatium perceptum; posteriora 5–8 nec opinatum. – *Atrida*, et *Atrides* dicitur, vid. Burm. ad Quinctil. I, 5; intelligitur Agamemnon. – *Dardanio triumpho*, de Troianis reportato, capta et expugnata Troia. — *Laomedontis opes*, Troia. Ovid. Heroidd. VIII, 14: *Quum Danaus Phrygias ureret ignis opes.* Laomedon,

Nec sic errore exacto laetatus Vlyxes,
  Quum tetigit carae litora Dulichiae:
Nec sic Electra, salvum quum adspexit Oresten,
  Cuius falsa tenens fleverat ossa soror:
Nec sic incolumen Minois Thesea vidit,
  Daedaleum lino quum duce rexit iter:
Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte.
  Immortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
  Dicebar sicco vilior esse lacu.

rex Troianorum, Priami pater. – *exacto errore*, Vlyssis errores ex Homer. Odys. noti, vid. et III, 12, 21 seqq. – *Dulichia*, insula Vlyssi subiecta, *litora cara*, litora patria.

5–8. *Orestes*, Agamemnonis et Clytemnestrae filius, studio Electrae sororis insidiis Aegisthi et ipsius matris ereptus, et ne cum patre interficeretur, adhuc infans, in Phocidem ad Strophium ablegatus, inde, quum iam mortuus nuntiaretur, vicesimo post patrem interemtum anno, Argos reversus, patris mortem ultus est, v. Prop. III, 19, 19; IV, 7, 57; Sophocl. Electra; Hygin. fab. 117, 122; Vellei. I, 1; Ovid. Trist. II, 395. Vltima in *Electra*, ut iam Burm. monuit, producitur, ut apud Ovid. Fast. IV, 177: plura hanc in rem exempla collegerunt interpp. ad Ovid. Heroidd. XIV, 1; Dorvill. Obss. Miscell. vol. II, pag. 202; Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 215; tom. II, pag. 78. – *falsa tenens ossa*, Orestis morte ficta audita, et accepta eius urna, fratrem ut defunctum fleverat. Vid. Sophocl. Electr. 1223; Eurip. Elect. 567; Gronov. ad Senec. Herc. Oet. 1756. – *Minois*, Ariadna, vid. II, 24, 44; I, 3, 2. – *Daedaleum iter*, docte pro viam flexuosam per labyrinthum a Daedalo in insula Creta exstructum; conf. Ovid. Met. VIII, 157; Hygin. fab. 40; Diod. IV, 77; Apollod. III, 1, 4; 15, 8. – *rexit*, rectam viam reddidit, vel direxit. – *lino*, pro filo lineo, Catull. LXIV, 113: *Errabunda regens tenui vestigia filo*.

9–12. *Immortalis ero*, beatus ero, et vere divina sorte fruar, vid. ad I, 8, 43; II, 15, 37, Graecorum vestigia pressit noster. Rufinus Epig. lib. VII, Anthol. Gr. ep. 137: Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε· τρισόλβιος, ὅςις ἀκούει· Ημίθεος δ' ὁ φιλῶν. ἀθάνατος δ' ὁ τυχών. Add. Sapphus odarion apud Longin. pag. 62 seqq. ed. Mori: Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν Ἔμμεν ὠνὴρ, ὅςις ἐναντίον τοι Ἰζάνει, καὶ πλασίον ἁδὺ φωνεύσας ὑπακούει, Καὶ γελώσας ἱμερόεν. Catull. LI, 1 seqq.: *Ille mihi par esse deo videtur, Ille, si fas est, superare divos, Qui sedens adversus identidem te Spectat et audit*. – 11. Quum nondum amica potitus essem, *demissis cervicibus ibam*, ut solent tristes et moerentes. Florus I, 18: *non sine sensu captivitatis, submissis cervicibus, victores equos sequebantur*. Contra *sublimis cervix* signum elati et fortis ani-

Nec mihi iam fastus opponere quaerit iniquos,
　Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
　Conditio: cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis.
　Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis: contemnite, amantes.
　Sic hodie veniet, si qua negavit heri.
Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant.
　Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi devictis potior victoria Parthis.
　Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.

mi. Vid. Barth. ad Stat. Theb. II, 326. Verba *dicebar – lacu* proverbium redolent, sensus: contemnebar. Vulpio *siccus lacus* est vas vinarium epotum et vacuum, laudat Tibull. II, 3, 64; II, 5, 86; coll. Phaedr. fab. III, 1.

13–20. Nec mihi, amori meo, iam amplius adversatur illius superbia iniqua et immerita. – *lenta sedere potest*, lenta sedet, lacrymis non moveri. Conf. Tibull. I, 11, 58. – *conditio*, ratio, via, modus; queritur nimirum poëta, ut scite observavit Ruhnken., nimis sero sibi cognitum esse modum, quo convenire cum Cynthia, et noctem transigere posset, caecum se fuisse, qui illum modum non prius ac citius viderit. – *cineri - datur*, proverb. sapit; sensus h. l. sero medicina datur; aegroto, de cuius salute fere iam conclamatum est, adfertur medicina, ea tamen confirmatur et vires recipit. Aliis locutio desumta est a malo medico, qui, quum de funere cogitandum est, salute aegroti conclamata, serum adfert remedium. – *lucebat*, clare et conspicue apparebat; sic fere *lucet iter* dixit Stat. Theb. IX, 365, id est conspicuum est, clare apparet. – *contemnite*, fingite vos eas spernere, quae ipsae vos spernunt, ut par pari referatis. Coll. vs. 11; vid. Obss. – *veniet*, venire dicuntur mulieres, quum amatoribus copiam sui facturae sunt. Tibull. I, 8, 15; Prop. II, 22, 43; Heins. ad Ovid. Art. Am. II, 11.

21–28. *Lenta puella* dicitur Cynthia respectu procorum, qui frustra illius fores pulsabant et dominam blandientes vocabant, quorum precibus et blanditiis non movebatur; vel potius Veneris usu lassa, languida, confecta, ut eleg. 15, 8; Catull. XXVIII, 10. Gr. *ἄεργηκτες* de segnibus et inertibus, Manetho l. IV, 517; Laërt. IV, 2, 3. – *positum*, compositum, coniunctum, ut Ovid. Heroidd. III, 107: *Perque tuum, nostrumque caput, quae iunximus una.* Add. Tibull. I, 5, 8. *Parthis*, vid. ad II, 10, 13, venuste victoriam de Cynthia reportatam praeferendam esse ait victoriae maxime gloriosae, victoriae de Parthis Romani nominis hostibus reportatae; et illam victoriam ex Cynthia relatam sibi instar spoliorum, curruum trium-

Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
  Taleque sub nostro munere carmen erit:
*Has pono ante tuam tibi, diva, Propertius aedem*
  *Exuvias, tota nocte receptus amans.*
Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
  Servata, an mediis sidat onusta vadis.
Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
  Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.

phalium et regum subactorum esse affirmat. Compara Ovid. Heroidd. XVII, 135. – *currus*, scil. triumphalis, pro triumpho, vid. Heins. ad Sil. Ital. VI, 545. – *dona figam*, affigere vult columnae templi Veneris donaria, vid. ad II, 28, 43; Tibull. I, 9, 81 seqq.; Ovid. Am. II, 13, 25, pro aegrotante Corinna: *Ipse ego thura dabo fumosis candidus aris, Ipse feram ante tuos munera vota pedes. Adiiciam titulum, servata Naso Corinna. Tu modo fac titulo muneribusque locum.* – 26. *munere*, nempe voto. – *carmen*, formula, titulus, vid. eleg. 28, 43. – *ante tuam aedem*, etiam *ante fores*, id est portis templorum affigebantur donaria, non tantum ea in templis suspendebantur, vid. Virg. Aen. III, 288; Tibull. I, 1, 16; Prop. IV, 3, 17. – *pono*, verbum dedicatorium, Gr. ἀναθεῖναι. – *Propertius*, nam in eiusmodi donariis votivis nomen proprium ea ponentis vel dedicantis exprimebatur. Vid. Tibull. I, 10, 83; Ovid. l. c.; Sil. Ital. XV, 495. – *exuvias*, eleganter pro donis, muneribus; perstat enim in translatione triumphi, exuvias autem, spolia hostium diis dedicare solebant victores. Vid. Sil. Ital. l. c.; Virgil. l. c. Livineius de vestibus stragulis cogitat. Vulp. explicat: haec dona exuviarum vice pono.

29–32. Nunc in tua potestate, Cynthia, situm est, utrum amor meus felix futurus sit, an ut malis, quae amor infelix afferre solet, opprimar. Praeclara imagine a navigatione desumta hanc sententiam expressit. – *a te*, scilicet pendet, vid. Obss. — *veniat servata*, pro servetur, ut saepius. – *litore*, scilicet in; *litus* pro portu, ut Catull. LXIV, 74. – *sidat onusta*, oneris gravitate depressa subsidat. – *nobis*, nostra culpa a nobis abalienabere. – 32. Hic versiculus votum continere videtur, quo, si infelix in amore, mori optet, id solatii in morte habiturus, si in conspectum dominae mortuus veniat. Barth. recte, conf. III, 7, 72; II, 1, 56.

# ELEGIA XV

## NARRAT VOLVPTATES SVAS

O me felicem, o nox mihi candida, et o tu
Lectule deliciis facte beate meis!
Quam multa adposita narramus verba lucerna!
Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis:
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo, et dixit: Siccine lente iaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia! quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Non iuvat in caeco Venerem corrumpere motu.
Si nescis, oculi sunt in amore duces.

### Elegia XV

Idem fere argumentum quod superioris. Voluptates suas lascive satis enarrat, ex amoris usu commoda in hominum vitam profluere maxima docet, atque se benignum numen Amoris per omnem vitam culturum, perpetuoque Cynthiam amaturum esse affirmat.

1–12. *Felicem, o nox*, similis hiatus Catull. III, 16: *O factum male! o miselle passer.* Exempla huius generis alia plura collegerunt Taubman. ad Virgil. Aen. I, 16; Oudendorp. ad Lucan. V, 527. – *deliciis*, concubitus gaudiis, Iuvenal. IV, 4. – *facte beate.* Martial. X, 38: *O quae proelia, quas utrimque pugnas Felix lectulus, et lucerna vidit!* – *narramus*, narravimus, *verba*, blanditias, sermones lascivos et petulantes intelligit. – 8. *ore suo*, dato osculo. – *lente*, vid. ad eleg. 14, 22. – *mutamus*, pro mutavimus, amplexus variatio significatur. – 11. *Venerem corrumpere*, deteriora et insuaviora reddere gaudia Veneris. – *caeco motu*, qui fit in tenebris. Vt oculos nocte pasceret conspectu nudae Cynthiae, lucernam exigit; hinc vs. 23 dicit, *oculos satiemus amore* (hinc λύχνον σιγῶντα συνίστορα τῶν ἀλαλήτων, *lusibus arcanis testem sine voce lucernam* vocat Philodemus Anthol. Gr. VII, ep. 89, et Statyll. Fl. Ep. III: νυχίων με συνίστορα πιστὸν ἐρώτων - λύχνον. Add. Meleag. ep. LXXI. Conf. Iacobs Animadvv. ad Anthol. Gr. tom. I, P. 1, pag. 87), hinc addit: *oculi sunt in amore duces*, ἀγωγοί, vid. Musaeum vs. 94; Nonnus Dionysiac. V, 588: ὀφθαλμὸς προκέλευθος ἐγίνετο κομπὸς ἐρώτων.

Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
  Quum Menelaeo surgeret e thalamo.
Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
  Dicitur, et nudae concubuisse Deae.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
  Scissa veste meas experiere manus.
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
  Ostendes matri brachia laesa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae:
  Viderit hoc, si quam iam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore,
  Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
  Vellent, ut nunquam solveret ulla dies.

13–22. *Paris*, Priami filius, periit *Lacaena*, Helena, nuda quum *surgeret* e Menelai thalamo, lecto. III, 7, 49. – *Endymion*, Aëthlii filius, quem Luna adamavit, vid. de eo Hygin. fab. 271; Cic. Tusc. I, 38; Schol. ad Apollon. Rhod. IV, 57, 58; interpp. ad Theocrit. Id. III, 50; Apollod. I, 7, 5, et Heynii Obss. p. 104 seqq. – *pertendens*, obstinata, pertinax, διατεινομένη, vid. Westerhou. ad Ter. Eun. I, 1, 6. – *vestita*, tunicata. Lascive et petulanter addit: *si me ulterius provexerit ira*, *furor*, θυμός, aestus amoris, conf. Horat. Carm. I, 13, 9, coll. huius eleg. vs. 42. – 21. *inclinatae mammae*, resolutae, flaccidae, pendulae. Vid. Mitscherlich. ad Horat. Epod. VIII, 7. Contra Stat. Silv. I, 2, 271. *stantia pectora*, id est papillae stantes, instar virginearum. Vid. Barth. ad Stat. l. c. – *ludere*, Gr. παίζειν, ἀφροδισιάζειν, in re venerea. Vid. ad II, 6, 3; Heins. ad Ovid. Heroidd, XVII, 6; Amor. I, 8, 43. – *viderit*, illius haec cura sit, quam etc. hunc lusum illa fugiat, *quam* peperisse pudet. De hoc verbi *viderit* usu, conf. Heins. ad Ovid. Pont. I, 2, 9; Gronov. ad Senec. de provid. cap. 3; Burm. ad Petron. cap. 61, 87: *αὐτὸς ἂν εἰδείη* Lucian. Dial. Iovis et Ganym. pag. 205. Tangit autem h. l. puellas, quae matres fieri aversabantur, ne formae iacturam facerent. Similis locus Stat. Silv. I, 2, 269.

23–28. Compara Tibull. I, 1, 69 seqq.; Prop, I, 19, 25 seqq.; Horat. Carm. I, 13, 17 seqq. – *fata*, sunt Parcae, quas ita dictas fuisse docent Barth. ad Stat. Silv. V, 259; Theb. VIII, 26; Munker ad Fulg. Myth. I, 7; Oudend. ad Lucan. VII, 676. — *oculos satiemus*, vid. ad v. 11, pascamus oculos pro ludamus vers. 21. – *nox longa*. Ovid. Heroidd. XIV, 74, *nox perennis*. Catull. V, 6, *nox perpetua*. Horat. Carm. III, 11, 38, *longus somnus*, id est mors. – *vincire catena vellent*, nempe fata, Parcae. Exquisita imago! Conditio enim cu-

Exemplo iunctae tibi sint in amore columbae,
  Masculus et totum femina coniugium.
Errat, qui finem vesani quaerit amoris;
  Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
  Et citius nigros Sol agitabit equos:
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
  Aridus et sicco gurgite piscis erit:
Quam possim nostros alio transferre calores.
  Huius ero vivus, mortuus huius ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes

iusque, bona et mala, omnia quae cuique in vita contingunt, corporis et animi dotes, vel divinitus vel a Parcis dispensari credebantur, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 16, 37, et *Parcae*, *fata*, dicuntur *regere homines*, *orbem* etc. Vid. Iuvenal. Sat. IX, 32; Manil. IV, 13. Caeterum similis locus Tibull. IV, 5, 15 seqq.: *Sed potius valida teneamur uterque catena, Nulla queat posthac quam soluisse dies.* – 28. *totum coniugium*, quia unus columbus una columba contentus est, neque vaga Venere utitur. Columbas autem non tantum propterea commemorasse videtur lascivus poëta, quod in laude earum est castitas, sed respexisse quoque videtur columbarum oscula, unde *columbari*, *columbatim osculari* de dulcissimo osculorum genere. Martial. XII, 66, 7: *Amplexa collum, basioque tam longo Blandita, quam sunt nuptiae columbarum.*

29–36. In vero amore non est modus, non sunt certi fines. Similis sententia apud Xenoph. Ephes. L. V, pag. 65: *καὶ νῦν ἀληθῶς μεμάθηκα, ὅτι ἔρως ἀληθινὸς ὅρον ἡλικίας οὐκ ἔχει* ubi *ἡλικίαν*, duplici accusativo, *nunc certe didici, verum amorem terminum non habere vitae*, hoc est ultra mortem perdurare, corrigit, notante Burmanno, Hemsterhus. in Obss. Miscell. Vol. VI, T. II, pag. 339. – *falso partu*, intelligi debet de editis pro semente diversis et dissimilibus rebus, quae per naturae leges e semine, quod terra excepit, provenire non possunt. Conf. Virgil. Ecl. V, 38. Add. Nemesian. I, 75 seqq. – *deludet*, eorum spem fallet, Tibull. II, 1, 19. – *nigros equos*, Solis equi, *albi* et *nivei* Ovid. Am. II, 1, 24; contra Noctis, *nigri* Tibull. III, 4, 17; II, 1, 87. Sensus ergo: Sol prius et Nox equos suos inter se commutabunt. – 33. ἀδύνατον poëtis frequens. Vid. Ovid. Am. II, 1, 26; Prop. III, 19, 6; Virg. Ecl. I, 61. – *caput*, id est fons, ut Horat. Carm. I, 1, 22. – *incipient revocare*, pro revocabunt, e graecismo, ut III, 4, 15; II, 19, 19. – *transferre calores*, I, 12, 17 *mutare calores*, dominam mutare, aliam amare. – *mortuus*, conf. I, 19, 11 seq.

37–46. *concedere*, *dare noctes*, pro copiam sui facere, ut Horat. Epod. XV, 13. – *vitae–erit*, vel annus lon-

Illa velit, vitae longus et annus erit.
Si dabit haec multas, fiam immortalis in illis.
Nocte una quivis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi multo membra iacere mero:
Non ferrum crudele, neque esset bellica navis,
Nec nostra Actiacum verreret ossa mare.
Nec toties propriis circum oppugnata triumphis,
Lassa foret crines solvere Roma suos.
Me certe merito poterunt laudare minores.
Laeserunt nullos pocula nostra deos.

gissimae vitae instar mihi erit, me satis vixisse arbitrabor. Conf. notata ad eleg. 14, 10. – *Qualem si cuncti* etc., fingit sibi Prop. rempublicam quandam ἀσώτων et voluptati indulgentium, eamque admiratur et laudat, quasi humano generi minus noxiam futuram, quam sobriorum quidem, sed ambitioni servientium. Passerat. – *decurrere vitam*, metaphora a stadio desumta, ut *spatium decurrere vitae* Ovid. Trist. III, 4, 33; *vitam modo Tristem decurrit* Phaedr. III, 20, sed *cuperent decurrere* dictum pro decurrerent. – 42. *pressi*, oppressi, onerati, Virg. Aen. IX, 336: *multoque iacebat Membra deo victus.* – 44 seqq. Sententia exquisita arte et elegiae convenienter ad miserationem movendam elaborata est: neque cum populis exteris bella gererentur, neque bella civilia agitarentur. Memoratur proelium navale, quo Augustus Cleopatram, Aegypti reginam, et Antonium apud Actium Epiri promontorium vicit, vid. ad IV, 6, 1, et ex h. l. colligere licet, hanc elegiam non diu post victoriam Actiacam scriptam esse. – *verreret ossa*, huc et illuc volveret ossa et corpora eorum, qui illo proelio occubuerunt. – *propriis*, civilibus *triumphis*, id est victoriis, nam ex bellis civilibus nullus triumphus victori decernebatur, etiamsi pars victa a senatu fuissent hostes populi romani declarati. – *lassa*, defatigata. – *crines solvere*, solutis, passis crinibus gentes subactae pompam triumphalem comitabantur, vid. Ovid. Trist. IV, 2, 43; A. A. I, 224. Itaque *Roma solvit crines propriis triumphis*, est, Roma in propria viscera saeviens, bellis civilibus in triumpho veluti circumducitur, non ipsa triumphat. Alii *oppugnata triumphis* iungunt. – *crines solvere*, lugentium more, instar matris filios amissos deplorantis et lugentis.

47 seq. *Me* voluptatibus indulgentem, nec deos laedentem. – *minores*, posteri, vid. Heins. ad Sil. Ital. XVI, 42. – *laeserunt nullos*, non laesi deos, ut mihi vindicta sit metuenda, sicuti bellorum civilium sceleribus dii laesi sunt, ut posteris vindicta sit metuenda. Nam bella civilia instar maximi sceleris habebantur, conf. Horat. Carm. I, 2, 17–29. Sed addit *pocula nostra*, hoc est

Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitae.
  Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
  Quae passim calathis strata natare vides:
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

comissationes, voluptates nostrae deos non laedunt nec laeserunt, quoniam antea vs. 41 seqq., vitam voluptariam, tanquam generi humano minus noxiam commendaverat cunctis. — Dorvill. in Miscell. Obss. vol. V, pag. 117 arbitratur tacite hic notari Antonii amores, eiusque praecipue vinolentiam, quae bellorum civilium fomes fuerit; hinc et Ciceronem *immania Antonii pocula* civilibus tumultibus causam dedisse profiteri, ac saepe in Philippicis ebrietatem Antonii exagitare, neque minus huius atque Cleopatrae *mentem Mareotico lymphatam* perstringere Horat. Carm. I, 37, 14. Ruhnkenius Augustum h. l. intelligendum esse existimat, et respici ad Gallum poëtam aequalem, cui exitio fuerint convicia in Augustum inter pocula iacta, Ovid. Trist. II, 445. Sed hae explicationes nimis contortae videntur.

49–54. *dum licet*, dum fata sinunt. — *fructum vitae*, Lebensgenuss, Lucret. III, 927: *Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque Pocula saepe, homines et inumbrant ora coronis: Ex animo ut dicant: Brevis est hic fructus homullis: Iam fuerit, neque post unquam revocare licebit.* Add. Catull. V, 1 seqq. – *Ac veluti*, comparat vitae humanae fragilitatem cum floribus et coronis brevi marcescentibus. Conf. Theocrit. Id. XXIII, 28; Rufini Epigr. Anthol. Gr. VIII, ep. 127 a Burm. laudatum, et Mimnermi versus apud Stobaeum in Florileg. Grotiano pag. 398. – *folia strata natare vides*, suavis imago[1] intelligit folia e capite, coronis solutis, flaccidis, in calices inter comissationes decidentia. – *calathus*, vas potorium, calix, ut apud Virgil. Ecl. V, 71, ubi vid. Servius. – *natare*, ut supra eleg. III, 12. – *magnum spiramus*, μεγαλοφρονοῦμεν, μέγα πνέομεν, vid. Casaub. ad Pers. Sat. IV, pag. 333; magnum, superba loquimur Tibull. II, 6, 11. – *fata*, vitam fatis datam. – *includet*, finiet, ut apud Sil. Ital. XIII, 685.

# ELEGIA XVI

## AD CYNTHIAM

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
  Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
  Ah, Neptune, tibi qualia dona darem!
Nunc sine me plena fiunt convivia mensa:
  Nunc sine me tota ianua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes,
  Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde, ubi consumto restabit munere pauper,
  Dic, alias iterum naviget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces, non curat honores:

Elegia XVI

Praetorem illum opulentum et divitem, iam eleg. 8 lib. I memoratum, nuper ex Illyria Romam reversum et a Cynthia receptum, devovet: Cynthiae levitatem, nimium formae cultum atque avaritiam exagitat.

1–14. *Praeda*, utpote bene ditatus. – *tibi*, quae solas pecunias spectas. – *cura*, dolor, causa doloris, ut Virg. Aen. IV, 332. – *vitam posuisse*, eleg. 13, 43, nonne potuisset naufragio perire? – *Cerauno* vid. ad I, 8, 19. – *dona darem*, voti compos factus, quae tibi dona, quam lautum tibi sacrificium ex voto offerrem. Compara Horat. Epod. X, 21 seqq. – *mensa plena*, dapibus affatim instructa. – *sine me*, me excluso. – 7. Sententia amaritudinis affatim habens. – *si sapis*, quoniam illum non ex animo, sed tantum lucri causa amas. – *messes*, lucri occasionem, fructum, Iuvenal. VII, 112. – *pecus* prop. de ovibus, ut h. l. Val. Fl. VI, 537: unde et apposite additur *stolidum* epith. ovibus proprium. – *carpe*, spolia, et nummis eum emunge, tonde eum, et ita carpe, ut nihil velleris supersit, ut nudus et pauper Illyriam repetere cogatur, qui modo bene ditatus inde rediit. Elegans hac in re verbi *carpere* usus, ut apud Ovid. A. A. I, 400: *invenit artem Foemina, qua cupidi carpat amantis opes.* Videtur praeterea poëta in animo habuisse aureum vellus ab Iasone ablatum; saltem et apud Plaut. Bacchid. II, 3, 7 de sene locuplete emungendo legitur: *Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phryxi, itaque tondebo auro usque ad vivam cutem.* – 9. *consumto munere*, consumtis muneribus, quae rapax ille extorsit ex provincialibus. – 11. Cynthia in faciendo amatorum dilectu non

Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus o, succurre dolori,
Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem?
Iupiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
Et iubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romae nemo esset dives, et ipse
Straminea posset dux habitare casa.
Nunquam venales essent ad munus amicae,
Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
Candida tam foedo brachia fusa viro:

ambitiosa est, sed avara. — *sequitur*, iis delectatur, persequitur, curat *fasces* metonym. magistratus, consules et praetores, ut Iuvenal. Sat. V, 110; Horat. Epp. I, 16, 34. — *sinus*, togae, in quibus pecunia, sive marsupium e collo pendens condebatur, vid. Iuvenal. I, 88, ibique interpp. Ovid. Amor. I, 10, 18. — *Rumpat*, referendum ad praetorem; nimio libidinis usu corpus enervet, conficiat, frangat; sic *ilia rumpere* Catull. XI, 20.

15—22. *Ergo*, indignantis. — *mercatur*, mercari potest. — *Iupiter*, exclamatio admirationi inserviens, graece ὦ Ζεῦ. Vid. Horat. Sat. I, 2, 17. — *indigna*, improba, mala, vili, *merce*, intelliguntur munera ditiorum amatorum, Ovid. Heroidd. V, 143 seqq.: *Nec pretium stupri gemmas aurumve poposci, Turpiter ingenuum munera corpus emunt.* — *perit*, amat, perdite amat. Puella sese vendit muneribus. Inprimis vero Cynthia his verbis respicitur, de qua diserte vs. seqq. agunt. — 17. seqq. Vestes purpureas, Tyrio murice tinctas, et gemmas (commemorantur pro donis pretiosissimis quibusvis) dono sibi dari continuo Cynthia flagitat. Compara Tibull. II, 4, 27. — *mittit quaerere*, graeca syntaxis, multis exemplis illustrata ab Heinsio ad Ovid. Met. V, 660. — 19. seqq. E luxuria ortam esse puellarum avaritiam docet, hinc divitias detestatur et priscae vetustatis simplicitatem ac frugalitatem praedicat. — *dux*, Augustus, vid. II, 10, 4. — *straminea casa*, exemplo Romuli, vid. IV, 1, 6 seqq. Ovid. Am. II, 9, 18. — *posset habitare*, more Propertii, pro habitaret, ut I, 1, 15. Ovid. Am. II, 9, 17: *Roma nisi immensum vires promosset in orbem, Stramineis esset nunc quoque densa casis.* — *una*, eadem, ut eleg. 26, 30. *una domo*, uno eodemque viro, marito contenta; non fierent divortia.

23—28. Non tibi succenseo, non te detestor, quod a me seiuncta, per septem noctes amplexa es Praetorem illum, foedum virum; non quia adulterium commisisti, et fidem mihi da-

Non quia peccaris, testor te: sed quia vulgo
  Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
  Et subito felix nunc mea regna tenet.
Adspice quid donis Eriphyla invenit amaris,
  Arserit et quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros iniuria fletus?

tam violasti; sed quoniam *te tam formosam non pudet esse levem* el. 24, 18, quoniam formosarum puellarum more modo hunc modo illum amas eleg. 32, 41, et *sine me ianua* tua *tota nocte patet* supra vs. 6. Barthius explicat: sed quia vereor, ne plane me animo tuo eiicias vitio formosarum. Vulpius: sed universo generi formosarum succenseo, quae uno amatore non contentae, volunt se a pluribus coli et locupletari. – *testor*, pro detestor, vid. Lipsius Lect. Var. III, 7. – *brachia fusa*, habens brachia fusa et implicata Praetori, quem *barbarum* poëta dicit, id est rusticum, insulsum hominem; usus fortassis hoc vocabulo etiam propterea, quod Praetor ille ab Illyricis modo redierat terris. – *vestigia*, pro pedibus saepius; movet pedes in Veneris certamine; l. vestigia mea (e vers. seq.) persequitur, premit, iis insistit. — *regna mea*. Tibull. I, 9, 80: *Et geret in gremio regna superba tuo.*

29. 30. A donis capiendis, quae saepe foeminis exitium attulerint, exemplis allatis Cynthiam deterrere studet. – *Eryphila*, Amphiarai (vid. eleg. 34, 39) uxor, accepto aureo monili, maritum latentem prodidit, ita ut ipsi proficiscendum esset ad bellum Thebanum, quod recusarat, exploratum habens, bellum illud sibi fatale futurum. Amphiaraus terrae hiatu ad Thebas absorptus est, et Eriphyle ab Alcmaeone; patris sui necem ulciscente, occisa. Vid. Homer. Odys. Λ, 325 seq.; Pausan. X, pag. 870; Hygin. fab. 73; Apollod. III, 6, 2; Heyne pag. 607; Sophocl. El. 840, ibique Schol. Stat. Theb. II, 299 seqq.; IV, 187 seqq.; VII, 780. – *invenit*, pro invenerit, sed *invenire* eodem sensu capiendum, quo in illo Terent. Heaut. II, 1, 17: *Hoc ego mali non pridem inveni.* Tacit. Annal. I, 74: *perniciem aliis, ac postremum sibi invenere.* – *donis amaris*, funestis, exitiosis; eleganter ita dicuntur Eriphyles dona, quatenus illi dolorem acerbum et mortem funestam attulerunt. – *Creusa*, etiam Glauce dicta, Creontis, Corinthiorum regis filia, Iasoni nupsit; quod quum Medea prior illius uxor rescisset, Creusae pallam (Horat. Epod. V, 64; sec. alios etiam coronam) veneno infectam, dono misit, qua induta, Creusa et tota regia conflagravit. Vid. Seneca Med. Act. IV, 5; Hygin. fab. 25; Eurip. Med. 1159 seqq.; Plin. H. N. II, 105: hinc apposite noster, *quantis arserit malis*, id est doloribus, quanta sua et suorum pernicie.

31–36. Sortem suam deplorat, quod nulla iniuria, ab amica ipsi illata, eo redigi possit, ut illam contemnat, ab illa discedat. – *fletus*, pro doloribus, quos amor infelix procreat. Vid. eleg. 13, 51. – *sedabit fletus*, efficiet, ut Cynthiam contemnam, ab

An dolor hic vitiis nescit abesse suis?
Tot iam abiere dies, quum me nec cura theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Musa iuvat.
Ah! pudeat certe, pudeat; nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
Actia damnatis aequora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis

eaque discedam. – 32. Locus obscurus. An dolor meus *nescit abesse*, abire, separari non potest a *vitiis suis*, id est ab amore, qui mihi dolenti vitio, ignominiae est? – *Vitium*, de amore eleg. I, 65. An mihi perpetuo dolendum est? Posset et *dolor* positum esse pro causa doloris, id est puella ipsa, an perpetuo vitiis suis indulgebit? Santenius: Nullane Praetoris vel Cynthiae iniuria dissolvet amores eorum, atque adeo fletus meos sedabit? An hic dolor, amor infelix nescit abesse, id est abire, in melius mutari vitiis suis consuetis, iniuriis nempe et rixis amantium? Cui tamen explicationi orationis series non magnopere favet. – 33. *Tot iam abiere dies*, quum ex nulla re voluptatem cepi. – *tetigit – iuvat*, exempla plura huiusmodi temporum variationis collegerunt interpp. ad Virg. Aen. II, 12; Calpurn. III, 69; Wopkensius Lectt. Tullian. III, 7. – *campi*, nempe Martii, prope Tiberim, ubi iuventus romana vario ludorum genere exercebatur, vid. Horat. Carm. I, 8, 3 seqq., ibique interpp. – 35. Pudore saltem ab hoc turpi dolore et amore revocari debebam. – *quod aiunt*, indicat haec locutio laudari proverbium, ut apud Cic. de Amic. cap. 5; Philipp. III, 8; in Pison. 28. – *Turpis – solet*, turpiter amantes nolunt audire monentes. Menander in Stobaei Florileg. pag. 265 Grot. φύσει γὰρ ἔς' Ἔρως τοῦ νουθετοῦντος κωφόν.

37–42. At magni duces turpi ipsisque exitioso amori succubuerunt; itaque non mirandum, me ab infami Cynthiae amore non posse liberari. Antonii exemplum hanc in rem affert, et se ipsum alloquitur. – *fremitu inani* IV, 6, 47, cuius *classis centenis remigavit alis* etc. — *Actia*, vid. eleg. 15, 44. *fremitu militibus*, complevit, subint. *cum;* duo ablativi coniuncti, ut saepius. Vid. Cortius ad Sallust. Catil. 45, Burm. ad Lucan. IX, 927; ad Suet. Tib. 62. – *damnatis*, quos senatus cum duce Antonio hostes iudicaverat; vel omnino sceleratis, ut IV, 7, 38. – 39. *dare terga iussit*, Antonius Cleopatram, cuius amore insaniebat, e pugna Actiaca fugientem, oblitus omnium, secutus est. – *infamis amor*, vel eam ob causam dicitur, quoniam Romae mulieris peregrinae amor infamis erat, adeoque Antonio infamiam conflabat Cleopatra. – *extremo orbe*, intelligitur Aegyptus. *Extremos* enim vel *ultimos* populos vocabant veteres, si ulteriores nulli ad eam coeli plagam innotuerant. Sed Romani *ultimos*, scilicet *extremos* populos vocabant etiam eos, qui inter ultimos imperii

Iussit, et extremo quaerere in orbe fugam.
Caesaris haec virtus, et gloria Caesaris haec est:
Illa qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascunque tibi vestes, quoscunque smaragdos,
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos;
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas.
Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua.
Non semper placidus periuros ridet amantes
Iupiter, et surda negligit aure preces.
Vidistin' toto sonitus percurrere coelo?
Fulminaque aetherea desiluisse domo?
Non haec Pleiades faciunt, neque aquosus Orion,
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.

Romani essent, et ad imperii fines pertinerent. Vid. Manutius ad Cic. ad Div. I, 9, pag. 119, ed. Richt. Graevius ad Cic. Manil. 16; Cortius ad Sallust. B. C. 16, et Doering. ad Catull. XI, 2. – *fuga*, pro perfugio. – 42. Eadem manu et bellum et pacem confecit. – *condidit arma*, eleganter pro pacem confecit, ut apud Calpurn. I, 59: *insanos clementia condidit enses.* Similiter Ovid. Am. I, 2 extr.: *Adspice cognati felicia Caesaris arma, Qua vincit, victos protegit ille, manu.*

43–50. Ad Cynthiam redit, atque dona a Praetore ei data devovet. – *quae–aqua*, quae irrita vovebant veteres, ea in cinerem, pulverem, aquam verti optabant. Homer. Il. H, 99: Ἀλλ' ὑμεῖς καὶ πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε. Ovid. Am. III, 8, 66: *O si neglecti quisquam deus ultor amantis Tam male quaesitas pulvere mutet opes!* Tibull. I, 10, 11: *Muneribus meus est captus puer; at deus illa In cinerem et liquidas munera vertat aquas;* ubi Heynius recte monet, non esse argutandum, quasi sit ex chemia petitum, ut sit, in elementa sua redigat. – 47. Perfidiae poenam comminatur poëta puellae. Non semper *periuria ridet*, negligit, non curat, *amantum Iupiter, et ventos irrita ferre iubet* Tibull. III, 6, 49; sed movetur etiam periuriis, et ea vindicat. Iam quo fortius feriret Cynthiae animum, tonitrua audita ait esse certa signa et indicia irae Iovis; ea vindictam minitantia. — *Vidistin'*, verba sensuum inter se permutantur, v. c. κτύπον δέδορκα Aeschyl. S. c. Theb. 103, sed et verbum unum duabus vel pluribus enuntiationibus paullo diversis iungitur, e quo aliud alteri membro conveniens elici debet. Aeschyl. Prom. 21: ἵν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτῶν ὄψει. Haec posterior ratio h. l. valet.

51–56. Neque *Pleiades*, vid. I, 8, 10, neque Orion. II, 26, 56 illam tempestatem concitarunt. – *aquosus*, ut Virgil. Aen. IV, 52. *nimbosus* Aen. I, 535. – *de nihilo*, temere, levem ob causam, sed consulto eleg. 34, 54.

Periuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit et ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Vt timeas, quoties nubilus Auster erit.

## ELEGIA XVII

### DE EXCLVSIONE

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Explevi noctes fractus utroque toro!

– *fulminis ira*, est fulmen Iovis irati. *Iratum Iovis ignem* dixit Iuvenal. XIII, 226, quatenus Iupiter ipse iratus, et scelerum vindex, fulmina iaculatur. Etiam Aeschyl. Prom. 433 fulmen ἔριν Διὸς vocavit. – *flevit*, doluit, vid. eleg. 13, 51. – *Sidonia vestis*, pro Tyria, purpurea, ut Virg. Aen. IV, 137. Sensum loci bene perspexit Burm.; intelligit, inquit, Propertius vestes Tyrias a Praetore Cynthiae donatas, quas tanti non esse ait, ut Iovis irati fulmina sibi imminere timeat, quotiescumque coelum nubibus contractum procellas minatur. – *nubilus Auster erit*, Auster nubes agens flabit.

ELEGIA XVII

Puellae fallaciam deflet, nihil infelicius amatore esse queritur, se tamen Cynthiae fidem servaturum affirmat. Rivalis Propertii Praetor ille fuisse videtur, de quo eleg. 16 agit, diversum tamen scriptionis tempus declarant vs. 12, et el. praec. vs. 23.

1–4. *Mentiri noctem*, promittere noctem; nec tamen stare promissis. – *ducere*, eleganter dicitur de puellis, quae falsa spe amatores lactant, vid. Burm. ad Ov. Met. VII, 301; Heins. ad lib. VIII, 123, ita quoque διάγειν legitur, vid. Arnald. Animadvv. crit. cap. 31., pag. 179. – *hoc erit*, est instar homicidii, est scelus gravissimum. – *horum – vates*, haec ego vera esse docere possum: quae enim non perpessus sum propter periuria tua! – *vates*, doctor, interpres. Plin. H. N. XI, 37: *Herophilus medicinae vates.* Valer. Max. VIII, 12, 1: *Scaevola legum vates.* – *desertus*, proditus ab amica, solus. – *amaras explevi noctes*, totas insomnes transegi. Vid. ad I, 1, 33. Per *utrumque torum*, intelligitur utraque tori pars, scilicet sponda interior et exterior. Ovid. Am. I, 14, 32: *Cur pressus prior est, interiorque torus?* Add. Prop. IV, 3, 31. – *fractus*, nam qui somno frui non potest, membra huc et illuc versat. Ovid. Am. I, 2, 4: *Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi;*

Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
  Vt liquor arenti fallat ab ore sitim:
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
  Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est, quod vivat, amante,
  Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem, invidia admirante, ferebant,
  Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc iacere e duro corpus iuvat, impia, saxo,
  Sumere et in nostras tetra venena manus.
Nunc licet in triviis sicca requiescere luna,
  Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
  Tum flebit, quum in me senserit esse fidem.

*Lassaque versati corporis ossa dolent?*

5–10. Amantium miserias exaggerat, easque comparat cum cruciatibus Tantali, vid. ad II, 1, 64 ac Sisyphi. Vel tu videas et miserearis sortem Tantali ac Sisyphi, longe tamen miseratione dignior, longe durior est sors amantis. – *Tantalea* referendum ad *sorte* et *flumina*, hoc sensu, licet Tantali ad flumina positi sortem miserearis. – *moveare*, cum admiratione et stupore spectes, ac miseratione, paullo post *admirere*, Gr. ἐξίςασθαι. – *fallat*, pro fugiens fallat. – *Sisyphus*, rex Corinthi, astutia et latrociniis insignis, apud inferos saxum ingens continuo provolvit, quod semper deinde deorsum relabitur. Locus classicus apud Homer. Odys. Λ, 592 seqq. Add. Ovid. Met. IV, 465 seqq.; Apollod. I, 9; Hygin. fab. 60. – *volutet*, pro volutetur, ut I, 16, 27. – *durius*, duriore conditione et asperiore. – *amante*, qui similis est Tantalo videndo et abstinendo, Sisypho propter vanos labores et preces irritas.

11–18. Ego, qui prius in amore felix dicebar, etiam ab invidis, felicitatem meam admirantibus. – *Invidia*, eleganter tanquam persona proponitur; ea ipsa Propertii felicitatem admirabatur. – *admirari*, obstupere cum indignatione quadam et invidia ad alicuius felicitatem, vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 456 eodem sensu θαυμάζειν usurpatur, vid. Casaub. ad Theophrast. Char. p. 153. – 13. Dolore oppressus et ad desperationem adductus significat, satius esse sibimet mortem consciscere aut praecipitio aut veneno, quam vivere. – *impia*, apposite, coll. v. 2, alloquitur Cynthiam. – *tetra*, mortifera, ut el. 24, 27, ῥαιςήρια φάρμακα Apollon. III, 789. – *licet* (cogor, me oportet) *sollicitas trivio pervigilare moras* I, 16, 40, 27 seqq. – *sicca luna*, decrescentem lunam, sitientem vocat Plin. XVII, 9; nam πίνει τὸν ἥλιον σελήνη Anacr. XIX, 5. *Interluniorum* autem *dies tempestatibus plenos et navigantibus quam maxime metuendos*,

# ELEGIA XVIII

## AD CYNTHIAM

Assiduae multis odium peperere querelae.
  Frangitur in tacito femina saepe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato:
  Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quid mea si canis aetas candesceret annis?

*non solum peritiae ratio, sed etiam vulgi usus intelligit*, Veget. IV, 40. – *flebit*, tunc misericordia commovebitur, quum videbit, me quamvis indignis modis acceptum, ab illa tamen non discedere, neque aliam quaerere. Vulp.

Elegia XVIII

Poëta simultates cum Cynthia gerens affirmat, se huius puellae perfidiam et asperitatem nimis diu, patienter et sine querelis pertulisse; neque tamen hac fide ac patientia sua illius animum flectere potuisse. Acerbe satis, et quo acrius Cynthiam pungat ac mordeat, se iuvenem cum Tithono, decrepito sene, illam maturiorem annis cum Aurora comparat, futurae senectutis admonet, eique Cupidinis iram minatur. Inde a vs. 23, si modo eiusdem elegiae sunt, puellam de nimio formae cultu graviter reprehendit, atque secessum intra domesticos parietes et castitatem ei commendat.

1–6. Amatoribus multis, querelae de puellarum perfidia et asperitate, odium earundem peperere; amatoris patientia saepius dura puella vincitur. – 3 seqq. Tibull. I, 2, 37: *Si quis et imprudens adspexerit, occulat ille, Perque deos omnes se meminisse neget.* Ovid. A. A. II, 521: *Dicta erit isse foras, quam tu fortasse videbis: Isse foras, et te falsa videre, puta.* – 5–20. Sensum vulgo hunc in modum constituunt: Debet amator dissimulare et tacere, sed ego hanc legem vix ac ne vix quidem observare amplius potero, provocatus nequitia et perfidia Cynthiae, cuius contemtus miustissimus est, quae me spernit perinde ac si senio confectus essem, quum tamen verus amor nec senem amatorem fastidiat, sicuti nec Aurora Tithonum senem fastidivit. Mihi vero verborum sententiarumque cohaerentia haec esse videtur: Dissimula, perfer et obdura, hoc in amore iuvat. Ergone perpetuo mihi dissimulandum? Quid si in fide persistens et iniurias omnes patienter perferens canescerem, num tunc fracta me amabit? Aurora certe Tithonum senem amavit. At Cynthia iniusta me odit iuvenem, multo minus ergo amabit senem, neutiquam illa dissimulatione et patientia flectetur, nec adeo legem illam ego amplius observare possum. – *candesceret canis*, senectute ego candescerem. Tibull. I, 10, 43: *Sic ego sim, liceatque caput candescere*

Et faceret scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa iacere domo est.
Illum saepe suis decedens fovit in ulnis,
Quam prius abiunctos sedula lavit equos.
Illum ad vicinos quum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos currum conscendens dixit iniquos:
Invitum et terris praestitit officium:
Cui maiora senis Tithoni gaudia vivi,
Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canae toties oscula ferre comae.
At tu etiam iuvenem odisti me perfida, quum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.

*canis.* Conf. Obss. – 6. *faceret scissas*, pro scinderet. Sic *nudum facere* pro nudare Prop. III, 8, 8. Vid. Cannegieter ad Avian. fab. 23, 2. – *languida*, effoeta, propter senectutem languidam.

7–10. *Tithonus*, Laomedontis filius, Aurorae maritus, quae ei a Iove immortalitatem impetravit, sed coniunctam cum omnibus molestiis, quibus senectus obnoxia esse solet, quippe quod oblita erat perpetuam ei quoque a Iove petere iuventam. Conf. Hom. h. in Ven. 219 seqq., Schol. ad Il. Λ, 1; Schol. Lycophr. 18; Apollod. III, 12, 4; Horat. Carm. I, 28, 8, ibique Mitscherlich. *Tithoni senectam* pro Tithonum senem. – *desertum*, solum, in lecto viduo, caelibe. Vid. eleg. 17, 3. – *Eoa domo*, in regia sua, in extremo oriente. – 9. *decedens*, statione coeli, verbum de Sole, Luna, et astris proprium. Virgil. Georg. I, 450 de sole: *emensus quum iam decedat Olympo.* – 10. *Quam prius*, pro priusquam, ut Ovid. Trist. IV, 9, 31: *hoc quoque quam volui plus est*, pro plus quam. Add. Tibull. I, 3, 9, ubi vid. Broukhus. – *abiunctos*, iugo solutos, abiugatos, post laborem peractum. Virg. Georg. III, 518. Gr. ἀποζεῦξαι. Compara Callim. Lav. Pall. vs. 5 seqq. – *lavit*, Tibull. II, 5, 60.

11–22. *vicinos Indos*, nempe orientales, ut apud Tibull. IV, 2, 20. *Indus* dicitur *proximus Eois equis*, id est Soli orienti, adeoque plagis Orientis remotissimis. – *questa est* citius redire dies, quam vellet. – *iniquos deos*, utpote ab iis surgere coacta a voluptate sua ad laborem. Compara Ovid. Met. II, 385; Homer. Odys. E, 118. – 15. E vivo Tithono, quamvis decrepito, plus voluptatis capiebat, quam moeroris ex Memnone filio ab Achille occiso. De Memnone vid. ad I, 6, 4; Heynii Exc. XIX ad Virg. Aen. I. – *canae comae*, id est cano capiti, sic *coma*,

**Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido**
**Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.**
**Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,**
**Ludis et externo tincta nitore caput.**
Vt natura dedit, sic omnis recta figura.
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
Quae mentita suas vertit inepta comas.
De me, mi certe poteris formosa videri;
Mi formosa sat es, si modo saepe venis.

pro capite Ovid. Fast. II, 845; Heroidd. XX, 20. – *die haud longa*, brevi tempore. – *anus curva*, Cynthia iam matura aetate fuisse, et plures annos poëta nostro habuisse videtur, vid. Prop. Vit. Chronol. ad a. DCCXXIII: praeterea frequens est poëtis, ut puellas superbas futurae senectutis admonerent: unde et h. l. Propertius Cynthiae iratus, imminet, inquit, tibi haud longa die senium et formae dispendium. – 21. At lenit animum et minuit curas meas, quod Cupido illi malus esse solet, cui bonus, propitius ante fuit, Cynthia superba vicissim fastidietur, mihi Cupido benignus erit.

23–32. Cynthia more delicatiorum illius aetatis puellarum comas tingere solebat, sed poëta puellae iratus, hoc potissimum loco, hunc comae cultum commemoravit, ut simul tecte significaret, Cynthiam his artibus ac medicamentis vergentem aetatem dissimulare velle. Nova tamen inde ab hoc versu elegia sequi videtur. De more vett. tingendi et inficiendi capillos vid. Harduin. ad Plin. XXVIII, 51; Vossius ad Melam, pag. 249, 250, ad Catull. pag. 142. – *infectos*, ad glastum, quo totum corpus inficiebatur, respicere h. l. Propertium censet Bronkhus. Caes. B. G. V, 14: *omnes se Britanni glasto inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horribiliores sunt in pugna adspectu.* Add. Plin. H. N. XXII, 1: sed de sapone Belgico, quo rutilabant capillos, cogitandum esse acute animadvertit Dorvill. Obss. Miscell. vol. V, p. 125 sqq.; coll. Plin. XXVIII, 51, et Britanni pro Batavis commemorantur, quum saepius Britanni et Belgae promiscue ponantur propter originem, vid. Caesar. B. G. V, 12, unde mox vs. 26 sequitur *Belgicus color.* – *Ludere*, et h. l. verbum nequitiae; libidini indulgere. – 25. *recta*, prop. apta forma et figura, ut Catull. LXXXVII, 2, unde omnino formosa, pulchra h. l. nativa forma cuique pulchra. – 28. Quae vertit comas, suas mentita, id est quae mutat colorem capillorum, et mentitur esse eorundem colorem nativum ac proprium. – *Vertere*, hoc est mutare, Horat. Carm. I, 35, 4: *vel superbos Vertere funeribus triumphos.* Sic et Senec. de Ira I, 1, *colorem versum* inter indicia irascentium ponit. – 29. *De me*, quod me attinet, ut eleg. 32, 21, hanc tingendi capilli curam potes deponere, et poteris formosa videri, atque mihi es, si etc.

An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?
Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus:
Frater ego, et tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famae,
Et terram rumor transilit, et maria.

*venis*, vid. ad II, 14, 20. – *tempora*, caput, comas. – *bona*, id est pulchra, Horat. Carm. IV, 1, 4; Ovid. Am. III, 2, 27. Contra *malum* pro deformi, Plaut. Bacchid. V, 2, 42.

33-38. Non suo loco hi versus positi videntur; sed aeque male a Scaligero v. 33 seq., post v. 20 collocati sunt, nec accurate satis hi ultimi carminis versus inter se cohaerent. — *frater-filius*, nomina, sub quibus amores suos occultare solebant foeminae, vid. supra eleg. 6. Lips. Var. Lect. II, 1; Davis. ad Minuc. Fel. 9. – *lectus*, thalamus, conclave in quo lectus est, graec. θάλαμος, λέχος. Ego te non custodiam, sola per te casta esto; commendat Cynthiae secessum intra privatos parietes. – *ornata fronte*, tincta caput, gemmis ornata, vs. 24; I, 2, 21, 3. – *sedere* in thalamo, ex more mulierum. *sedere* cum dilectu, de castis enim et pudicis matronis proprie hoc verbum ponitur; vid. Burm. ad Ovid. Heroidd. XVII, 16. – 37. Credam ego famae de te narranti, propterea noli committere, noli peccare, nam nihil tacetur. Vulp. Alii post *ego* interpungunt: credam famae garrulae, quae omnia a te, veluti auribus fidelibus commissa, evulgabit, et aliis arcana tua non tacebit.

# ELEGIA XIX

## AD CYNTHIAM

Etsi, me invito, discedis, Cynthia, Roma,
Laetor, quod sine me devia rura colis.
Nullus erit castis iuvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatae somnus amarus erit.
Sola eris, et solos spectabis, Cynthia, montes,
Et pecus, et fines pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,
Fanaque peccatis plurima causa tuis.

ELEGIA XIX

Ad Cynthiam rus euntem. Etsi, inquit Propertius, me invito, urbe relicta sine me in agrum secedis, et mihi tua consuetudine per aliquod tempus carendum est; tamen consilium tuum laudo et probo. Etenim in agris sola eris, nec facile quisquam te ibi corrumpet, ac tuae pudicitiae insidiabitur. Veniam brevi et ipse, tibique socius venationis ero. Sis interim mei memor, sicut et ego tui ero. Tersissimis Propertii carminibus haec elegia annumeranda. Compara Tibull. IV, 3.

1-8. *me invito*, tristi, quod sine me migras in agros, quod mihi aliquamdiu tua consuetudine carendum est. — *devia*, cum dilectu, a via frequenti, turba hominum, atque adeo etiam iuvenum corruptorum remota. — *castis in agris*. Virg. Georg. II, 524 de agricolis: *Casta pudicitiam servat domus*. — *probam*, castam, mihique fidelem; vid. Burman. ad Ovid. Trist. I, 6, 19. — *Nulla neque*, duae negationes graeco more coniunctae, ut Virg. Ecl. V, 25. Vid. Heyne Obss. ad Tibull. IV, 1, 164. — *orietur rixa*, ante aedes tuas non tumultuabuntur noctu iuvenes, intromitti cupientes, non pulsabunt fenestrarum tuarum valvas, nec nomen tuum clamando et saepius iterando somnum tuum turbabunt. Conf. Horat. carm. I, 25, 1; Prop. I, 16; Ovid. A. A. III, 71: *Nec tua nocturna frangetur ianua rixa: Sparsa nec invenies limina mane rosa*. — 6. *somnus amarus*, interruptus et turbatus. — *solos*, solitarios ac desertos, vid. Drakenb. et Ruperti ad Sil. Ital. III, 429.

9-14. *ludi*, el. 22, 4. Ovid. A. A. I, 89 seq.: *Sed tu praecipue curvis venare theatris: Haec loca sunt voto fertiliora tuo. Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae; Ille locus casti damna pudoris habet*. — 10. *fanaque*, quae tibi stupri occasionem saepissi-

Illic assidue tauros spectabis arantes,
  Et vitem docta ponere falce comas.
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
  Hoedus ubi agrestes corruet ante focos.
Protinus et nuda choreas imitabere sura,
  Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor, iam nunc me sacra Dianae
  Suscipere, et Veneri ponere vota iuvat.
Incipiam captare feras, et reddere pennis

me obtulerunt. Intelligit Isidis et Bonae Deae templa, quae saepe etiam Veneris sacraria erant, vid. Ovid. A. A. III, 633 sq. et interp. ad Ovid. A. A. I, 77. – *docta falce*, poëtice pro putatoris docti et periti falce; sic *docta bipennis* Valer. Fl. I, 122, ubi vid. Burmann. – *comas*, voc. poëtis de frondibus arboris, vitis solemne, Virg. Aen. VII, 60; XII, 209; Horat. Od. I, 25, 5. – *rara*, quia sacellum *incultum* minus frequentabatur. – 14. *Hoedus-focos*, Broukhus. Fontinalia sacra XIII octobr. celebrari solita Horat. od. III, 13, 3 hoc loco significari censet. Rectius fortassis Burm. Dionysia agrestia intelligit, quae confecta vindemia rustici faciebant, in quibus caper Baccho immolabatur; vid. Serv. ad Virgil. Georg. II, 381, et chori ducebantur, Tibull. II, 1, 51 seqq., atque haec incidebant in illam aestatis partem, qua Cynthia rusticari volebat.

15–18. *choreas imitabere*, nempe puellarum agrestium choreas, quas visas protinus Cynthiam imitaturam, et cum illis ipsis puellis saltaturam esse, his verbis declarat. – *nuda sura*, non pede nudo, sed cothurno ad summam suram inducto, habitu Nympharum et Dianae, vid. Passerat. ad Catull. LXIV, 129. – *externo viro*, rivali, *externo amore* I, 3, 44. Cynthiam urbanis voluptatibus adsuetam, agricolarum ludis et oblectationibus corrumpi non posse, poëtae persuasissimum est, sed metuit rivalem Romanum illuc quoque se conferentem. – 17. Tecum vitae rusticae gaudiis fruar, tecum amori indulgebo. Hanc sententiam exquisita ratione exornavit poëta. E vitae rusticae oblectamentis venationem commemorat. – *sacra suscipere*, idem quod *vota suscipere* apud Martial. VIII, 4, 2; Liv. XXVII, 45, id est vovebo ac pollicebor ei victimas, capita et cornua cervorum, quae ex voto Dianae suspendam. Notionem simplicem hanc: tecum amori indulgebo, ornate expressit verbis his: *et Veneri ponere*, solvere *vota iuvat*, id est et Veneri mihi propitiae vota victima cadet.

19–22. *Incipiam captare*, pro simpl. *captabo*, *reddam*, *monebo*, vid. II, 15, 33. Vulgo legitur *reddere pinu Cornua*. Explicant: suspendere cornua caesorum ex arbore, cornua pinui affigere. De quo more venatorum exuvias ferarum arboribus affigendi vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Dian. 105, pag. 248; Wesseling. ad Diod. Sic. IV, 22, pag. 268; Schol. ad Aristoph. Plut. vs. 944: ἔθος ἦν τοὺς

Cornua, et audaces ipse monere canes.
* Non tamen, ut vastos ausim tentare leones,
Aut celer agrestes cominus ire sues.
Haec igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere, et stricto figere avem calamo:
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, et niveos abluit unda boves.
Tu, quoties aliquid conabere, vita, memento

θηρῶντάς τινα ἄγραν μέρος τι τοῦ θηρωμένου, κεφαλὴν ἢ πόδα, προσηλοῦν πασσάλῳ ἐπί τινος δένδρου εἰς αὐτὴν τὴν ὕλην, πρὸς τιμὴν τῆς Αρτέμιδος. Sed sacra Dianae iam antea commemorata sunt, desideratur aliquid, quod ad venationem ipsam pertineat. Vera lectio *reddere pennis Cornua*, vid. Obss. Scilicet *penna* frequenter ponitur pro sagitta, pennis enim sagittae instruebantur. Sic legitur apud Ovid. Fast. II, 110; Val. Fl. VI, 421; Sil. Ital. XV, 630. H. l. *cornu* metaphorice usurpatur de omni extremitate et eminentia, sive prominentia, maxime cornuum figuram referente; dicitur ita *arcus* Ovid. Met. V, 383: *flexile cornu curvare*, id est arcum tendere. Idem Met. I, 455: *Viderat adducto flectentem cornua*, extremitates ambas arcus *nervo*. Sic h. l. sagittae hamatae, Prop. II, 12, 9; hami ὄγκοι Hom. Il. Δ, 151, 213; spiculi vocantur *cornua*, ut adeo sensus sit: sagittas hamatas obtusas reparabo. – *monere*, instigare, hortari. Ovid. Heroidd. IV, 42; Met. X, 537. Gr. ἀνακαλεῖσθαι κύνας Xen. Cyr. I, 6, 19. – *vastos*, epith. proprium de feris maioribus et ingentibus. – *leones* et *sues agrestes*, pro feris trucibus in genere commemoravit. Vid. Dorvill. Obss. Misc. vol. V, T. I, pag. 126. – *tentare*, lacessere, aggredi; sed *tentare*, exquisite positum, quum de arduo ac difficili conatu solemne sit, vid. Nemes. Cyneg. vs. 62; Horat. Carm. I, 28, 5; Epist. I, 17, 34. – *celer cominus ire*, alacer in cominus eundo, et venabulo confodiendo apro. Graeca constructio.

23–28. *Excipere*, verbum venatorium, Martial. XIV, 30. Vid. Burm. ad Val. Fl. VI, 422. Gr. δέχεσθαι, vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XIII, 135, et Burm. ad Phaedr. I, 11, 6. – *stricto*, destricto et emisso *calamo*, sagitta, traiicere, configere, confodere. – 25. *Clitumnus*, deinde et fluvius Vmbriae Cisapenninae, ubi iuxta urbem Mevaniam Tiniae se miscuit, cum eo ad Tiberim conscendit; huic flumini ea vis inesse putabatur, ut armenta candida redderet, vid. Plin. Epp. VIII, 8; Stat. Silv. I, 4, 128; Sil. Ital. IV, 547; Virg. Georg. II, 145, ibique Heyne. Servius ad Virg. loco citato: *Clitumnus fluvius, — cuius aquas animalia quae potaverint, albos foetus creant.* Videtur ergo Cynthia in patria Propertii rusticata fuisse. – *qua*, ubi. – *integit*, opacat arborum umbra. – *formosa*, liquida, sic de Tiberi Virg. Aen. VIII, 75: *pulcherrimus exit.* Eurip. Hec. 455, κάλλιστα ὕδατα. – 27. Poëta timidus ac suspiciosus addit: *quoties aliquid conabere*, id est aliquid in me peccare medita-

Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec solae poterunt avertere sylvae,
Nec vaga muscosis flumina fusa iugis:
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse velit.

*beris*, coll. vs. 16. Hoc sensu verbum *conari* h. l. simpliciter positum, capiendum est; idem verbum etiam de aliis rebus absolute poni solet, vid. Barth. ad Stat. Theb. VI, 804. — *paucis luciferis*, intra paucos dies, ut Ovid. Fast. I, 46.

29–32. Se interea vicissim Cynthiae absentis memorem fore declarat; assidue, inquit, de te et tecum loquar, montes, silvas te resonare docebo; sed quoniam antea, ut erat timidus, vs. 16 dixerat: *omnia ab externo sint modo tuta viro*, coll. vs. 27: et hanc sententiam adnectit: omni studio impedire studebo, quo minus quisquam tibi nocere possit. — *Nomina tua*, addit, *mutabo*, amatores enim de amoribus suis loquentes, ut invidiam declinarent, vera amicarum nomina mutare fictis solebant, vid. Ovid. Heroidd. XVI, 241; Broukh. ad Tibull. IV, 3, 11; Burm. ad Lotich. III, 3, 1. Sensum bene expressit Waardenburgius: Interea flumina silvarumque solitudo non adeo de te securum me reddunt, quin equidem, quoties de te loquar, assidue et sedulo nomen tuum cum alio commutem, non tuo vero nomine utar, sed alio ficto, nam si nomen tuum, teque solam rusticari sciverint iuvenes, nemo eorum te non corrumpere tuaeque absentis fidei nocere cupiet. — *solae*, solitariae, eoque formidabiles. — *muscosis iugis*, cogitandum de limo viridi in superficie aquae concreto, ita, ut aqua tanquam iugo prematur. — *in assidua lingua*, in assiduis de te sermonibus. — *nemo ne*, duae negationes, ut supra vs. 5.

# ELEGIA XX

## AD CYNTHIAM

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
  Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
  Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela
  Attica Cecropiis obstrepit in foliis:

### Elegia XX

Miserat ad Propertium Cynthia pugillares, querelarum de eius perfidia plenos. Hac igitur elegia se de hoc falso crimine purgat, atque amicae perpetuum amorem spondet. Guyeto hoc carmen non poëtae nostri manu exaratum videbatur; temere; nec ipse rationes ullas addidit. Nihil plane discriminis inter hanc elegiam et reliquas, quod carminis indolem aut colores attinet, deprehendi potest; immo totum hoc carmen, mollissimum sane et suavissimum, genium Propertianum spirat. Caeterum haec elegia est una ex illis, quas poëta ante omnes reliquas, etiam libri primi, scripsit.

1–6. *Quid fles*, elegans initium ex miseratione et leni increpatione, animo puellae permulcendo aptissimum. – *Briseide*, ab Agamemnone Achilli erepta, eleg. 8, 35. – *Andromacha*, Hectoris uxore. Conf. Homer. Il. X, 477; Ω, 725; Ovid. Trist. I, 4, 29 seqq. Caeterum *gravius*, recte monente Barthio, lacrymarum multitudinem, *tristius* animi affectationem indicat. – *fatigas*, nempe querelis eos obtundis, enecas, vid. Drakenb. ad Sil. Ital. VI, 572. – 5. Iam mythicis quoque coloribus tristitiam Cynthiae poëta depingit. Tereus Thraciae rex Philomelam, coniugis suae Procnes sororem, vitiarat, et ne flagitium eloqui posset, linguam ei exsecuerat. Procne vero, re cognita, Ityn filium interfectum apposuit Tereo; qui quum deinde coniugem et sororem persequeretur, illa in hirundinem mutata est, haec in lusciniam, ipse in upupam. Vid. Gierig. ad Ovid. Met. VI, 412, et quos ibi laudavit. Add. Heyne ad Apollod. pag. 842, 787; Virgil. Ecl. VI, 80; Beck ad Aristoph. Av. 211. Itaque h. l. Philomela, Pandionis regis Atheniensium filia, vocatur *volucris funesta*, quoniam caedi Ityos occasionem dederat, et cum ea fata sua querente comparat Cynthiam, falsa crimina sui poëtae deplorantem. Cuius comparationis nobilissimae fundus apud Homer. Odys. T, 518 seqq.; Π, 216 seqq. Sed quoniam *nocturna querela* commemoratur, et *volucris Attica* dicitur, atque additur *Cecropiis*, id est Atticis (eleg. 33, 29) *obstrepit in foliis*, alii de noctua cogitarunt, male.

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrymas depluit e Sipylo.
Me licet aeratis adstringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaës condita membra domo:

et perperam. Soph. Trachin. 963: προὔκλαιον, ὀξύφωνος ὡς ἀηδών. Add. Electr. 147 seqq.; Virgil. Georg. IV, 514 seqq. de Philomela: *Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen Integrat, et moestis late loca questibus implet.*

7. 8. *Niobe*, Tantali filia, uxor Amphionis regis Thebarum, ob prolis multitudinem sese ipsi Latonae praestantiorem iactarat, quare sex filiis totidemque filiabus suis orbata, et iuxta Sipylum, Phrygiae urbem, in monte eiusdem nominis in saxum mutata est. Conf. Homer. Il. Ω, 603; Heyne ad Apollod. III, 5, 6, Ovid. Met. VI, 146; Hygin. fab. 9; Cic. Tusc. III, 26; Triclin. ad Soph. Elect. 153. — *tantum*, pro tam, tantopere, Cic. pro Rosc. Amer. 22: *qui tantum immanitate bestias vicerit.* Add. Ovid. Trist. I, 6, 1. — *sollicito e Sipylo*, hypallage, Niobe ipsa sollicita, *lacrymas depluit*, eleganter lacrymarum multitudinem pingit, pro flet. Senec. Agam. 375: *Stat nunc Sipyli vertice summo Flebile saxum, Et adhuc lacrymas marmora fundunt Antiqua novas.* Herc. Fur. 390: *Riget superba Tantalis luctu parens, Moestusque Phrygio manat in Sipylo lapis.* Add. Homer. Il. Ω, 617; Ovid. Met. VI, 312; Callim. hymn. in Apoll. 22; Ruhnken. Epist. cr. II, pag. 131. Pausan. in Attic. cap. 21 testatur, lapidem, procul et e longinquo eum adspicienti, mulieris moerentis ac lacrymantis figuram referre. Conf. et Soph. Antig. 823 seqq., et a Burm. laudatum Theodoridae Epigr. Anthol. Gr. IV, 9, 4.

9–12. Nihil a te divellere me potest; licet catenis velut alter Prometheus (II, 1, 69) vinctus, vel Danaës carceri inclusus essem, carcerem tamen et catenas tua causa perrumperem. — *Me–nodis*, conf. Hom. Odys. Λ, 204. — *Danaë*, a patre Acrisio, Argivorum rege, bene custodita, ut tuta esset ab adulterorum insidiis, a Iove in auream pluviam mutato compressa est. Danaën a patre inclusam in thalamo ferreo fuisse tradunt Ovid. Am. III, 4, 21; Pausan. Cor. II, 23; Lucian. Timon. tom. I, pag. 122; Apollod. II, 1, 4. Add. Paul. Silentiar. Anthol. Gr. VII, epigr. 29: in turri ahenea Horat. Carm. III, 16, 1; ubi vid. Mitscherlich, et Iacobs Animadvv. ad Anthol. Gr. tom. II, P. 1, pag. 333; Stat. Theb. I, 253, sed *murum aeratum* Prop. memorat II, 32, 58, quem *lapideum* dixit Hygin. fab. 63 intelligi debet domus, quam murus aeratus vel ferreus ambibat. Hunc murum etiam h. l. Prop. in mente habuit, id quod luculenter satis docet verbum *transiliam*, vs. 12, et vocabulum *domus* h. l. omnino carcerem indicat. Etenim *domus* de quovis domicilio et receptaculo, de quovis proprio ac destinato loco usurpatur. Sic Labyrinthus dicitur *domus* Virgil. Aen. VI, 27. Orcum *domos Ditis* vocat Id. IV, 269. δόμος de loculo Eurip. Suppl. 755. Itaque non placet Astii explicatio, qui *transilire* eo sensu capit, ut sit, *pervadere, perrumpere,*

In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas,
  Ferratam Danaës transiliamque domum.
De te quodcunque, ad surdas mihi dicitur aures:
  Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi iuro per matris, et ossa parentis;
  (Si fallo, cinis heu! sit mihi uterque gravis)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
  Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
  Posset servitium mite tenere tuum.
Septima iam plenae deducitur orbita Lunae,
  Quum de me et de te compita nulla tacent.
Interea nobis non nunquam ianua mollis,
  Non nunquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis.

ita tamen, ut de audacia simul, qua illud fit, cogitetur, quum in hac voce lateat notio confidentiae et audaciae, ut apud Horat. Od. I, 3, 24: *si tamen impiae Non tangenda rates transiliunt vada.* – *mea membra*, id est ego. – *In te*, tui causa, propter te, in tuam gratiam.

13–22. *De te*, quod te attinet, *quodcunque*, nempe ad me defertur, rumoribus illis surdas oppono aures. Videtur Cynthia in pugillaribus illis innocentiam suam purgare studuisse. – *gravitate*, fide et constantia. Opponitur levitati. – 15. *per – parentis*, per cineres parentum omninoque maiorum vett. iurare solebant, et huius iurisiurandi magna religio erat. Vid. Interpp. ad Horat. II, 8, 9; Barth. ad Stat. Theb. V, 329; Schottus Obss. III, 39. – *cinis gravis mihi*, manes mihi infesti et irati. – 17. *mansurum*, nempe fidelem; constantem, quod ex posteriori membro subintelligendum est. Cuius generis ellipses congessit Gronov. ad Liv. XXX, 7. Plenius dixit Ovid. Trist. V, 4, 35: *Te sibi cum paucis meminit mansisse fidelem.* – 18. *una fides*, coll. vs. 34. – *una dies*, conf. el. 28, 39 seqq. – *nomen*, genus, nobilitas, Catull. LXI, 214. – *teneret*, retineret. – *servitium*, h. l. serviendi ratio et conditio. – *mite*, blanditur Cynthiae dolenti, et iam pluribus demonstrat, se ingrati nomen meriturum, si Cynthiam deserere vellet. – *septuma orbita*, septimus lunae cursus, septimus mensis; *orbita*, pro cursu. – *deducitur*, pro decurritur. – *compita nulla tacent.* Ovid. Am. III, 1, 17: *Nequitiam – tuam Narrant in multas compita secta vias.* Add. Prop. I, 5, 26. *compita* pro ipsis hominibus in compitis versantibus.

23–28. Neque tamen tu illos rumores curasti. – *ianua mollis*, mihi facile movebat cardines, facile aperiebatur. – *beatis*, largis, opulentis, Catull. LXVIII, 14; Horat. Carm. I,

Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Quum te tam multi peterent, tu me una petisti.
Possum ego naturae non meminisse tuae?
Tunc me vel tragicae vexetis Erinnyes, et me
Inferno damnes, Aeace, iudicio.
Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur.
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.
Vltima talis erit, quae mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

25, 1. – *hoc*, pro haec, quoniam praecessit *quidquid*, ut Ovid. Heroid. III, 8: *hoc quoque culpa tua est.* Vid. Burm. ad Lucan. IX, 249; Gronov. ad Senec. Cons. ad Marc. cap. 19. — *animi gratia tui*, tuae benivolentiae acceptum debeo. Ovid. Trist. II, 5: *Si quid adhuc sum, muneris omne tui est.* – 28. *natura*, ut φύσις, pro ingenio et moribus, Cic. ad Div. I, 9; XIII, 11; Senec. Controv. 16; Martial. VI, 83; nominatim h. l. pro indole facili et miti.

29–36. Si unquam oblitus fuero tuae benignitatis, animi gratiae tuae: *Erinnyes* furiae, scelerum vindices, dicuntur *tragicae*, hoc est, ut recte, praeeunte Passeratio, exposuit Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 4, 16, quae a Tragicis saepius ad partes vocatae, et in scenam productae sunt. Gr. τραγικαὶ ποιναί, vid. Casaub. ad Strab. III, pag. 265. – *Aeace*, qui apud inferos iudex sedes. – 31. Tityi poenam suam optat, si peieret. – *Tityus*, ob stuprum Dianae intentatum apud inferos hanc poenam sustinet, ut vulturi, vel secundum Homer. Odys. Λ, 575 seqq. binis vulturibus iecur suum perpetuo renascens exedendum praebeat, vid. Tibull. I, 3, 75; Horat. Carm. II, 14, 9; III, 4, 77. – *vagetur*, eleganter de vulture circumvolante; inter vultures iecur Tityi devorantes volitet vultur *mea poena*, id est supplicio meo destinatus, qui me pariter depascat. Vvlp. Imprecatur sibi porro *Sisyphi* poenam, vid. ad eleg. 17, 7. – 33. Desine mihi porro literas scribere, quibus me, ut fidem tibi servem, obtesteris. – *sis venerata*, pro venereris; sed venerari idem quod precari, ut Virg. Aen. III, 34; Horat. Sat. II, 2, 124. – *perpetuo ius*, hoc iudicium meum tueor, hanc rationem teneo, ita sentio. – *quod solus amator* etc. non levis sum ut amatores reliqui, sed nec facile amore capior, nec cito amare desino.

## ELEGIA XXI

### AD CYNTHIAM DE PANTHO

At quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
  Tantum illi Pantho ne sit amica Venus.
Sed tibi iam videor Dodona verior augur?
  Vxorem ille tuus pulcer amator habet.
Tot noctes periere: nihil pudet? adspice, cantat
  Liber: tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos sermo es: te ille superbus
  Dicit se invito saepe fuisse domi.
Dispeream, si quidquam aliud, quam gloria, de te
  Quaeritur: has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
  Eiecta tenuit namque Creusa domum.

Elegia XXI

Panthum quendam, rivalem malignum, qui ipsum apud Cynthiam violatae fidei accusaverat, vicissim accusat poëta, Cynthiamque, quod hactenus nimium credula fuerit amatori perfido, irridet.

1–9. *At*, indignantis est, ut Graecor. ἀλλὰ, saepius. – *pagina*, carmen, quo Propertii fidem suspectam reddiderat. Sic *pagina* Ovid. Fast. I, 19; Prop. III, 25, 17. – *ne sit amica*, sit irata. – *Dodona verior augur*, vates Iovis Dodonaei oraculo certior. – *periere*, frustra tot noctes Pantho ingrato liberaliter concessisti. – *cantat liber*, solutus amore, et curis expeditus, tu solitarias noctes consumis. Sed verba *tu – iaces* fuisse initium cantilenae cuiusdam tunc temporis satis notae, ingeniose satis suspicatus est Marklandus. Sic verba ipsa, quibus poëta sententiam hanc expressit, te ille ludibrio habet, accurate satis cohaerent. – *inter eos*, Panthum et uxorem ipsius fabula es et risus. – *se invito*, te fuisse domi illumque exspectasse, sponte, non quod iusserit et condixerit. – *dispeream*, emoriar, si ille maritus quidquam aliud agit, quam ut te decipiat, de te gloriari possit. – *has – habet*, et profecto ille de te triumphat. Prop. I, 13, 5: *Dum tibi deceptis augetur fama puellis.*

11–20. *Colchida*, Medeam, uxorem suam, quae eum, quum Colchon attigisset, exceperat et amaverat, cum eoque aufugerat, Iason decepit. Vid. Ovid. Heroidd. ep. 12. – *hospes* cum emphasi dictum, est enim indignum ab hospite decipi. – *eiectae*, repudiatae. – *Creusa*, magni Creon-

Sic a Dulichio iuvene et delusa Calypso
  Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah! nimium faciles aurem praebere puellae,
  Discite desertae non temere esse bonae.
Nunc quoque, qui restet, iampridem quaeritur alter.
  Experta in primo stulta cavere potes.
Nos quocunque loco, nos omni tempore tecum,
  Sive aegra pariter, sive valente, sumus.

## ELEGIA XXII

### AD DEMOPHOONTEM

Scis here mi multas pariter placuisse puellas,
  Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis,

*tis*, Corinthiorum regis *filia*, Horat. Epod. V, 64. – *tenuit domum*, materfamilias facta est. Nil amplius. Vid. ad II, 16, 30. – *Sic a Dulichio*, ut Vlysses reliquit Calypso propter uxorem Penelopen, sic et te hic maritus relinquit. Passerat. – *non temere esse bonae*, faciles, non frustra noctes perdere vs. 5. – 17. *quaeritur* a te post hunc desultorem novus amator, *qui restet*, constantior sit, te constanter amet; vel, qui resistat (sic *restare* infra III, 8, 31) qui perfidus sit, te deludat, sicuti delusa est ab Vlysse Calypso. – *Sive aegra* fueris, sive sana et incolumis, te constanter, omni tempore amabo, coll. II, 9, 25; 15, 36, atque videtur ille rivalis Cynthiam aegram neglexisse.

Elegia XXII

Profitetur naturam unicuique vitium dedisse creato, sibi aliquid semper amare dedisse, vs. 17 seq., sibi multas pariter, simul et eodem tempore, placere puellas, vs. 1, earumque amoribus se facile capi, neque tamen hoc vitium suis commodis gaudiisque carere. Conf. Ovid. Amor. II, 4, 1 seq.

1–4. *Here* pro heri, χθὲς, hesterno die, vid. Rupert. ad Iuvenal. VI, 23; Ernesti Clav. Cic. – *venire*, de malis calamitatibusque ingruentibus frequens, Virgil. Aen. III, 138. – *multa mala*, propter multas puellas. Conf. infra el. 25, 48. – *lustrantur*, peragrantur. – *compita* commemorari Scaliger putabat ob ludos compitalitios, ut adeo sententia sit: nunquam frustra adeo compita, ad ludos compitalitios spectandos. Sed *compita* h. l. ut supra eleg. 20, 22, commemorantur omnino utpote frequenti populo referta, unde *frequentia* dicuntur Horat. Serm. II, 3, 26.

Omnia in exitium nata theatra meum.
Sive aliquis molli deducit candida gestu
Brachia, seu varios incinit ore modos:
Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet.
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?

– *omnia – meum*. Ovid. Trist. II, 1, 279: *Vt tandem fatear, ludi quoque semina praebent nequitiae* (amoris occasionem praebent): *tolli tota theatra iube*. – *nata*, orta, inventa. *Nasci* de rebus quoque inanimatis dici, tralatitium.

5–8. Dum mimus saltat, dum tibicen canit, oculis meis foeminas formosas in theatro sedentes perlustro, et saucius amori succumbo; vid. ad I, 1, 1. – *deducit brachia*, leniter movet, et iactat. Statius Propertium imitatus Silv. III, 5, 66: *Candida seu molli deducit brachia motu*. graec. βάλλει τὰς χεῖρας. Ovid. Am. II, 4, 29: *Illa placet gestu, numerosaque brachia iactat*. Intelligit noster mimos, qui saltabant amores. – *molli gestu*, effeminato, delicato. Sic *mollia brachia* apud Ovid. Art. Am. I, 595, in re saltatoria de brachiis, quae cum arte et gratia moventur. Vid. Graevius Lectt. Hesiodd., cap. 19. – *seu*, tibicen in scena tibias inflat, et varios modos incinit. – *vulnus ocelli*, vulnus, cuius dolor cruciat lumina. Amantium enim oculi formae pulchritudine et gratia dicuntur teneri, abripi, tanquam telis vulnerari etc. V. Xen. Mem. I, 3, 13. hinc Aeschyl. Agam. 751 Helenam vocat μαλθακὸν ὀμμάτων βέλος, et Herod. V, 18, legitur: γυναῖκας εὐμόρφους ἀντίας ἵζεσθαι ἀλγηδόνας ὀφθαλμῶν. Apud Achill. Tat. autem I, 4, legitur: κάλλος γὰρ ὀξύτερον τιτρώσκει βέλους, καὶ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν εἰς τὴν ψυχὴν καταῤῥεῖ· ὀφθαλμὸς γὰρ ὁδὸς ἐρωτικῷ τραύματι. – *Candida*, formosa. – *sedet*, nempe in suprema theatri cavea, unde spectabant mulieres. Caeterum compara Ovid. Am. II, 4, 9, add. Prop. IV, 8, 77.

9. Vid. Obss. – *puris*, apertis et nitidis, splendentibus. – *tenet* comam in vertice capitis, religatam in nodum; *tutulum* vocabant. – *vultu dura*, contraria sententia apud Ovid. legitur Amor. III, 2, 84: *Risit et argutis aliquid promisit ocellis*. Sed hac voce *aliquid* poëtae in re amatoria plus intelligunt quam exprimunt. – *frigida – aqua*, imitatus est Propert. Theocritum Id. II, 107, ubi Simaetha: ἐκ δὲ μετώπω ἱδρώς μευ κοχύεσκεν ἶσον νοτίαισιν ἐέρσαις. De sudore amoris indice vid. Dorvill. ad Charit. pag. 380; Mitscherlich. ad Horat. carm. I, 13, 7.

13–18. *mollis*, facilis. – *quod quaeris – amor*, vulgo explicant: amoris

Quod quaeris, quare non habet ullus amor?
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris?
Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?
Vnicuique dedit vitium natura creato.
Mi natura aliquid semper amare dedit.
Me licet et Thamyrae cantoris fata sequantur,
Nunquam ad formosas, invide, caecus ero.
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris; haud unquam est culta labore Venus.
Percontere licet, saepe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.
Iupiter Alcmenae geminas requieverat Arctos,
Et coelum noctu bis sine rege fuit.

nulla est ratio, nec dici potest causa, cur simus in amorem tam propensi, non magis quam Galli et Bellonarii, qui semetipsos secant cultris, qua ratione id faciant, dicere possint, quum ex animi quadam perturbatione haec cuncta proveniant. Vid. Obs. – *brachia cultris*, ut Bellonarii, in sacris Bellonae, quibus brachia laniare moris fuit. Vid. Tibull. I, 6, 47, ibique Heyne. – *et – numeros*, sermo est de Gallis, Cybeles deae in Phrygia cultae, sacerdotibus. Ovid. Ibis 453 seq.: *Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater Incitat ad Phrygios vilia membra modos.* Sic hoc loco *Phrygis ad numeros* (add. Tibull. I, 4, 70) ad modos Phrygii tibicinis insaniam cientes. Lucret. II, 620; *Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.* – 17. *Vnicuique creato*, sententia a Philosophis ducta. Crantor apud Plutarch. T. II, pag. 104 C. φυομένοις τε μίγνυται ἐν πᾶσι κακοῦ μοῖρα. Cf. Wyttenbach. ad Plutarch. D. S. N. V. pag. 34; Catull. XXII, 20: *Suus quoique attributus est error.* Horat. Serm. I, 3, 68: *Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est, Qui minimis urguetur.*

19–28. Nunquam formosas amare desinam. *Thamyras*, poëta thracius, a Musis, quibuscum se conferre ausus erat, quasque ad certamen musicum provocaverat, excaecatus. Conf. Homer. Il. B, 594; Diod. Sic. III, 67; Apollod. I, 3; Barth. ad Stat. Theb. IV, 181. – *sed tibi*, se non esse enervatum, nec unquam voluptatis opere fatigatum, affirmat. – *colere Venerem*, ei litare, eam exercere. – *culta*, nempe mihi, et *labore* dictum pro cum labore; exerceo quidem Venerem, sed sine ulla defatigatione. – *Alcmenae*, scilicet causa vel gratia. Conf. de hac ellipsi Burm. ad Petron. cap. 49; Cortius ad Sallust. Catil. 6, 7; Iug. cap. 88 s. 4. – *requieverat*, pro requiescere fecerat. – *geminas Arctos*, ursa, nomen sideris; docte pro noctes duas. – *Requiescere* cum accus. construitur etiam infra eleg. 34, 75; Virg. in Ciri 233; vid. Cannegieter. ad Avien. pag. 39. Alc-

Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? quum e complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachae lecto quum surgeret Hector,
Bella Mycenaeae non timuere rates?
Ille, vel hic classes poterat, vel perdere muros.
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Adspice uti coelo modo sol, modo luna ministret:
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum.
Aut si forte irata meo sit facta ministro,
Vt sciat esse aliam, quae velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navem,

menae, Amphitryonis uxori, Iupiter duas noctes dederat, *noctem duplicarat* (Sen. de brevit. vit. cap. 16), ut Herculem procrearet. Conf. Senec. Agam. 802 sqq.; Ovid. Epist. IX, 9; Hemsterhus. ad Lucian. Somn. cap. 17, T. I, pag. 21. - *ad fulmina venit*, pro rediit, fortis fulmina vibravit, ornate pro regnum egit. – *nullus – suas*, pro nulli ipse amor eripit vires militiae suae dicatas.

29–36. *Num fugere*, nonne etiam tum ab Achille Thessalo Troiani fugati sunt? Hector ex Andromachae complexibus non debilior in certamen venit. Vid. Hom. Il. XX, XXI. – *ferus*, simpl. pro fortis, ut *saevus* Virg. Aen. I, 99. – *non*, pro nonne, ut Ovid. Am. I, 7, 7; III, 6, 29; vid. Duker. ad Flor. III, 21, 25. – *Mycenaeae rates*, classis Graecorum, cui Agamemnon, Mycenarum rex, praeerat. – *timuere*, vid. Ovid. Met. XIII, 80 seq. – *Ille*, Hector, classes, *hic* Achilles, muros poterat perdere. – *hic ego*, nempe in amoris militia. Similis locus Ovid. A. A. I, 5 seqq. - *ministret*, scilicet lucem, ut Plin. loquitur H. N. II, 5: *hic* (sol) *lucem rebus ministrat*. Est quasi δᾳδοῦχος. Sol et Luna alternis lucem praebent. Verbo δουλεύειν eodem sensu de Sole et Luna usus est Eurip. Phoeniss. 549.

37–42. *Si non sinit esse locum*, si dura est, coll. vs. 43, si aditum et amplexum negat. Conf. I, 1, 36. – *ministro*, qui partes lenonis sustinet. Vid. Iuvenal. III, 46. – *sciat*, nempe puella irata et dura. – *defendunt*, tuentur, servant simpl. – *duo retinacula*, de duabus anchoris fundo maris iniectis cogita. Alii per *retinacula* intelligunt gubernacula, quae bina in veterum navibus fuisse, docuit Graevius Lect. Hesiodd. cap. 9; vid. interpp. ad Lucian. Toxarin T. II, pag. 512, 513. Frequentes in re amatoria comparationes a navigatione desumtae coll. II, 4, 19; 14, 29. Senten-

Tutius et geminos anxia mater alit.
Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid iuvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Quum recipi, quem non noverit ille, putat?
Et rursum puerum quaerendo audita fatigat:
Quem, quae scire timet, dicere plura iubet.

## ELEGIA XXIIII

### DE AMORIS SERVITVTE

Cui fuit indocto fugienda haec semita vulgi,

tia e graeco fonte promanasse videtur. Epictet. apud Stob. Serm. CIX: *οὔτε ναῦν ἐκ μιᾶς ἀγκύρας, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ἁρμοστέον.* – *anxia*, de liberis sollicita. Ovid. Rem. Am. 463 seq.: *Fortius e multis mater desiderat unum, Quam quae flens dicit, Tu mihi solus eras.*

43–50. Puellam ipsam alloquitur. Sed vid. Obss. – *nega*, scilicet te venire velle, altera me excipiet. De hoc usu verbi *venire* conf. supra eleg. 18, 30. Similis locus Hom. Il. A, 514. – *in – loqui*, verba nullius ponderis proferre, tergiversari, neque negare, neque affirmare te venturam esse, vel *promissis ducere amantem*, eleg. 17, 1. Praepositio *in* redundat, exempla hanc in rem collegit Drakenb. ad Liv. I, 52 et 56, T. I, p. 207, pag. 220. – *subito venire*, confestim, *αὐτίκα*. – *illum*, nempe amatorem exclusum. – *quum recipi*, sibi praeferri alium ignotum amatorem putat. Conf. Obss. – *puerum*, servum internuntium, quem iubet plura, quam scire eum timet, dicere.

#### Elegia XXIII

Profitetur poëta, se matronarum superbiam, quam graphice depingit, spernere, foeminas contra tenuioris fortunae, libertinas et peregrinas praecipue sectari. Oratio carminis urbana, suavis et elegans.

1 seq. Ego qui quondam nondum edoctus satis, *vulgares amores* (I, 13, 11) fugiebam ac spernebam, iam eosdem studiose et cum voluptate sector, malo meo edoctus, tenuioris ordinis foeminas matronis superbis longe praeferendas esse. – *Semita vulgi*, via publica, alludit ad semitarias meretriculas. – *fugienda*, per enallagen pro fugitata. – *lacu*, cum lacu limo-

Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Vt commissa suae verba ferat dominae?
Et quaerit toties, Quaenam nunc porticus illam
Integit? et, Campo quo movet illa pedes?
Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
Herculis, ut scribat, Muneris ecquid habes?
Cernere uti possis vultum custodis avari,
Captus et immunda saepe latere casa.
Quam care semel in toto nox venditur anno!
Ah! pereant, si quos ianua clausa iuvat.
Contra reiecto quae libera vadit amictu,
Custodum et nullo septa tumore, placet.

so et turbido, aquam continentem communem omnibus, illas puellas vagas, opportune et apposite comparat.

3 seq. Sermo indignantis. Sententia haec: An quisquam paullo liberalior sustineat munera dare alterius servo, cuius heram captet, et curas atque labores Herculis perferre, ut illa tandem ipsi nil aliud scribat, quam muneris ecquid habes? et ut largo munere matronae pro una nocte dato, et ostiario muneribus capto, novis deinceps periculis obnoxius sit? Tanti nox una non est; et his difficultatibus, laboribus atque periculis non est obnoxius is, qui vulgares amores sequitur. – *verba commissa* sunt vel omnino mandata, vel epistolae a servo ad dominam perferendae. *commissa*, fidei servi credita. *Committere*, verbum hac in re proprium. Vid. Ovid. Amor. I, 12, 21; Met. IX, 586; Cic. pro Fontei. 14, pro Cluent. 58. – *Porticus* et *Campus* commemorantur, quoniam illis in locis convenire solebant amantes. Ovid. Am. II, 2, 4; A. A. I, 491; Prop. II, 32, 7 – *integit*, sub qua porticu spatiari solet? – *quo Campo*, Campi enim plures Romae, Martius, Viminalis, Agrippae etc. – *labores Herculis*, pro laboribus gravissimis, et vix perferendis nominantur. – *scribat*, nempe matrona illa tibi, *muneris ecquid habes*? μίμησις foeminae scribentis: ecquid mihi pro nocte concessa daturus es? Compara Ovid. Amor. I, 10. – *custodis avari*, non nisi largiter data mercede fores reserantis. Conf. IV, 5, 47 seq.; Tibull. II, 4, 33: *Sed pretium si grande feras, custodia victa est: Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.* – *captus*, paene captus et deprehensus. – *immunda*, obscura, *casa* ostiarii, in qua et canis perennabat. – *si – iuvat*, quos iuvat, delectat, ille tam rarus, tamque furtivus dominae congressus.

13–16. Libertina et vaga puella mihi praeplacet. – *reiecto amictu*, non velata, *candida non tecto pectore* supra eleg. 22, 8. – *libera*, quae non sub imperio viri, a iugo

Cui saepe immundo Sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.
Differet haec nunquam, nec poscet garrula, quae te
Adstrictus ploret saepe dedisse pater.
Nec dicet, Timeo, propera iam surgere, quaeso:
Infelix, hodie vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, et quas mihi misit Orontes
Me capiant; nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet.

matrimonii libera, coll. vs. 20. – *custodum tumore*, pompa superba custodum veluti vallo septae incedebant matronae. III, 8, 13: *Custodum gregibus seu quum se stipat euntem.* Vocem *tumore* illustrat Heliodori locus a Barthio citatus lib. 7: σωματοφυλάκων πομπεία ὑπέρογκος de Arsace. – *Sacra via*, nam ea Romae erat maxime trita, et obsessa hominum turba. — *immundo*, lutulento. Matronae autem gestabantur lecticis. Vid. Iuvenalis Sat. VI, 349, ibique Rupertius.

17–24. *Differet*, vulgo explicant, promissis ducet amantem, sed iam praecesserat *nec sinit esse moram*, hoc est, facile sui copiam facit, unde Huschkius in epist. ad Santen. Amstel. 1792. rectius *differre* hoc loco explicat diffamare, ut I, 4, 22, unde et *garrula* dicitur, ut adeo sensus sit: nunquam haec te garrulitate sua differet, nec saepius munera poscet. — *adstrictus*, parcus, tenax, frugalis. Sic *contractus* Horat. Epp. I, 7, 12. Vid. Drakenb. ad Liv. XXIX, 1, 6. – *infelix*, ego misera. Compara Horat. Serm. I, 2, 127 seq. – *Et quas* etc., me capiant, iuvent foeminae exterae et peregrinae. De his advenis meretricibus conf. Iuvenal. Sat. III, 61 seqq. – *furta pudica tori*, hypallage, pro furta tori pudici. Nihil mihi sit cum nupta, matrona et nobili. – *Libertas quoniam* etc. Sensus eo spectat: viles ancillarum et libertinarum amores mancipiis, non ingenuis adolescentibus digni sunt: respondet: nullus amans liber est, parum ergo interest, quam servitutem servias, stolataene mulieris, an togatae. Barth.

## ELEGIA XXIV

### DE CYNTHIA IN AEMVLVM

Tu loqueris, quum sis iam noto fabula libro,
 Et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Cui non his verbis adspergat tempora surdo
 Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
 Non ego nequitiae dicerer esse caput.
Nec sic per totam infamis traducerer urbem:
 Vreret et quamvis, nomine verba darem.

Elegia XXIV

1–4. Novam elegiam hic ordiuntur plerique codd. et editiones vetustae, atque nihil mutandum duxi, ne consensus editionum turbetur. Sed arcte omnino cohaeret pars huius carminis prior usque ad vs. 16 cum carmine superiori. – *Tu loqueris*, μιμητικῶς dictum. Inducit amicum ipsum obiurgantem, quod commendet abstinentiam a foeminis nobilioribus, quum tamen (Cynthia vs. 2) carmina in Cynthiam ipsum iam dudum infamarint. Terent. Heaut. V, 1, 48 seqq. Men.: *Tene isthuc loqui? Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare, Foris sapere, tibi non posse te auxiliarier?* - *toto foro*, docte pro in maxima hominum frequentia. – *adspergat*, nempe sudore; cui non haec verba sudorem exprimant, etiam si surdis auribus sit? Quem licet surdum haec non vellicent verba? Scilicet Propertius amico obiurganti respondet: illa tua verba me non tangunt. Neque pudore ingenuo suffundor ob vanitatem verborum meorum, quod commendarim abstinentiam a foeminis nobilibus, quum ipse eiusmodi foeminam amem; neque animum meum perturbat amor a me decantatus, sed si mihi constare vellem, reticendus, quum Cynthia mihi facilis sit; at illa, ut vel mea carmina docent, non est facilis, nec adeo verba mea vana sunt, sed malo meo edoctus vulgares amores commendo.

5–10. *spiraret*, eleganter pro esset. Metaphora a vento secundo desumta. Coll. eleg. 27, 15; Tibull. II, 1, 80. – *nequitiae caput*, vulgarium vagorumque amorum, Horat. Carm. III, 15, 2, doctor et commendator. – *dicerer esse* pro essem. — *Nec sic*, propter carmina in Cynthiam, *infamis traducerer*, non tantam apud populum infamiam subiissem, tot rumores de me excitassem. Translatio deducta ab iis, qui ante oculos hominum traducuntur, ut spectaculo sint. Vid. Martial. I, 54; III, 74, 75: gr. παραδειγματίζεσθαι. - *ureret et quamvis*, quamvis perdite amarem Cynthiam. — *nomine verba darem*, hoc

Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles.
  Parcius infamant: num tibi causa levis?
Et modo pavonis caudae flabella superbae,
  Et manibus dura frigus habere pila;
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
  Quaeque nitent Sacra vilia dona via.
Ah! peream, si me ista movent dispendia: verum
  Fallaci dominae iam pudet esse iocum.

* * * * *

Hoc erat in primis quod me gaudere iubebas?

Cynthiae nomine supposito omnes fallerem. Non suspicarentur esse foeminam nobilem, si Cynthia moribus illarum vilium mulierum similis esset; sed more foeminarum nobilium aspera est, se praestat difficilem, ergo intelligunt esse matronam nobilem, ergo malo meo edoctus commendo foeminas viles. – *verba dare*, fallere, decipere, Terent. Andr. I, 3, 6; Phorm. IV, 5, 1. – *parcius*, minus infamant *viles*, quarum copia facilis est.

11–16. Cynthia praeterea munera a me assidue flagitat. – *Et modo*, nempe cupit, *pavonis superbi*, qui explicata cauda stellante superbire solet. Intelligitur *flabellum*, quo ad refrigerandum et ventilandum aestatis calore utebantur puellae elegantiores et lautiores, vid. Claudian. in Eutrop. I, 109. His flabellis gerendis et custodiendis peculiares habebant ancillas dictas flabelliferas, vid. Plaut. Trinum. II, 1, 22. — *dura pila*, ope durae pilae. Intelligitur pila ex crystallo, quam matronae delicatiores aestivo tempore ad calorem frigore eius mitigandum manibus tenere solebant. Vid. Plin. H. N. XXXVII, 2; Martial. XI, 8. — *cupit poscere*, pro cupide poscit, ut I, 10, 21. – *cupias pugnare*, pro pugnes. – *iratum*, pro a me irato. Ovid. A. A. III, 805: *quae poscet munus amantem*. Sensus: munera poscit, neque tamen illis movetur, sed aspera et superba manet, quin et a me de hac superbia illius irato, nova munera poscere audet, atque sic me ludibrio habet. – *talos eburnos*, quibus ludere possit, *ἀϛραγάλους*. Pausan. VI, 24, pag. 514: *ἀϛράγαλον μειρακίων καὶ παρθένων παίγνιον*· Vid. Iacobs Animadv. in Anthol. Gr. tom. I, P. II, pag. 52. – *vilia dona*, quisquiliae pulchrae et pretiosae (*nitent*) quales foeminae amare solent, quaeque in Sacra via prostabant venales. Vid. Ovid. Am. I, 8, 87 seq.; A. A. II, 261 seqq. – *Ah! peream* etc., haec dispendia et damna me profecto non movent, sed quod me promissis ducit, inanique spe lactat, hoc me maximopere cruciat.

17. De Cynthiae rivalem sibi praeferentis levitate et perfidia conqueritur, suamque in amore constantiam iactat. Mollissimus regnat in hoc carmine a vs. 17–52 sensus, qui et ad commiserationem mirifice animum movet. – *Hoc erat*, haeccine tua promissa, quae meum animum laetitia perfundebant? itane constans es in

Tam te formosam non pudet esse levem?
Vna aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto iam gravis esse tuo.
Me modo laudabas, et carmina nostra legebas.
Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat et arte;
In primis una discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat:
Tetra venena libens, et naufragus ebibat undas,
Et nunquam pro te deneget esse miser:
(Quos utinam in nobis, vita, experiare labores)
Iam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc se in tumidum iactando venit honorem.
Dissidium vobis proximus annus erit.

amore? — *gravis*, molestus, fastidio esse. — *Ille*, per contemtum, ut el. 21, 4. — *pennas vertit*, avolavit, alio se contulit, exquisita imagine pro me amare desiisti, conf. I, 9, 23. Ovid. Epp. III, 42: *Quo levis a nobis tam cito fugit amor?*

23-28. *Contendat*, scilicet rivalis meus, vs. 30, 31. — *una amare domo*, una puella contentus esse. In suspicionem violatae fidei rivalem adducit. — *Si libitum tibi erit*, proba illius amorem et constantiam, iube eum pericula et labores tua causa subire. Expressa sunt haec quae sequuntur ex Theocrit. Παιδικοῖς Idyl. XXIX, 36 seq.: Νῦν μὲν κἠπὶ τὰ χρύσια μᾶλ' ἕνεκεν σέθεν Βαίην, καὶ φύλακον νεκύων πεδὰ κέρβερον· ut notavit Dorvill. Obss. Miscell. vol. V, tom. II, pag. 299. — *Lernaeas ad*, id est contra, adversus *hydras*. Lerna palus in Argivorum agro, ubi anguis, *hydra*, ob multitudinem capitum formidolosa, unde *hydras* hoc loco ab Hercule occisa est. Conf. Ovid. Met. IX, 71; Hesiod. Theog. 313; Herrmann Handbuch der Mythologie B. I. pag. 80. — *Hesperio dracone*, Hesperi filiae hortos in Libya habuerunt aureis malis insignes, Hercules, dracone pervigili interfecto, mala aurea ad Eurystheum pertulit. Omnia nota, conf. Heyne ad Apollodor. II, 5, 11; ad Virg. Aen. IV, 483; et Spanhem. ad Callim. h. in Cer. 11. — *Tetra*, mortifera, Tibull. III, 5, 10. Sententia: quin et pro te libenter moriatur; sed quanto ornatius hanc sententiam extulit!

29-32. Velim horum laborum in me et rivale meo periculum facias, uter libentius te iubente pericula subeat. Sed timidus ille est, et *protervus*, superbus, insolens erit. — *de timidis*, e timidorum numero. — *venit in honorem*, a te honoratur, praefertur, qui sua iactantia te adeo cepit. *tumidus honor*, qui tumidum et inflatum reddit; sic supra eleg. 22, 16

At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
  Non labor Alcidae, non niger ille dies.
Tu mea compones, et dices, Ossa, Properti,
  Haec tua sunt: heu, heu tu mihi certus eras.
Certus eras heu, heu, quamvis nec sanguine avito
  Nobilis, et quamvis non ita dives eras.
Nil ego non patiar: nunquam me iniuria mutat,
  Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego, non paucos ista periisse figura:
  Credo ego, sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoida Theseus,
  Phyllida Demophoon: hospes uterque malus.
Iam tibi Iasonia nota est Medea carina,
  Et modo servato sola relicta viro.

*insanus* occurrebat. – *Dissidium*, dissidii causam proximus adferet annus, brevi odiis ac rixis dissidebitis. – 33–38. Tuus ero vivus, mortuus tuus ero (II, 15, 36), eleganter et ornate haec expressit poëta. – *aetas Sibyllae*, vid. ad II, 2, 16, etsi mihi aetas contingat longissima, te nunquam amare desinam. – *non labor Alcidae*, neque maxima pericula tua causa subeunda. – *niger dies*, dies supremus, Virg. Aen. VI, 428: *atra dies*; Tibull. III, 5, 5: *nigra hora*, id est mortis hora. – *componi*, graec. συστέλλεσθαι dicuntur cineres et ossa, quum vasculis suis inclusa in monumentum conduntur, deinde de toto funeris apparatu et singulis eius partibus hoc verbum usurpatur. Vid. Kirchmann. de Funer. Rom. III, 8; Heyne ad Tibull. III, 2, 16. – *certus*, constans, fidus. – *nec-nobilis*, non eras ita generosus et stemmate maiorum longe conspicuus, ut nimirum rivalis tuus. – *non ita dives*, rem tenuem sibi fuisse significat Propert. etiam IV, 1, 130; coll. III, 5, 3; et I, 8, 33.

39–46. Omnia, licet acerba, patiar; nec iniuria a Cynthia mihi illata me mutabit. – *ista figura*, hac foemina adeo formosa *periisse*, nempe amando, perdite eam amasse; fide tamen et constantia caruisse. – *Minoida Theseus*, conf. I, 3, 2. – *Demophoon*, Thesei et Phaedrae filius, rex Athenarum, a bello Troiano in patriam rediens, maris tempestate in Thraciam delatus, ibi Phyllida, Lycurgi regis filiam, amavit cum eaque consuevit, mox refectis navibus Athenas petiit, nec rediit. Conf. Ovid. Heroidd. ep. II. – *Iam tibi*, vid. el. 21, 11. – *carina Iasonia*, ob navem Argo, qua cum Argonautis et Iasone, relicta patria, in Graeciam venit Medea. – *tibi*, utpote foeminae doctae, inprimis etiam propter Varronis Argon. conf. el. 34, 85. — 46. *et* emphatice positum, plus valet quam *etiam*, ut Broukh. recte observavit, vid. Heins. ad Vellei. Pat. II, 116;

Dura est, quae multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis.
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus: sed tu potius, precor, ut me
Demissis plangas pectore nuda comis.

## ELEGIA XXV

### AD CYNTHIAM

Vnica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludi quoniam sors mea saepe, venis.

Gronov. ad Minuc. Fel. cap. 34. — *servato*, a servato, quem incolumem praestiterat adversus tauros ignivomos, draconem pervigilem, et segetem armatorum virorum. Vid. ad III, 11, 9.

47–52. *simulatum fingit am.*, quae simulat et fingit amorem, quae inconstans et perfida est, quae promissis ducit amantes. — *parare potest*, se parat (ut *flere potest* pro flet, Tibull. I, 10, 64), pluribus sui copiam facit. Vid. I, 9, 25. — *Noli nobilibus*, noli me comparare cum nobilibus et divitibus, inter quos vix est qui ad finem vitae te amet, et tua ossa legat: ego vero is tibi ero, te constanter amabo. — *beati*, divites, εὐδαίμονες, μακάριοι, vid. Drakenb. ad Sil. I, 609; Muncker. ad Anton. Lib. cap. 34. — *sed tu potius*, precor, ut potius tu mea ossa legas, tu potius me mortuum plangas, ut mihi superstes sis. Versus tenerrimi. — *me plangas*, te propter me, id est lugeas me; simpl. nam plangere, ut κόπτεσθαι et τύπτεσθαι, notat quoque simpl. lugere, vid. Heyne Obss. ad Tibull. I, 7, 28.

#### Elegia XXV

Idem fere argumentum pertractat, quod superiori carmine pertractarat poëta. Affirmat se, quamvis a Cynthia male habitum, constanter tamen eam amaturum esse; conversus deinde ad aemulum suum, foeminarum in amore levitatem carpit; ut denique hunc ipsum rivalem suum a Cynthiae amore revocet, et huic illum simul suspectum reddat, pluribus docet, eos miserrimos esse, qui multas ament.

1 seq. Recte Barthius explicat: Tu, o Cynthia, es quasi nata ad hoc, ut a me ameris unice, quod quidem ego pulcherrimum iudico, licet idem amor quoque me miserum reddat, et quoniam sors mea est, ut excludar saepius, dolores mihi concitet gravissimos. — *cura*, de amore, et puella amata I, 1, 36. — *meo dolori*, mihi dolenti, misero. — *venis*, pro

Ista meis fiet notissima forma libellis:
  Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
  Grandaevique negant ducere aratra boves;
Putris et in vacua requiescit navis arena:
  Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
  Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero.
Nonne fuit satius duro servire tyranno?

es. — *fiet notissima*, celebrabitur meis carminibus Cynthia ob formae excellentiam. — *forma*, ut *figura* el. 24, 41. μορφὴ pro κάλλος Pind. Olymp. IX, 98; Nem. III, 33 pro formosa. — *Calvus*, e gente Licinia orator et poëta illustris, lascivorum carminum auctor, amicus Catulli. Vid. Ovid. Am. III, 9, 62; Prop. II, 34, 89; Cic. ad Div. VII, 24; XV, 21; Val. Max. IX, 12, 7. Catullus, Lesbiam; Calvus, Quinctiliam cecinerat: Propertius igitur affirmat, se suis carminibus Cynthiam celebriorem redditurum esse, quam illi suas amicas reddidissent, unde ut vitaret quasi offensionem, *tua venia, pace tua* addit.

5–9. Exemplis praeclare demonstrat, omnes fere in senectute quiescere, et muneribus laboribusque vacare, se vero nullo senio ab amore deduci. — *Miles annosus*, senex, veteranus. — *depositis armis*, impetrata missione. — *secubat*, otiatur, secedit, ut explicat Dorvill. Obss. Misc. vol. V, tom. II, pag. 301, vel potius, solus, non in aliorum contubernio tendit. Elegans sane comparatio, quum et alias amor cum militia, et Veneris gaudia cum bello comparari soleant. Vid. Burm. ad Petron. cap. 9 extr. Schrader. ad Mus. pag. 125 seqq.; Horat. Carm. III, 26, 1 seqq. Caet. imitatus est nostrum Ovid. Trist. IV, 8, 21 seq.: *Miles, ut emeritis non est satis utilis armis, Ponit ad antiquos, quae tulit arma, Lares*: adde Amor. II, 9, 19. — *Grandaevique* etc., exquisita imago, quum a poëtis admodum frequenter amor mutuus cum iugo comparetur. Vid. Mitscherlich. ad Horat. carm. II, 5, 1. *Grandaevus* de apibus Virg. dixit Georg. IV, 178. — *vacua*, solo ac deserto litore. — *vacat*, in otio quasi est. Exactis autem militiae stipendiis, arma diis consecrabantur, et in templis ad postes, columnas, parietes figebantur. Vid. Meurs. ad Lycophr. vs. 711; Burm. ad Valer. Fl. I, 398; Virg. Aen. I, 248. — *deducet*, apposite, est enim verbum militiae; de copiis ac praesidiis ab loco insesso revocatis legitur apud Plaut. Amph. I, 1, 60. — *nulla*, vel longissima et gravissima, hanc notionem et vs. seq. exprimit. De *Tithono* vid. el. 18, 7; de *Nestore* eleg. 13, 46.

11-16. Iam vero recordatio omnis iniuriae, quam Cynthia Propertio fecerat, eum proferre iubet sententiam hanc: nonne amor meus abiiciendus, nonne satius est servire tyranno, et mala etiam gravissima perferre, quam servire puellae durae et

Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo?
Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu?
Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obsistam: teritur robigine mucro
Ferreus, et parvo saepe liquore silex.
At nullo dominae teritur sub limine amor, qui
Restat, et immerita sustinet aure minas.
Vltro contemtus rogat, et peccasse fatetur
Laesus, et invitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis?

asperae, qualis Cynthia est? – *tyranno*, significatur Phalaris, Agrigentinorum tyrannus, cui *Perillus*, artifex atheniensis, taurum aeneum fabricaverat, quo homines inclusi, igne subdito, boves mugientes imitabantur. Sed *Phalaris tauro violenti membra Perilli Torruit: infelix imbuit auctor opus. – neque enim lex aequior ulla, Quam necis artifices arte perire sua.* Ovid. A. A. I, 653 seqq.; add. Trist. III, 11, 40 seq. – *obdurescere vultu*, id est in durum verti lapidem. – *Gorgonis*, Medusae, vid. ad II, 2, 8. – *Caucasias etiam* etc., vel si vultures iecur dilaniarent, sicut olim Promethei. Vid. ad II, 1, 69. *Caucasias volucres* memorat etiam Virgilius ecl. VI, 42. Redit iam amoris vis, poëtae animum regens, addit: *Sed tamen obsistam*, persistam, perdurabo in amore, ferens omnes eius iniurias; lapidês et ferrum tempore consumuntur, meus amor nunquam atteretur. Ovid. A. A. I, 473: *Ferreus adsiduo consumitur annulus usu: Interit adsidua vomer aduncus humo. Quid magis est saxo durum? quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua.* Add. Lucretium I, 312.

17–20. Dominae limen lapideum, in quo iaceo exclusus et pernox, non potest amorem meum terere. – *sub limine*, pro *in l.* Vid. Turneb. Adv. XVII, 11; Burm. ad Ovid. Met. I, 689; Doering. ad Catull. LXIII, 71. *qui restat*, qui non minuitur, vel qui resistit, obdurat. – *immerita aure minas*, pro minas immeritas. Amore ductus *peccasse fatetur*, culpam se commeruisse, licet falso, quum ipse iniuria affectus sit. – *ipse*, ultro, αὐτόματος, – *ipse invitis*. Hom. Il. Δ, 43: ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Ovid. Rem. Am. 218: *Sed quanto minus ire voles, magis ire memento; Perfer et invitos currere coge pedes.* Tibull. II, 6, 14: *Iuravi quoties, rediturum ad limina nunquam? Quum bene iuravi, pes tamen ipse redit.*

21–26. Rivalem alloquitur. – *pleno amore*, felici, secundo amore quum fruaris. – *nulla pondus habet*, levis et inconstans est in amore quaevis. Conf. Horat. carm. I, 5, 9 seq. – *in mediis persolvit procellis.* Virg. Georg. I, 436: *Votaque servati solvent in li-*

Quum saepe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundo.
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique,
Nescio quo pacto, verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento.
Invidiam quod habet, non solet esse diu.

*tore nautae.* — *Quum - natet*, vid. III, 7, 36. Si Cynthia te constanter amat, tunc fastus assumere, tunc tibi gratulari potes. — 25. *Aut prius* etc., in curuli certamine nemo prius poscere praemium potest, quam legitimum cursum absolverit, neque tu tanquam victor gloriari poteris, nisi usque ad finem amorem secundum habueris. — 26. *Septima rota*, in unoquoque missu a singulis agitatoribus septem exigebantur spatia. Sueton. vit. Domit. cap. 4: *Singulos missus a septenis spatiis ad quina corripuit*, ubi vid. interpp. et Onuphrius Panvin. de ludis Circens. I, 14; Burm. Anthol. Lat. tom. I, pag. 468. — *triverit*, terere metam, eleganter pro premere metam, currum proxime circa eam agere. Erat enim metae maxime appropinquandum, ita tamen, ut vitaretur illius tactus. Vid. Hom. Il. Φ, 334, unde Horat. carm. I, 1, 4: *metaque fervidis evitata rotis*, id est meta evitata, curru proxime circa eam acto (hoc loco *terere*), neque tamen alliso. Ovid. eod. sensu usus est verbo *radere* Amor. III, 15, 2. *stringere* Amor. III, 2, 12. — *prius - quam - ante*, e graeco fonte haec particularum repetitio fluxit. Theocrit. Id. I, 52: — τὸ παιδίον οὐ πρὶν ἀνήσειν φατί, πρὶν ἢ ἀκράτιστον ἐπὶ ξηροῖσι καθίξῃ. Virgil. Aen. IV, 24, 27: *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, — Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo.* Add. Prop. III, 20, 15, 19.

27–34. Ad designandam foeminarum inconstantiam translatio a vento desumta, ut supra el. 12, 8: *Nostraque non ullis permanet aura locis.* Facile ventus, qui nunc est secundus, ex adverso spirat. — *mendaces flatus*, Horat. carm. I, 5, 11 *aura fallax.* — *magna ruina*, eo gravior casus et clades. — *in - sinu*, fruaris gaudiis tuis tacite, gloriose loqui desinas, *celari vult sua furta Venus* Tibull. I, 2, 34. Locutio proverbialis, *in sinu gaudere*; quia quae occultamus, in sinum plerumque abdimus. Homer. ἐν θυμῷ χαίρειν. Cic. Tusc. III, 21: *in sinu* (id est secum, privatim) *gaudeant, gloriose loqui desinant.* — 31. *maxima verba*, iactationis et superbiae plena. Conf. Tibull. II, 6, 11. — *quamvis - memento*, ne abutaris benignitate dominae, quod incauti facere solent, sed parce utere ea, ut

At si secla forent antiquis grata puellis,
Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt secula mores.
Vnusquisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor?
Vidistis pleno teneram candore puellam:
Vidistis fusco: ducit uterque color.
Vidistis quandam Argiva prodire figura:
Vidistis nostras: utraque forma rapit.
Illaque plebeio, vel sit sandicis amictu:
Haec, atque illa mali vulneris una via est.
Quum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Vna sit et cuivis femina multa mala.

decet circumspectum, ut cum nullius invidia, adeoque tuto et secure, tuo bono frui possis.

35–40. Conf. Obss. Si secula antiqua, quibus fides et constantia in amore florebat, nostris puellis grata essent, si illae ipsae non essent leves, amore fruerer, quo nunc tu (rivalem innuit) frueris, sed corruptis seculi nostri moribus vincor. — *antiquus grata puellis*, docte pro antiqua grata puellis. – *non-mores*, tempora, quibus vivo, meos mores non corrumpent, more ac modo meo vivam, fides mihi sancta erit. – *At vos* etc., apostrophe ad amatores leves et inconstantes. – *in multos revocatis*, officia vestra redire iubetis ab aliis ad alias, modo hanc modo illam amatis, et officiose colitis. – *sic*, multas amando. – *lumina vestra dolor*, conf. vs. 46 et supra el. 22, 7.

41–48. *Vidistis*, eleganter omissum *si*, ut Iuvenal. III, 78 *iusseris*, pro si iusseris, add. Tibull. I, 6, 53. – *fusco* opponitur perfecto et pleno candori. Ovid. Am. II, 4, 40: *Candida me capiet, capiet me flava puella: Est etiam fusco grata colore Venus.* – *ducit*, ad se allicit, delectat, capit vos. De hoc usu verbi *ducere* vid. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 123; Heroidd. epist. XXI, 182. – *prodire* in publicum. – *Argiva figura*, habitu, vestituque graecarum mulierum. – *nostras*, Romanas, romano more cultas. – *rapit*, eleganter pro capit. – *plebeio*, plebeius amictus erat pullus, et opponitur hoc loco sandici (Virg. ecl. IV, 45), cocco, purpureo, quibus pretiosis coloribus ne meretriculae quidem abstinebant, vid. Senec. Nat. Quaest. VII, 31; Ruben de Re Vest. cap. 16; Ferrar. lib. III, cap. 23. – 46. *haec-est*, sive plebeia, sive patricia, sive vestimentis vilioribus, sive pretiosioribus induta, est vulneris mali causa, urit. – *Vna-mala*, Plaut. Trinum. V, 2, 61: *Miseria una uni quidem homini 'st affatim. Ch. immo huic parum est. Nam*

## ELEGIA XXVI

### AD CYNTHIAM DE INSOMNIO NAVFRAGII

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
  Ionio lassas ducere rore manus,
Et quaecunque in me fueras mentita, fateri,
  Nec iam humore graves tollere posse comas.
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen
  Aurea, quam molli tergore vexit, ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,

*si pro peccatis centum ducat uxores, parum 'st.* Eandem sententiam Philemo dixerat: *ἀθάνατον ἐςὶ κακὸν ἀναγκαῖον γυνή·*

### Elegia XXVI

Describit coloribus vividissimis somnium, quo per quietem viderat Cynthiam naufragio proximam vs. 1-21. Compara Tibull. III, 4.

1-6. *Ionio rore*, pro mari Ionio, quod inter Italiam et Graeciam interiectum. *rore*, de summa maris aqua explicant, laudant Euripid. Iphig. Taur. 255: *βοῦς ἤλθομεν νίψοντες ἐναλίᾳ δρόσῳ.* Sed *ros* etiam simpl. aquam et quemvis humorem, ut hoc loco mare notat, vid. Potter. ad Lycophr. vs. 322.; Eurip. Hippol. 126: *πορφύρεα φάρεα ποταμίᾳ δρόσῳ τέγγουσα·* Ovid. Met. III, 164; Fast. IV, 778. – *lassas*, fessas natando movere. – *fateri*, tuam perfidiam, quod me promissis duxeris, ut scilicet hac confessione culpa levareris. – *Nec – comas*, eleganter rem sensibus subiicit. – *Qualem*, intell. tamen te vidi, qualem ovis aurea vidit Hellen. Eadem omissio Horat. carm. IV, 4, 1; coll. Virg. Aen. III, 641. Helle Athamantis regis Thebanorum et Nepheles filia, cum Phrixo fratre, odia novercalia fugiens, áriete aureo avecta est per aërem, sed in mare decidit, cui ab ea nomen Hellespontus (unde et noster addit *quam - haberet*), et purpureis fluctibus agitata periit. Conf. Ovid. Heroidd. XVIII, 142; Apollodor. I, 9, 1; Hemstherhus. ad Lucian. pag. 311; Hermann Handbuch der Mythologie B. III, pag. 280 seqq. – *purpureis*, epitheton de fluctibus marinis frequens. Homer. Il. A, 482: *κῦμα πορφύρεον*, hoc est *μέλαν*, nigrum, caeruleum. Vid. Eustath. ad Il. Z, 16; Koeppen ad Homeri loco citato; Fischer. ad Anacr. VIII, 2; Hemsterhus. ad Lucian. Dial. Mar. Neptun. et Enip. pag. 321, ubi *μεριςήσας πορφύρεόν τι κῦμα.* – *tergore*, pro tergo, ut apud Manil. IV, 515, ubi praeterea hac eadem de re sermo, aliisque in locis. – *ovis*, pro aries, ut Ovid. l. l.

7-12. Quam timui, ne a te submersa mare Cynthiacum diceretur, ut ab Helle Hellespontus. – *labens*,

Atque tua labens navita fleret aqua!
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
Quaeque tibi excepi tum dea Leucothee?
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
Saepe meum nomen iam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionii facta puella maris.
Et tibi prae invidia Nereides increpitarent,
Candida Nesaee, caerula Cymothoe.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.

navigans per aquam tuam, per mare a te nuncupatum; sic *labi* pro navigare Ovid. Heroidd. X, 65; Met. XIV, 8 etc. – *fleret te*, tuosque casus. – *fratri*, Polluci. Castoris enim et Pollucis peculiare munus erat hominibus naufragio periclitantibus succurrere. Vid. Horat. carm. III, 29, 64; IV, 8, 21. – *excepi*, explicant pactus sum, quum *exceptio* sit voc. iurisconsultorum, id. quod pactum, conditio. Vid. Seneca ep. 6 et 30. Marklandus explicat suscepi, scil. vota; sane excipere ponitur nonnunquam pro suscipere, vid. Ernesti ad Sueton. Vit. Caes. cap. 73; Kortte ad Cic. ad Div. X, 7, 1. Equidem vero legere mallem hoc loco *concepi*, vel cum Heinsio ad Ovid. Fast. VI, 246, *suscepi*, nempe vota. – *Leucothee*, Ino, filia Cadmi, Athamantis Thebanorum regis uxor, in deam marinam mutata, a Graecis Leucothee, a Romanis Matuta dicta. Vid. el. 28, 20; Munker. ad Hygin. fab. 2, pag. 156; Cic. Tusc. I, 12: Ovid. Fast. VI, 543. De fabula ipsa conf. Apollodor. III, 4, 3; interpp. ad Lucian. Dial. Marin. tom. 1, pag. 311; ad Stat. Theb. I, 13. – *primas palmas*, extremas palmarum partes, digitos. Sic *prima aqua* Ovid. Heroidd. XVIII, 100, est aqua extrema, quae litus alluit, Valer. Fl. I, 293: *extremas manus*, ubi vid. Burm. – *saepe-vocas*, me, utpote tibi carissimum, in extremo discrimine vocabas. Ovid. Met. VIII, 229: *Oraque caerulea patrium clamantia nomen Excipiuntur aqua.* Add. III, 7, 17.

13–20. Ornati versus. – *tuos ocellos*, pulcherrimos, te formosissimam; vid. I, 1, 1. *tuos*, emphatice, quibus me cepisti. – *Glaucus*, deus marinus, ad cuius amorem erga Scyllam Nympham alludit. Conf. Ovid. Met. XIV, 59; Hygin. fab. 151. – *esses-maris*, te rapuisset, et uxorem duxisset. – *puella*, nympha, ut III, 7, 67. – *Nereides*, deae marinae, quas Nereus ex sorore Doride, unde et Dorides dicuntur, suscepit, vid. Propert. III, 7, 67. – *Nesaee*, Νησαίη Hom. Il. Σ, 39; Virg. Georg. IV, 338; Hesiod. Theog. 245, una Nereidum, ut et Cymothoe, Virg. Aen. I, 144. – *Arion*, Methymnaeus, scilicet Lesbius citharoedus nobilissimus, quum ex Italia Corinthum navigaret, a nautis *pecuniae* illius *cupidis* iussus est *in*

Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
Quum mihi discussit talia visa metus.

* * * * *

Nunc admirentur, quod tam mihi pulchra puella
Serviat, et tota dicar in urbe potens.
Non, si Cambysae redeant, et flumina Croesi,
Dicat: De nostro surge, poëta, toro.
Nam mea quum recitat, dicit se odisse beatos.
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest.
(Qui dare multa potest, multa et amare potest)

*mare praeceps desilire*, ab iis tamen impetravit, *ut prius quam mortem oppeteret, caneret carmen casus illius sui consolabile.* Impetravit, cantavit, et mox *eiecit se procul in profundum*, tum ab uno delphinum, quos audiendae cantilenae aviditas congregaverat, exceptus *incolumique corpore Taenarum in terram Laconicam* deductus est. Vid. Gellius N. A. XVI, 19; Virg. Ecl. VIII, 56; Ovid. Fast. II, 93; Plin. H. N. IX, 8, ubi vid. Harduin. pag. 502; Martial. Epigr. VIII, 50; Herod. I, 23 seqq. Conf. Creuzer Diss.: *Mythorum ab artium operibus profectorum exemplum.* Sect. I, II; Marburgi 1803, 4. ostendit V. D. signum illud (ἐπὶ δελφῖνος ἐπεὼν ἄνθρωπος) quod Herodot. commemorat, fuisse antiquam navigationis significandae imaginem, quae deinde, verso in historiam symbolo, ad Arionem celebriorem per ea tempora poëtam traheretur. Aptissime autem hac fabula noster usus est, et praeclare Cynthiam carminis pangendi arte excellentem cum Arione comparavit. — *discussit metus.* Ovid. Heroidd. X, 13: *Excussere metus somnum, conterrita surgo.*

21–28. Nova elegia ab hoc versu initium capit. Gaudio exsultat poëta, quod a Cynthia redametur, illique se omni tempore fidelissimum spondet. — *admirentur*, εἰρωνικῶς dictum, *rumpantur iniqui* I, 8, 27. — *serviat*, me amet, verbum in amore frequens. III, 25, 3 etc. — *potens*, exquisite pro beatus, ut Ovid. Met. IV, 325. — *Non – Croesi*, innuit amatores opulentos. — *Cambysae et flumina Croesi*, explicant, opes et divitiae, quas olim Croeso et Cambysae peperit Pactolus, qui aureas arenas quondam copiose secum vexerat, tunc vero exhaustus erat, unde *redeant.* Ille fluvius primum fuit Croesi, deinde Cyri, victo Croeso; mox Cambysae Cyri filii. Vid. Obss. — *de – toro*, coll. el. 24, 20. Cynthia me poëtam omnibus amatoribus, etiam opulentissimis, praefert et anteponit. — *odisse beatos*, fugere et aspernari opulentos. — *qui – potest*, accurate sensum horum verborum constituit Waardenburgius Obss. Crit. in Prop. et Tibull. (Lingae 1794, 4) Cynthia me opulentis amatoribus et propterea praefert, quod qui divitiis abundat, facilis praeda fieri solet Veneris πανδήμου.

Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, et fidos una aget aura duos.
Vnum litus erit sopitis, unaque tecto
Arbor, et ex una saepe bibemus aqua.
Et tabula una duos poterit componere amantes,
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, saevus licet urgeat Eurus,
Velaque in incertum frigidus Auster agat.
Quicunque et venti miserum vexastis Vlyxen,
Et Danaum Euboico litore mille rates.
Et qui movistis duo litora, quum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non usquam desit ocellis,

– *multa amare*, id est multas puellas nulla constantia. Frequenter enim genus neutrum adhibetur, quum de hominibus sermo est. Vid. Ovid. Met. X, 18; Prop. I, 13, 11; Drakenb. ad Liv. I, 53; II, 5, 4; Kypke Obss. Sacr. ad Ioh. XVII, 2.

29–40. Vulgarior ratio ferebat: omni tempore et loco cum ea coniunctus vivam. Hanc sententiam mira suavitate et vividissimis coloribus poëta expressit. – *mare per longum*, per vastum mare, ut Horat. Carm. III, 3, 37. – *tabula una*, pars navis exigua, *componere*, coniungere nos poterit. – *Eurus*, ab ortu spirans, Gell. N. A. II, 22, pro quovis vento. – *saevus*, cum impetu irruens, vehemens, Virgil. Georg. II, 107: *navigiis violentior Eurus*. Ib. IV, 29, *praeceps Eurus*. – *in incertum*, incerto, inconstanti flamine modo huc modo illuc impellat. – *frigidus*. Tibull. I, 1, 47: *Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster*. — *quicunque – Vlyxen*, conf. Homer. Odys. E, 294 seqq.; X, 54 seqq. – *Danaum*, Graecorum, *mille rates*, numero, poëtarum more, paullo crassius expresso. Vid. Heyne ad Virg. Aen. II, 198. – *Euboico litore*, vid. ad III, 7, 39; IV, 1, 114. – *qui movistis*, venti qui concurrere fecistis duas rupes in utroque litore sitas. – *rudis Argus*, vid. ad I, 20, 17, quae mare nondum satis experta erat, ita et *rudis Argo* apud Lucan. III, 193. Conf. Barth. ad Claudian. R. Pros. lib. I Praefat. init. Iasoni reliquisque Argonautis, per Cyaneas insulas (aliis Symplegadas dictas) vel potius cautes, ad os Bospori Thracii, prope Pontum Euxinum transeuntibus, quum Iuno et Pallas illos scopulos, inter se alias concurrentes, continuissent, ita ut immobiles starent, columba dux itineris fuit. Conf. Apoll. Rhod. II, 328, 551 seqq.; Ovid. Amor. II, 11, 1 seqq. Fabula inde orta, quod situs scopulorum, sub navigationis per Pontum Euxinum initia, incertus habebatur, ita ut errare per mare crederentur. Sed Argonautarum navigatione verus eorum situs et vera indoles innotuit. Vid. Heyne ad Apollod. I, 9, 22, pag. 197.

41–50. *Iupiter ipse*, alludit, ut Pas-

Incendat navem Iupiter ipse licet.
Certe iisdem nudi pariter iactabimur oris.
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Iovi.
Testis Amymone, latices quum ferret in Argis
Compressa, et Lerne pulsa tridente palus.
Iam deus amplexu votum persolvit; at illi
Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem et Boream rapta Orithyia negabit.
Hic deus et terras et maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec unquam

serat. recte monuit, ad navem Aiacis Oilei, quam incendit Pallas Iovis patris fulmine, vid. Homer. Odys. Δ, 509 seqq.; Virgil. Aen. I, 41; Eurip. Troadd. Hermann Handbuch der Mythologie B. I. pag. 175 seqq. – *nudi*, apposite, quum naufragi, ut facilius natent, vestes abiiciant, unde et Horat. Epod. XVII, 54, naufragos dixit *nudos navitas*. – *Me – tegat*, licet ipse sepultura caream, modo tibi contingat. Oratio tenerrimum amorem in Cynthiam prodit. Omnium enim fere populorum sensu atrocissimum, quod homini post mortem accidere posset, hoc habebatur, si corpus sepultura privaretur. Vid. Cuperus Obss. Varr. I, 8; Liv. XXIX, 9; Rittershus. Sacr. Lectt. VI, 18, pag. 487. – *Sed non Neptunus*, nihil eiusmodi verendum, Neptunus et ipse non minus quam Iupiter formosarum amator, non perdet nos ardenter amantes. – *quum ferret* pro quum latura esset. – *Amymone*, Danai Argivorum regis filia, dum Argi siccitate premerentur, et illa aquatum ivisset, a Neptuno compressa est, qui praeterea in monimentum puellaris amplexus effecit, ut, dum fuscina terram percuteret, fons oriretur, qui Lernaeus dictus est et Amymonius. Vid. Hygin. fab. 169; Lucian. Dialog. Marin. VI, pag. 302 seq. – *amplexu*, casus tertius. Amplexui et gaudio, quo Neptunus potitus erat, dedit hoc, ut aquam optatam inveniret: vel, vix deus amplexus compos erat factus, quum etc. – *divinas*, dei beneficio indicatas et profluentes.

51 – 58. Forma orationis poëtam decet. Sententia nuda ac simplex: neque venti nos vexabunt, coll. vs. 37. Orithyiae raptus perspicue docet, neque Boream crudelem, ab amore alienum, et amori, amantibus infestum esse. – *Orithyia*, Erechthei Athenarum regis filia a Borea rapta. Apollon. Rhod. I, 211; Apollodor. III. 15, 2. – *Hic deus*, nempe Amor, ut I, 7, 15, *puer hic*. Virgil. Cir. 437: *Omnia vincit Amor: quid enim non vinceret ille?* Ecl. X, 69: *Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori*, unde πανδαμάτωρ dictus. – *domat*, in potestate habet, arbitrio suo subiicit. – *mitescet*, placida, non crudelis erit. – *Scylla*, et ipsa a Glauco

Alternas revomet vasta Charybdis aquas.
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris.
Purus et Orion, purus et Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

## ELEGIA XXVII

### QVOD INCERTA HORA MORTIS

At vos, incertam, mortales, funeris horam

adamata, a Circe in monstrum marinum mutata. Vid. IV, 4, 40. — *Charybdis*, notissimus gurges in freto Siculo, naves absorbens, Scyllam in altera parte sibi oppositam habens. Virgil. Aen. III, 420 seqq.: *Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras Erigit alternos, et sidera verberat unda.* Add. Lucret. I, 723. Charybdis *vasta* etiam dicitur Catull. LXIV, 156. — *Ipsaque sidera*, sententia exornata: coelum serenum erit, sidera nobis favebunt. — 56. *Orionis*, sub occasum mare ventis infestatur, etiam *haedi* occasu suo tempestates excitare crediti, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 28, 21; III, 1, 28. Ante oculos habuit noster Theocrit. Id. VIII, 52: Εσσεται Αγεάνακτι καλὸς πλόος ἐς Μιτυλάναν, Χὤταν ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ Κύματα, κ' Ὠρίων ὅτ' ἐπ' Ὠκεανῷ πόδας ἴσχῃ — *tuo corpore*, pro *ad* vel *iuxta* tuum corpus, ut I, 14, 1. *corpus*, ut Graecorum σῶμα (Diod. Sic. III, 59; Eurip. Phoen. 1524. Suidas: σῶμα. πᾶν τὸ τεθνηκὸς παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Add. Eurip. Alc. 619) est cadaver, ut apud Ovid. Met. XIII, 471; Fast. II, 565; III, 835; VI, 605; Liv. XXXIII, 8. — *ponere vitam*, pro mori, tritum est. Sensus: si mihi tecum moriendum sit; ex solemni amantium voto, ut cum iisdem amatis corporibus simul exspirent. Nobilis hanc in rem locus apud Achill. Tat. II, 5. Add. Horat. Carm. III, 9, 24: *Tecum vivere amem, tecum obeam libens.* Petron. cap. 114: *Ecce iam ratem fluctus evertet; ecce iam amplexus amantium iratum dividet mare* etc. — *non inhonestus*, gloriosus, honestissimus, praeclare actum mecum putabo.

ELEGIA XXVII

Frustra mortales a genethliacis astrologisque quaerunt, quando et quo mortis genere sint perituri. Mors omnibus est incerta, solus amans novit a qua morte et quando sit periturus, nempe desertus a puella amata. Suavissimum omnino carmen et elocutionis ornatu, et idearum dilectu.

1–4. Conf. Horat. Carm. I, 11, 1. — *Mors*, tanquam δαίμων, accedit,

Quaeritis, et qua sit Mors aditura via:
Quaeritis et coelo Phoenicum inventa sereno,
Quae sit stella homini commoda, quaeque mala.
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos,
Et maris et terrae caeca pericla viae.
Rursus et obiectum fletis capiti esse tumultum,
Quum Mavors dubias miscet utrimque manus.
Praeterea domibus flammam, domibusque ruinam,
Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans novit, quando periturus, et a qua
Morte: neque hic Boreae flabra, neque arma timet.

domum nostram ingreditur, vid. Horat. I, 4, 13, et Mitscherlich ad Horat. Carm. I, 3, 17. Sensus: quod mortis genus vos maneat. – *Phoenicum inventa*, coelo sereno observatis sidera et scientiam astrorum exercetis. A Phoenicibus scientiam astrorum ad Graecos manasse auctor est Strabo lib. XVI, pag. 1098 Almel. Add. Plin. H. N. V, 10. – *commoda*, benigna, felix. Petron. Satyr. 30: *qui dies boni, quique incommodi essent.* Claudian. Consul. Honor. VI, 18, *stellas salubres* dixit. Etenim ex sententia vett. astra temporibus imperant, bona, mala, secunda, adversa, omnia astris imputabant: hinc Graeci stellas vocabant *κακοποιούς*, et ἀγαθοποιούς, vid. Cuper. Obss. II, 17.* Conf. ad Prop. IV, 1, 82.

5–10. Varia capitis pericula et mortis genera ornate ac poëtice singulatim afferuntur. Conf. Catull. XXIII, 8 seqq. Sidera observatis bello ingruente, et quaeritis, an pericula belli evasuri sitis, nec ne. – *pedibus*, *classe*, docte pro mari et terra, ut Horat. Carm. I, 6, 3: *navibus aut equis.* Commemorat poëta *Parthos* et *Britannos* tanquam Romani nominis hostes, pro hostibus quibuscunque, ut Horat. Carm. I, 21, 15. – *sequimur*, persequimur. – *caeca*, ignota, inexplorata, ut Virg. Georg. II, 502; Tibull. II, 1, 78. – *via*, pro ipsa profectione, ut I, 8, 18; intelligit pericula navalis et terrestris militiae. Compara Horat. Carm. II, 13, 13 seqq. – *Rursus et obiectum capiti*, constructionem eleganter invertit pro, caput obiectum esse periculis belli. Quum ad proelium ventum est, et dubia victoria, proelii exitus incertus est, fletis, solliciti estis de vita vestra. – *fletis*, cum dilectu. – *tumultum*, exquisite pro proelium, bellum, ut Horat. III, 14, 14. – *dubias miscet manus*, incerto pugnae eventu dimicatur. Hinc et Mars ipse *dubius* Virg. Georg. II, 283; *incertus* Sil. III, 89 vocatur. – *Praeterea*, scilicet fletis obiectas esse domus flammis, fletis et timetis earum ruinam per flammas. – *pocula nigra*, venenata, ab effectu, *nigri veneni* Virg. Aen. IV, 514. – *subeant*, times ne inscius bibas. – *tuis*, pro suis, finita persona posita pro indefinita.

11–14. *Boreae flabra*, ornate pro naufragium, coll. vs. 6, et eleg. 26,

Iam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
  Cernat et infernae tristia vela ratis:
Si modo clamantis revocaverit aura puellae,
  Concessum nulla lege redibit iter.

51. — *remex*, est vel Charon ipse, ut ordo verborum sic constituatur *iam licet amator Charontem cernat sub arundine sedentem, et tristia vela ratis;* vel *remex* ipse amator dicitur ita, ut idem sit quod nauta simpl.: aut, quod praefero, ut proprio sensu capiatur, ut apud Virg. Aen. VI, 320 ubi umbrae remigant: *illae remis vada livida verrunt*, nam Charon ipse, de quo ibid. vs. 302 legitur: *Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat, Et ferruginea subvectat corpora cymba;* est πλευστής. — *Stygia sub arundine*, de arundinetis circa Styga, vid. Virg. Georg. IV, 478; Aen. VI, 416; Dorvill. Obss. Miscell. vol. V, T. 3, pag. 4 seqq. — *cernat*, nempe amator, exspectans nimirum in ripa cymbam. Ipsa autem formula *cernere*, *videre Charontis navem*, l. *Stygem* frequenter ponitur de morti vicinis, et iis, qui inferos adierunt. Virgil. Aen. VI, 134, 373; Horat. Carm. II, 14, 17.

15 seqq. Suavissimus locus, Amator vel morti vicinus reviviscet, si modo fugientem animam revocaverit puella amata. Similis locus Meleagr. ep. LVIII, 5, 6, ubi animam nimio ardore iam fere exustam et tantum non extinctam, Amor novis alimentis, alloquiis, spe, excitat. Ovid. Pont. I, 5, 3: *cuius ab alloquiis anima haec moribunda revixit: Vt vigil infusa Pallade flamma solet.* Heroidd. XI, 63: *Mortua, crede mihi, ad tua verba revixi.* Conf. notata ad Prop. IV, 7, 24. — *aura*, id est vox, sonus, quia sonus aura propagatur. Sic Virg. Aen. VII, 646. Nam *aura* omnino poëtis est, quidquid sensu aliquo percipitur, vid. Wernsdorf. Poët. min. V, 1, pag. 412; Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 8, 63. — *concessum nulla lege*. Philetas pag. 59 ed. Krausii: ἀτραπὸν εἰς Ἀΐδεω ἤνυσα, τὴν οὔπω τις ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης. Catull. III, 10: *Qui nunc it per iter tenebricosum Illuc, unde negant redire quemquam.*

## ELEGIA XXVIII

### AD IOVEM PRO AMICA AEGROTANTE

Iupiter affectae tandem miserere puellae:
  Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus aestuat aër,
  Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina coeli,
  Quam toties sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas.
  Quidquid iurarunt, ventus et unda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus? illa peraeque
  Prae se formosis invidiosa dea est.
An contemta tibi Iunonis templa Pelasgae?

Elegia XXVIII

Iovi supplicat pro amica aegrotante, deos etiam inferos precatur, ut tam formosam puellam incolumem servent, sin minus, se una cum ea moriturum esse affirmat. Iam vero animum recipit, Cynthiamque servatum iri, deosque preces suas exaudituros esse laetus praevidet, atque ita initium carminis quamvis triste ac lugubre sit, exitus tamen eiusdem hilaritatem laetitiamque spirat. Caeterum compara Tibull. IV, 4.

1–4. *Iupiter*, Opitulus significatur, ab ope ferenda ita dictus; vid. Festus. – *affectae*, graviter aegrotanti, vid. Heins. ad Ovid. Trist. III, 3, 14. – *tuum crimen erit*, vitio tibi vertetur, si moriatur. Ovid. Amor. II, 11, 35: *Vestrum crimen erit talis iactura puellae, Nereidesque deae, Nereidumque pater.* – *Venit* etc. iam ferventissima aestas est, docte eam ab ortu *flagrantis Caniculae* (Horat. Carm. III, 13, 9) designat. Eiusmodi autem tempestate purgationes corporum difficiliores auctore Hippocrate Aphorism. 5, Sect. 4: ὑπὸ κύνα, καὶ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

5–14. Sed puellarum impietas, deorumque contemtus est causa morborum, quibus afficiuntur, non tam aestas torrens coelique intemperies. – *ventus et unda rapit.* Formula solemnis de iis, quae irrita cadunt, aut quorum memoriam obliteratam volumus. Ovid. Amor. II, 16, 46: *Verba puellarum, foliis leviora caducis, Irrita, quo visum est, ventus et unda ferunt.* Add. Catull. LXX, 4. – *collatam*, vid. ad I, 19, 16. – *peraeque*, non minus quam Iuno et Pallas. – *invidiosa*, pro invida, ut Ovid. Met. XV, 234. – *Pelasgae*, id est Graecae, Argivae, Virg. Aen. III, 547,

Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis;
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi, vexatae per multa pericula vitae,
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terras aetate vagata est:
Hanc miser implorat navita Leucotheen.

epith. ornans. – *Palladis oculos*, caesios, *ausa es negare bonos*, pulchros. Sic *bonus* Ovid. Amor. II, 7, 9. Conf. Heins. ad Ovid. Art. Am. II, 659 ubi exemplis demonstrat, Palladis oculos caesios nonnunquam improbatos et irrisos fuisse. – *parcere verbis*, abstinere impiis vocibus, ut Horat. Carm. III, 14, 11. – *hoc*, hunc morbum. Imitatus est Ovid. Heroidd. XV, 67 seq.: *Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit. Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.*

15-18. Quod si vel tibi moriendum sit, post lugubres aerumnas gaudia provenient tibi summa, post mortem felicior eris, et dea fies. Hanc explicationem exempla in medium prolata confirmant. – *extremo die*, die funeris et mortis, *mollior hora* felicior, ut *mollia fata* eleg. I, 7, 4. Horat. Carm. II, 16, 31: *Et mihi forsan, tibi quod negarit, Porriget hora.* Contra Manil. Astron. III, 552: *Si Fortuna diem foveat, sit durior hora.* — *Io*, vid. ad I, 3, 20. – *versa caput*, Ruhnkenius: Io, cuius caput, ut vaccae, in terram inclinatum erat, mugiverat. Paullo durius. Scilicet exornavit poëta notionem simplicem hanc: Io, aetate tenera, in iuventa, mutata est in vaccam. – *versa*, mutata est. – *caput*, vel positum est pro corpore toto, ut *ora* legitur eleg. 33, 11, 13, vel praecipue ad eius cornua caputque bovinum respicitur, sicut et alias cornua, vultus et vox mutata eiusdem deae coniunctim commemorantur, infra eleg. XXXIII, 9, 10. III, 22, 35: *Cornua nec valuit curvare in pellice Iuno Aut faciem turpi dedecorare bove.* Hinc et h. l. additur *mugiverat*; quo verbo significetur quoque accuratius, eam in *vaccam* mutatam fuisse. Et *caput*, vultus, commemoratur tanquam praecipua pars pulchritudinis puellae, ut Ovid. Met. I, 610: *Coniugis adventum praesenserat, inque nitentem Inachidos vultus mutaverat ille iuvencam.* – *Nunc – bibit*, ab Aegyptiis nunc sub nomine Isidis colitur. Ovid. Met. I, 747: *Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.* Conf. ad eleg. 33, 1.

19-30. *Ino*, iussu Iunonis, quae indigne ferebat, eam omnibus florere bonis, a Tisiphone, una cum Athamante coniuge, in furorem coniecta est. Quo facto Athamas Learchum filium saxo illidit, Ino autem cum Melicerta in mare se praecipitat. Cf. Ovid. Met. IV, 417 seqq., et notata ad eleg. 26, 10. – *vagata*, pro pervagata, quum mariti furorem fugeret. – *implorat nauta*, conf. Homer. Odys. E, 333 seqq.; Orpheus hymn. 73. –

Andromede monstris fuerat devota marinis:
  Haec eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
  Haec nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem,
  Illa sepulturae fata beata tuae;
Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo,
  Credet et illa suo docta puella malo.
Et tibi Maeonias inter Heroidas omnes
  Primus erit, nulla non tribuente, locus.
Nunc, utcunque potes, fato gere saucia morem:
  Et deus, et durus vertitur ipse dies.

*Andromede*, vid. ad I, 3, 4. – *Persei*, Iovis ex Danaë filius eleg. 30, 4. – *monstris*, plur. pro singul. monstro. – *Callisto*, Lycaonis Arcadiae regis filia, una comitum Dianae, quam a Iove constupratam, Diana e choro suo secedere iussit, et Iuno in ursam mutavit. Iupiter vero tandem eam inter sidera collocavit. Vid. Ovid. Fast. II, 155 sqq.; Met. II, 381 seqq.; Hygin. fab. 176, 177; Schol. Hom. Il. Σ, 487. – 24. *nocturna*, noctu navium cursum dirigit. – *fata*, intelliguntur Parcae, ut supra eleg. 15, 23. — *quietem*, mortem placidam. Virg. Aen. I, 249: *placida compostus pace quiescit* — *sepulturae fata*, pro sepultura, quam fata tibi properarunt, ut Tibull. I, 4, 31. – *fata senectae*, senectus, quam fato subire cogimur. – *beata*, quae te beatam reddent, quia post mortem dea fies, si tibi illa sepultura beata properarint quietem. Sed haud dubie legendum: *Ipsa sepultura facta beata tua*, vid. Obss. – 27. *Narrabis Semelae*, tibi periculum a deabus invidis Pallade aut Venere creatum; formam tuam magno tibi constitisse, quae tibi narranti facilius credet, sortem eandem experta. *Semele*, Cadmi Thebanorum regis filia, quae ex Iove Bacchum concepit, sed fraude Iunonis fulmine illius periit. Vid. Ovid. Met. III, 253 seqq.; Apollodor. III, pag. 171; Hygin. fab. 179. — *Maeonias*, puellas Asiaticas. Lydia a Maeonibus, priscis Lydiae colonis, dicta est Maeonia. Vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Del. 250. Sed Maeonia, monente Passeratio, ab ortu solis vicina Phrygiae, et Strabo lib. XII docet Maeonas et Phrygas paene eosdem esse, ut adeo h. l. puellae nobiles Lydiae, qualis Omphal fuit, et Phrygiae id est Troianae, conf. I, 19, 13, omninoque Asiaticae intelligantur Alii explicant, foeminae ab Homero, qui Maeonides dicitur, celebratae. Caet. imitatus est h. l. Ovid. Trist. I, 6, 33: *Prima locum sanctas Heroidas inter haberes, Prima bonis animi conspicerere tui.*

31–34. Iam solari Cynthiam incipit. – *saucia*, affecta, morbo laborans, cede deorum voluntati. – *deus*, Iupiter. – *vertitur*, mutatur. – *durus dies*, tristis; tristibus laeta succedunt. Horat. Carm. II, 10, 15: *Infor-*

Hoc tibi vel poterit coniux ignoscere Iuno.
  Frangitur et Iuno, si qua puella perit.
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi;
  Et tacet extincto laurus adusta foco.
Et iam Luna negat toties descendere coelo,
  Nigraque funestum concinit omen avis.
Vna ratis fati nostros portabit amores
  Caerula ad infernos velificata lacus.

*mes hiemes reducit Iupiter, idem Submovet.* Theocrit. Id. IV, 41: τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. Tibull. III, 6, 32: *Venit post multos* (tristes, duros) *una serena dies.* – 33. Ad Iovem se convertit oratio. Conf. Tibull. IV, 2, 3. – *hoc*, si mutaris, si Cynthiam servas, ei faves et propitius es. – *coniux*, significanter; coniux ob Iovis furta invidiosa formosis, quibus ille favet. – *frangitur*, movetur. Marklandus hunc versum recte intelligit de Iunone γαμηλίῳ, quae nuptiis praesidet, adeoque frangitur, affligitur, si qua puella moritur, et nuptiarum expers.

35–38. Nil valent artes magicae, ad te, magne Iupiter, confugimus, a te unice salutem auxiliumque exspectamus. – *rhombus*, Zauberkreisel, ἴυγξ. Theocrit. Id. II, 17: ῥόμβος ὁ χάλκεος ibid. vs. 30; sed Prop. III, 6, 26, *staminea rhombi rota*, hoc est trochus seu turbo, liciis nexus. Conf. interpp. ad Ovid. Fast. II, 575, ad Lucan. VI, 460; Ovid. Amor. I, 8, 7; Eustath. ad Dionys. Perieget. vs. 1131; Schol. ad Pindar. Pyth. IV, 380; Ernesti ad Xen. Mem. III, 11, 17; Vossius ad Virg. Ecl. VIII, 68, pag. 419 seqq. In rebus magicis rotabatur trochus, sive turbo, *sub carmine magico*, hoc est Graecorum more dictum pro, ad carmen magicum, praeeunte carmine magico, et rhombi vertiginem moderante. Sic Anacr. Od. VI, 4: ὑπὸ βαρβίτῳ, id est *ad barbiton*, ubi vid. Fischerus et quos laudavit. – *deficiunt*, nil prosunt ad Cynthiae morbum depellendum. – *tacet*, non crepat, quod mali ominis erat, contra boni, quum crepabat. Ovid. Fast. IV, 728: *Et crepet in mediis laurus adusta focis.* Tibull. II, 5, 81: *Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis — Laurus Iö bona signa dedit.* Vid. Potter. ad Lycophr. vs. 6. – *extincto foco*, mali quoque ominis, boni contra, quum flamma subito emicabat. – *Et – coelo*, vid. ad I, 1, 19. Luna quoque opem suam negat, qua sagas adiuvare alias solet. Nam ad magica descendere fingebatur, vid. Theocrit. Idyl. II, 10; Horat. Sat. I, 8, 21. – *nigraque*, vel omnino funesta, infelix, ut Ovid. Amor. III, 12, 2: *Omina non albae concinuistis aves.* Contra Tibull. III, 6, 8. – *niveis alitibus*, fausto omine; vel speciatim noctua, conf. Prop. IV, 3, 59.

39–46. *Ratis fati*, fatalis, quam omnes fato conscendere cogimur, est cymba Charontis. – *nostros amores*, nos duos amantes portabit. – *caerula*, Virg. Aen. VI, 410, *caerulea puppis.* ibid. 303, *ferruginea cymba*, id est nigra et funesta. Omnia quae ad Orcum pertinent atra, obscura, pal-

Si non unius, quaeso, miserere duorum:
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno;
Scribam ego: Per magnum salva puella Iovem.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedens longa pericla sua.
Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu
Persephones coniux saevior esse velis.
Sunt apud infernos tot millia formosarum:
Pulcra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum Iole, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphae.

lida dicuntur. Vid. Tibull. I, 10, 38. – *Si non unius* etc. Tibull. IV, 4, 21: *Phoebe, fave, laus magna tibi tribuetur, in uno Corpore servato restituisse duos.* Ovid. Am. II, 13, 15 ad Isidem de Corinna: *Huc adhibe vultus, et in una parce duobus; Nam vitam dominae tu dabis, illa mihi.* – 43. *damno*, obligo me votis ad carmen scribendum in tuum honorem, si Cynthiam servaveris, et optatis meis responderis. – *Damnare*, verbum hac in re proprium. Vid. Heyne ad Virgil. Ecl. V, 80; Brisson. de Form. I, n. 168, pag. 92. Affigere vult columnae templi Iovis donaria, conf. II, 14, 25, addita inscriptione ea, quam seq. versus refert. – *carmine*, docte pro titulo, inscriptione. Nam *carmen* est omnino omnis formula solemnis. Vid. Virgil. Aen. III, 287; Ovid. Fast. III, 547; Drakenb. ad Sil. IX, 266. – *ante tuos pedes*, ante pedes simulacri tui: *ante ora deum* Virg. Aen. IV, 62. – *adoperta*, velati sacra peragebant, Tibull. I, 3, 30; 5, 15; Barth. ad Stat. Theb. XII, 469, et *sedentes* operabantur diis, unde h. l. *sedebit*, vid. Heins. ad Ovid. Am. II, 13, 17.

47–56. Per apostrophen deos inferos, Proserpinam, cuius nomen graecum Persephone, et illius coniugem, Plutonem, alloquitur. – *Haec maneat clementia*, constans sit, permaneat, noli clementiam tuam in crudelitatem convertere, sed porro clementius Cynthiam tracta, vivam conserva. – *si licet*, si fas est, et fata sinunt. – *una*, quae in superis reliquas foeminas omnes formositate superat. – *Iole*, vid. Obss. Euryti regis filia ab Hercule amata, propter quam invidia exarsit Deianira. Ovid. Heroidd. IX, 6 seqq.; Met. IX, 279; Apollodor. II, 6, 2, cap. 7, 7. – *candida*, pulchra, ut Catull. LXIV, 309. – *Tyro*, Salmonei filia, vid. ad I, 13, 21. – *Europe*, Agenoris et Telephassae filia (vid. Moschus Idyl. II, 42) quam Iupiter in taurum mutatus rapuit. Conf. Ovid. Met. II, 833; Apollodor. III, 1, 1. – *nec proba*, improba. – *Pasiphaë*, uxor Minois, *quam corrupit torvi candida forma bovis* el. 32, 57; III, 19, 11; Apollo-

Et quot Iona tulit, vetus et quot Achaia formas,
Et Thebae, et Priami diruta regna senis.
Et quaecunque erat in numero Romana puella,
Occidit: has omnes ignis avarus habet.
Nec forma aeternum, aut cuiquam est fortuna perennis:
Longius, aut propius mors sua quemque manet.
Tu quoniam es, mea lux, magno demissa periclo,
Munera Dianae debita redde choros.
Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae:
Votivas noctes et mihi solve decem.

dor. III, 2, 1, cap. 15, 9; Ovid. Heroidd. X. – *Iona*, pro Ionia, ut Arabus pro Arabius, Cilicus pro Cilicius. – *Achaia*, Graecia, vid. Homer. Il. Γ, 75. – *in numero*, in pretio, in hanc classem referri digna. Sic *numerari* pro aestimari, censeri, Cic. Paradox. I, 2. Vid. Burm. ad Phaedr. IV, 24, 16. – *ignis avarus*, Ovid. Amor. III, 3, *avidus rogus*, rogi flamma avida et insatiabilis.

57–62. *Forma aeternum*, res aeterna. Graecorum more dictum; δειλότατον (scilicet χρῆμα vel πρᾶγμα) ὁ πλοῦτος· Aristoph. Plut. 202. Largam exemplorum messem suppeditat Fischer. Animadvv. ad Weller. vol. III, P. I, pag. 310 seqq. – *Longius – manet*. Horatius Carm. II, 3, 26: *omnium Versatur urna serius ocius.* Ovid. Met. X, 33: *Serius aut citius sedem properamus ad unam; tendimus huc omnes.* – *demissa*, liberata, ut eleg. sqq. 29: *somno demissa recenti.* – 60. *Munera redde*, offer victimas votivas. *Reddere*, verbum proprium de sacrificiis et muneribus, quae ex voto diis persolvuntur. Vid. Horat. Carm. II, 7, 17; Catull. LXV, 37. In sacris autem etiam *choros* ducebant, et laudes deorum canebant. Vid. Mitscherlich ad Horat. Carm. IV, 1, 25. – *Redde – iuvencae*, Isidi nunc in deorum concilium cooptatae, vid. ad vs. 18; intelligit pervigilium, excubias, quas Isidi pro valetudine recuperata Cynthia per decem noctes agere debebat.

## ELEGIA XXIX

### AD CYNTHIAM

Hesterna, mea lux, quum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat: (hos vetuit me numerare timor)
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant: quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum.
Hic erat; hunc mulier nobis irata locavit.
Dixit, et in collo iam mihi nodus erat.
Hic alter iubet in medium propellere: et alter,
Intereat, qui nos non putat esse deos.

Elegia XXIX

Propertio, qui de Cynthiae fide dubitarat, vinolento, nocturno tempore vaganti, obviam venit turba Cupidinum, eumque iniectis vinculis ad Cynthiam deducunt, quam non modo solam invenit, sed et de se sollicitam vs. 27 seq. fidissimamque. Praestantissimum carmen, sive inventionem spectes vividarumque imaginum varietatem, sive elocutionis poëticae ornatum.

1–12. *Servorum manus*, servos adversitores intelligit, quorum erat herum foris coenitantem domum reducere atque comitari. Barth. horum loco obviam ei veniunt alii pueri, servi, vid. I, 3, 10; nempe *turba minuta*, id est turba parvorum Amorum, ut Catull. XXV, 12, *minuta navis*, id est parva scapha. De Cupidinum sive Amorum innumerabili multitudine vid. ad I, 1, 2. Add. Claudian. de Nupt. Honor. vs. 72 sqq.: *Mille pharetrati ludunt in margine fratres, Ore pares, habitu similes, gens mollis Amorum.* – 5. *retinere*, pro tenere, ut *remiscere* pro miscere Horat. A. P. 151. *religatus* Ovid. Amor. I, 6, 1. Vid. Duker. ad Flor. II, 15, 12; Cortius ad Sallust. Iug. 4, 9. – *Sed*, atqui, tamen, praeterea, nudi erant. – *lascivior*, petulantior, insolentior. – *arripite*, id est comprehendite. — *hic erat*, pro est, quem scilicet quaerimus. – *mulier locavit*, docte pro Cynthia tradidit nempe excruciandum. – *hic*, pro tunc, ut II, 10, 22. – *qui – deos*, et vindices perfidiae. Caeterum Dorville in Obss. Miscell. Vol. V, T. 3, pag. 10, docet, magnis in calamitatibus homines saepe in deos acriter invehi solitos, ma-

Haec te non meritum totas expectat in horas,
  At tu nescio quas quaeris, inepte, fores.
Quae quum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
  Solverit, atque oculos moverit illa graves:
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
  Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite iam, fratres: iam certos spondet amores:
  Et iam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita mi iniecto dixerunt rursus amictu:

xime amantes in Venerem atque Cupidines; et laudat hanc in rem illud Rufini ex Anthol. Gr. lib. VII, pag. 618, edit. Obsop.: Εἰ μὲν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ερως ἴσα τόξα τιταίνεις, Εἶ θεός· εἰ δὲ ῥέπεις πρὸς μέρος, οὐ θεὸς εἶ, hoc est Grotio interprete: *Si iactu duo corda pari petis, es deus: hac si Vergunt tela, deus iam mihi non es Amor.*

13–17. *non meritum*, indignum, quem adeo ardenter amet, omnibusque diei et noctis horis exspectet, quum tam pulchram posthabeas aliis minus formosis. – *fores*, aliarum puellarum ignobilium limina quaeris. – *Quae quum* etc. Sensus: Cynthia adeo formosa est, ut non nisi ineptus (vs. 14) eam fugere atque negligere possit. Ornate hanc sententiam extulit poëta. – *mitrae*, mitra, fascia sive tegumenta capitis muliebria, vid. Burm. ad Ovid. Met. V, 53; Graev. Lectt. Hesiod. cap. XXIII; Ernesti Clav. Cic. h. v. – *nocturna ligamina mitrae*, pro nocturna mitra, quae nocturno tempore comas coërcet. – *Sidoniae*, pro Tyriae vel purpureae, ut purpuram ipsam Ovid. Trist. IV, 2, 27, *Sidonium ostrum* vocat. Et Stat. Theb. X, 643, *Sidonios amictus* memorat. – *oculos graves*, nempe somno, experrecta sustulerit. – *illa*, redundat. – *non-odores*, casia, myrrha, cinnamomum. Tibull. IV, 2, 18: *Cultor odoratae dives Arabs segetis.* Etiam Ovid. Heroidd. V, 154. – *gramina*, pro herbis medicinalibus ponuntur. Pertinet huc Marci Argentarii Epigr. in Huschkii Analect. pag. 160: Ισιὰς ἡδύπνευσε, καὶ εἰ δεκάκις μύρου ὄσδεις, Vbi vid. Huschkius. – 18. *Sed-manibus*, Venus enim vel Amores et Cupidines auctores eximiae praestantiae et pulchritudinis a poëtis perhibentur. Catull. XIII, 11 seq.: *Nam unguentum dabo, quod meae puellae Donarunt Veneres, Cupidinesque*, id est cuius odor adeo suavis est, ut ex Venerum et Cupidinum myropolio profectus videatur. – *Odores*, pro aromatibus passim. *facere odores*, unguenta odorata praeparare et conficere. Plin. H. N. XIII, 1, ubi de unguentis sermo: *invitque luxuria omnia ea miscere, et e cunctis unum odorem facere.*

19–22. A Cupidinibus diu multumque vexatus poëta, certos promittit amores, unde unus Cupidinum reliquos alloquitur verbis his: *Parcite vexato* etc. – *ad mandatam*, ad quam deducere iussi sumus. – *ecce*, quasi opinione citius, particula in rebus improvisis solemnis. – *iniecto rursus amictu*, vel de toga intelligendum,

I nunc, et noctes disce manere domi.
Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
Visere: at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior unquam
Visa, neque ostrina quum fuit in tunica.
Ibat et hinc castae narratum somnia Vestae,
Neu sibi, neve mihi quae nocitura forent.
Talis visa mihi somno demissa recenti.
Heu quantum per se candida forma valet!
Quo tu matutinus, ait, speculator amicae?
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis, sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu, vel si quis verior esse potest.

qua exuerant Cupidines Propertium, quum eum vinculis iniectis arriperent, et in medium propellerent, vel potius de cucullo, humerorum capitisque tegumento, quo inprimis noctu, vagantes per tabernas et lupanaria utebantur, ne cognoscerentur. Vid. Iuvenal. Sat. VI, 118, 130; VIII, 145; Ferrar. R. V. III, 23; IV, 20, 21. Hoc tegumento ademto Propertium agnoverant Cupidines, sed deinde iterum imposito hoc velamine eum dimiserunt. – *I nunc*, irrisionis formula. Ovid. Heroidd. III, 26; IX, 105; Amor. I, 7, 35.

23–30. *Si sola*, pro an sola, ut II, 3, 5. – *ostrina in tunica*, purpurea, vid. I, 14, 20. – *quum fuit*, quum eam primum viderem. Conf. III, 10, 15. *fuit in tunica*, tunicata fuit, vid. Obss. – *Ibat*, pro ire parabat, meditabatur. *castam Vestam* commemorat, quum et Cynthia ipsa in hoc carmine casta et pudica describatur. Solebant autem vett. ad depulsionem malorum somniorum, quam viderant speciem, narrare diis, ut Vestae, Soli. Vid. Turnebus Advers. lib. VII, cap. 26, et interpp. ad Soph. Electr. 427. – *nocitura forent*, nocerent, nocentia essent. – *neve mihi*, ergo sollicita de Prop. qui tamen eam ineptus vs. 14 fugiebat. – *Talis visa mihi* est, nempe formosissima, vix experrecta, nondum pexa, comta, ornata: quod indicium est formae auxiliis externis non indigentis. Vvlp. – *somno demissa*, quam somnus modo missam fecit, de se misit. – *recenti*, pro recenter, tritum. – *heu*, admirantis; et Quinctil. I, 6, *heu* asseverationem esse ait. – *candida forma*, formosa, vid. I, 2, 7. Tibull. I, 8, 24: *forma nihil magicis utitur auxiliis.*

31–42. *Quo* tu huc venis? qua mente? quo consilio? – *vestris moribus*, virorum perfidiae, levitati. – *cognitus unus*, cum uno rem habuisse. Sic *cognoscere* Ovid. Epp. VI, 133; Met. IV, 594; Catull. LXI, 147. Vid. Taubman. ad Plaut. Mostell. IV, 2, 13. – *verior*, constantior, certior. – *toro vestigia presso*, torus pressus a corpore iacentis; in quo apparent

Apparent non ulla toro vestigia presso,
  Signa voluptatis: nec iacuisse duos.
Adspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
  Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, et opposita propellens suavia dextra,
  Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custos excludor amoris.
  Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

## ELEGIA XXX

### AD EANDEM

Quo fugis, ah demens? nulla est fuga, tu licet usque

*vestigia*, seu indicia incubantis, atque h.l. haec vestigia sive figurae duorum corporum in lecto dicuntur signa perceptae voluptatis. – *toto corpore*, neque enim pectus tantum commovetur spiritu ducendo, sed et inprimis in respiratione vehementiore, totum corpus a ventre ad collum adsurgit, reciditque. Barth. nec oris anhelitus, nec palpitatio ulla oriatur, ut solet iis, qui in Veneris palaestra certarunt. – *spiritus*, pro suspiritus, ut I, 16, 32. – *admissum adulterium*, de violata pudicitia frequenter occurrit. Ovid. Art. Am. II, 381; Heroid. VII, 104. Vid. Broukhus. ad Tibull. I, 7, 62; Burm. ad Suet. vit. Calig. 21. – *et–dextra*, graphice, manu opposita prohibebat, arcebat me, osculari eam volentem. Horat. Epod. III, 22: *manum puella suavio opponat tuo.* – 40. *in–solea*, pro laxa solea pedem innixa, ut apud Ovid. Amor. III, 1, 31: *pictis innixa cothurnis.* – *custos*, speculator, observator, vs. 31, eleg. seq. vs. 9; Cic. in Caecil. 16. – *sancti amoris*, puellae, amicae castae.

#### Elegia XXX

Volebat Cynthia fortassis cum amatore quodam, lucri studio, ad Parthos vel Indos proficisci, causam interserens, se Romae traduci ob amorem. Conf. II, 16; III, eleg. 4 et 13. Ab hoc consilio eam revocare studet poëta, ita, ut callide praetereat veram huius consilii causam, et ostendat malos rumores de ipsorum amoribus sparsos negligendos, nec propterea Romam deserendam esse, vitam hilarem et iucundam convenire adolescentibus et poëticae rei studiosis, atque amorem nullo locorum intervallo fugari posse.

1–6. *Demens*, vid. I, 8, 1. – *ad Tanaim fugias*, longinqua fuga significatur. *Tanais*, Scythiae fluvius, pro Scythia ipsa ponitur, *terrarum*

Ad Tanaim fugias, usque sequetur Amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aëre dorso:
Nec, tibi si Persei moverit ala pedes.
Vel, si te sectae rapiant talaribus aurae:
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput: instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, et tollere nusquam

autem *termini Tanais et Nilus* habiti auctore Plin. Prooem. lib. III. Add. Lucan. Pharsal. III, 273 sqq.; Horat. Carm. III, 10, 1. – *usque sequetur Amor*, hanc sententiam expressit quoque Paulus Silentiarius lib. VII Anthol. Gr. Ep. 47, pag. 597: *Εἰ γὰρ τηλοτέρω Μερόης τεὸν ἴχνος ἐρείσεις, Πτηνὸς Ἔρως πτηνῷ κεῖσε τάχει με φέρει. Εἰ καὶ ἐς ἀντολίην πρὸς ὁμόχροον ἵξεαι ἠῶ, Πεζὸς ἀμετρήτοις ἕψομαι ἐν σταδίοις.* – *Non – pedes*, vel si insigni volandi currendive facultate instructa esses. – *Pegasus*, equus alatus, qui e sanguine Medusae in terram defluente natus perhibetur; eo per aërem vectus Bellerophon, Chimaeram interfecit. Fabula nota. Vid. Apollodor. II, 3; Prop. III, 3, 2. – *Perseus*, profecturus ad interficiendam Medusam a Mercurio, secundum alios a Nymphis alata talaria accepit, unde *pennipes* dicitur Catull. LV, 25. Vid. Apollod. II, 4, ibique Heyne pag. 295; Pausan. III, 17, pag. 251, ed. Kuhn. Hermann Handbuch der Mythologie B. I, pag. 82. – *moverit pedes*, volare fecerint alae. – *sectae talaribus aurae*, fissae, aër sulcatus. Ovid. Met. IV, 666: *Et liquidum motis talaribus aëra findit*, et Virgil. Aen. IV, 257 de Mercurio: *Haud aliter terras inter coelumque volabat, Litus arenosum Libyae ventosque secabat.* Talaria Mercurii nota. – *rapiant*, rapide ferant. – *nil – via*, sensus, nil tibi proderit, si vel *Mercurius celer* te *denso tollat* circumdet *aëre* Horat. Carm. II, 7, 13, te Amor assequetur. Fuga ipsa adornata est arte Homerica, qua heroës in vitae discrimen adducti nube a deo circumfusa tecti evadunt incolumes. Mercurio h. l. has partes assignavit Prop. quoniam poëtae in illius tutela erant, Vid. Mitscherlich ad Horat. l. c., et ad Horat. Carm. II, 17, 29. – *alta via*, periphrasis aëris.

7–14. Notio simplex: Amor in te dominabitur; hanc notionem praeclare exornavit poëta, ita, ut imagines desumserit a victoribus colla victorum calcantibus, vid. ad I, 1, 2, et a servis dominos superbos tergo gestantibus. Haud dubie animo poëtae haec scribentis nobiles picturae obversabantur. Cupido *super colla sedens* Herculis, et *supra caput instans*, ut Burm. ad l. c. monuit, cernitur in iaspide Regia apud Mariettum tom. II Lapidum incisorum n. 81, et in nummo antiquo apud Schlaegerum de Nummo Alex. M. cap. 8, tab. I, n. 6. Herculis *caput imposito pede premit* Cupido. Pertinet huc etiam Silentiarii Epigr. 49, lib. VII Anthol. Gr. – *ἐξότε γάρ μοι Λὰξ ἐπιβὰς, στέρνοις πικρὸν ἔπηξε πόδα, Ἄτεμφὴς, ἀδόνη-*

Te patietur humo lumina capta semel.
Et iam si pecces, deus exorabilis ille est,
Si modo praesentes viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri,
Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures:
Hic locus est, in quo tibia docta sones,
Quae non iure vado Maeandri iacta natasti,
Turpia quum faceret Palladis ora tumor.
Num iam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris?
Spargereque alterna communes caede penates,
Et ferre ad patrios praemia dira lares?

τος ἐνίζεται. — *Excubat*, eleganter comparatur Amor cum custode, qui acerrime et assidue speculatur et observat captivum. Vid. I, 1, 3 seqq. — *praesentes preces*, sera supplicatio minus movet, *quamprimum errata fatere* I, 9, 33. — *convivia*, per me licet morosi senes accusent et vituperent nostra pocula, nos genio indulgere et amare; more consueto nos porro vivamus. — *teramus iter*, similis allegoria supra eleg. 25, 38: *unusquisque sua noverit ire via.*

15–22. Senes illi morosi sibi ipsi canant prisca et severa maiorum instituta et praecepta, et iis obruantur, nos ea negligimus. Plaut. Mil. Glor. III, 3, 28: *Ecquid hic te oneravit praeceptis?* Pseud. II, 4, 74: *Onerabo meis praeceptis Simiam.* — 16. *hic locus*, in convivio tibia sonet, hilaritas regnet. — *docta*, ἀγαθὴ (vid. Fischer. Index Aeschin. h. v.) apta ad hilaritatem excitandam et promovendam. — *sones*, apostrophe elegans ad tibiam ipsam. Conf. Horat. Carm. III, 19, 18 seqq. — *Quae non iure*, immerito a Minerva abiecta es in Maeandrum, Phrygiae fluvium, quum te inflasset et vidisset genas intumuisse. Conf. Ovid. Art. Am. III, 505; Hygin. fab. 165; Aristot. Polit. VIII, 6. — *faceret turpia*, deformaret. — *dura*, convertitur ad Cynthiam. Num adhuc ire paras per Hellespontum, *Phrygias undas*, et mare Caspium, *Hyrcanum mare*, ad populos remotos et longinquos? — *litora nota* vocat regiones mari Caspio adiacentes, quoniam olim terrarum imperio illustres fuerant, et per Romanos denuo inclarescebant. BARTH. — *Spargereque*, lepide irridet amicam, longum iter suscepturam, ut amatoris oculos fugiat, et securius libidini indulgere, lucrique sitim explere possit, non vero profecturam ad rem gerendam cum hostibus. — *communes penates*, Cynthiae et Propertii. — *alterna caedes* fit in bello, quum modo hi, modo illi caeduntur. *spargere*, conspergere *penates*, poëtica locutio; qui proeliis et caedibus interest, polluitur et ipse, et Penates domum reversus

Vna contentum pudeat me vivere amica?
  Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.
Mi nemo obiiciat: libeat tibi, Cynthia, mecum
  Roscida muscosis antra tenere iugis.
Illic adspicias scopulis haerere sorores;
  Et canere antiqui dulcia furta Iovis:
Vt Semele est combustus, ut est deperditus Io:
  Denique ut ad Troiae tecta volarit avis.
Quod si nemo exstat, qui vicerit alitis arma,
  Communis culpae cur reus unus agor?
Nec tu Virginibus reverentia moveris ora:
  Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus.

polluit. Vsus est hac formula et Virg. Aen. IV, 21: *et sparsos fraterna caede penates.* – *praemia*, praedam, ut Ovid. Met. VI, 518. – *dira*, utpote tot hominum sanguine parta.

23–30. Expostulat cum inimicis ipsum culpantibus, et de suo in Cynthiam amore malos rumores spargentibus, atque simul suam constantiam praedicat, redit deinde vers. 25 ad Cynthiam. Pudeatne me, quod Cynthiam unice amem, una puella contentus sim? – *hoc si.* Plaut. Aulul. IV, 10: *deus mihi impulsor fuit, is me ad illam illexit.* – 25 seqq. *mi – obiiciat*, nempe illud crimen. Iam Cynthiam doctam et Musarum amantem puellam invitat, ut urbem deserat et secum in nemora atque antra secedat, ibique amatoria secum carmina pangat. Egregii versus, sententiarum verborumque dilectu. – *roscida*, vid. lib. I, 20, 36, *antra*, delicias poëtarum esse, pluribus docet Bentleius ad Horat. Carm. I, 32. Poëtae, phantasiae vi abrepti, in deorum concilium admittuntur, cum diis et Musis versantur, vid. interpp. ad Horat. Carm. I, 1, 29 sqq. hinc praeclare addit poëta: *Illic – sorores.* — *haerere*, pro insidere, graphice, ut Horat. Carm. III, 24, 55. – *antiqui furta Iovis*, pro furta antiqua, ut *pristina furta* II, 2, 4. *furta*, adulteria, Catull. LXVIII, 136, 140. – *Semela*, vid. II, 28, 27. *combustus Semela*, exquisite, nempe amore, quam et ipsam fulmine combussit. – *Io*, vid. II, 28, 17. – 30. *Denique – avis*, loquitur de Iove in aquilam verso, ut raperet Ganymedem, vid. Apollod. III, 12, 2, ibique Heyne; Lucian. Dial. Deor. XX, 6; Mitscherlich. ad Horat. Carm. IV, 4, 4. – *Troiae tecta*, pro ipsa Troia et agro Troiano. De loco raptus differunt poëtae, plerique Idam montem commemorant, ut Horat. Carm. III, 20, 15 alii.

31–40. *Alitis*, Cupidinis, *puer ales* dicitur Horat. Carm. III, 12, 4. *puer volatilis* Ovid. Am. II. 7, 27, πτεροφόρος. – *arma*, ignes et arcus. – 33. *Virginibus*, Musis. – *moveris ora*, movere poteris scil. pudore, ruborem exprimere iis, tua praesentia, nam et ipsae amant. – *reverentia ora*,

Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
Bistoniis olim rupibus adcubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
Et medius tecta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine te nostrum non valet ingenium.

## ELEGIA XXXI

### AD CYNTHIAM

Quaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
Porticus a magno Caesare aperta fuit.

αἰδοῖα πρόσωπα. – 35. *Si tamen*, si alias, dubitantis specie dicta confirmat. – *quaedam*, verecunde nomini pepercit. Intelligitur Calliope, quam Oeagrus, rex Thraciae, compressit, eius filii ex Oeagro Linus et Orpheus Apollodor. I, 3, 2. – *Oeagri figura*, idem quod Oeagrus. – *Bistoniis*, id est Thraciae. Bistones enim inter celeberrimos Thraciae populos fuerunt, hinc poëtae eos saepius pro Thracibus nominant. Sic Apollon. Argon. II, 706, φόρμιγγα dicit Βιστονίην, quam vs. 161 Ὀρφείην φόρμιγγα appellat. Ovid. *Bistonius ensis* ex Ponto IV, 35. – *Hic*, nempe inter Musas; coll. vs. 27. – *prima in parte choreae*, tanquam ἀρχίχορος, χοροῦ ἡγεμών, chori dux, vid. Spanhem. ad Callim. Lavacr. Pall. 67; Horat. Carm. II, 19, 1 seqq. – *medius Bacchus*, μεσόχορος, qui totum chorum ducit. – *tecta cuspide*, intelligitur thyrsus, hastae cuspidem sub hedera occultans. Vid. ad III, 3, 33. — *corymbos*, coronam hederaceam. — 39. *capiti*, in caput, in tempora dependere; sinam mihi ex hedera coronam imponi cum corymbis. Coronis hederaceis coronabantur poëtae, vid. II, 5, 26; IV, 1, 62. Add. IV, 6, 75. Sensus: tunc tecum carmina amatoria pangam, et poëta, hoc nomine dignus, ero. Sed quanto ornatius haec poëta expressit!

Elegia XXXI

Porticum ac templum a Caesare Augusto Apollini in Palatio A. V. DCCXXVI perfectum et dedicatum describit et laudat, atque ob hanc porticus inspectionem retardatum suum adventum Cynthiae excusat. Conf. Horat. Carm. I, 31; Ovid. Trist. III, 1, 58. Fragmentum longioris carminis deperditi haec elegia videtur.

1–4. *Aurea*, praestantissima, noto poëtarum loquendi usu. – *aperta*, ergo absoluta, dedicata, publicata. –

Tota erat in speciem Poenis digesta columnis:
  Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phoebo visus mihi pulchrior ipso
  Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
  Quatuor artifices vivida signa boves.
Tum medium Clario surgebat marmore templum,

*digesta*, distincta et ordine structa. – *in speciem*, ad ornatum et splendorem, pour parade, *elaboratus ad speciem* Macrob. Sat. II, 9. Vid. interpp. ad Claudian. Bel. Gild. vs. 507. Porticus erat columnis Poenis speciose digestis ornata, hinc: *Poenis columnis* intelliguntur columnae e marmore Numidico. Marmor Numidicum nobilissimum, pavimentis maxime et columnis, ob duritiem a veteribus adhibitum. Vid. Plin. XXXVI, 8. – *inter quas*, columnas, in intercolumniis, in quibus signa et statuae poni solebant. Vid. Plin. XXXVI, 15. Danaidum (vid. II, 1, 67) quinquaginta effigies conspiciebantur in porticu templi Apollinis Palatini; v. Scholiast. Persii Sat. II, 56; Ovid. Am. II, 2, 4. – *femina turba*, pro turba foeminea.

5–8. *Hic*, in hac porticu. – *equidem*, vid. Observ. – *Marmoreus*, nempe Phoebus: scilicet statua Phoebi. – *hiare*, graec. χανεῖν. Callim. hymn. in Apoll. 24 de statua Niobes: Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀϊζυρόν τι χανούσης. Vid. III, 3, 4. Significatur statuae praestantia, Apollo marmoreus tanta arte fabrefactus, ut vivere et ad lyram canere videretur. Per *marmoreum Phoebum* intelligo cum Santenio et Burmanno Augustum, *cui simulacrum factum est cum Apollinis cunctis insignibus*, quae sunt verba Servii ad Virg. Ecl. IV, 10: hanc statuam sibi Augustus posuerat in Bibliotheca, vid. Acro ad Horat. Ep. I, 3, 17, quae porticui vicina erat vel forte in ea. Vid. Ovid. Trist. III, 1, 64. — *tacita lyra*, apposite, de statua. – *steterant*, pro stabant. *armenta*, quatuor boves aeneae. Cic. Verr. IV, 60: *quid Athenienses, ut ex marmore Iacchum, aut Paralum pictum, aut ex aere Myronis buculam.* Myron statuarius nobilissimus, Eleutheris natus, cuius inprimis ars in formandis bobus admirabilis fuit, vid. Plin. H. N. XXXIV, 8; Petron. cap. 88; Auson. epigr. 57–60; Ovid. Pont. IV, 1, 34; Anthol. Gr. epigr. IV, 7, pag. 302 seqq. – *artifices boves*, artificiose elaboratae, ut *vultus artifex* Pers. V, 40; vide Miscell. Obss. vol. V, tom. III, pag. 17. — *vivida signa*, ita elaborata, ut vivere ac spirare viderentur. Nam *vivere* frequenter de signis, marmoribus, et picturis artificiose factis occurrit. Virgil. Aen. VI, 849: *vivos ducent de marmore vultus.* Anacr. Epigr. 5; vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 225.

9–fin. *Clario*, Claros oppidum Ioniae, iuxta Colophonem, Apollinis templo et oraculo nobilissimum, qui inde *Clarius* dicitur, vid. Strab. XIV, pag. 442; Pausan. VII, pag. 405. – *surgebat*, verticem extollebat, inter

Et patria Phoebo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valvae Libyci nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnassi vertice Gallos,
Altera moerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

columnas marmoreas, quibus undique cinctum erat. – *templum Clario*, Apollini, *carius*, acceptius ipsa *patria Ortygia*. Ortygia, unum ex vetustis nominibus Deli, Apollinis patriae, vid. Spanhem. ad Callim. h. in Apoll. 59, et Del. 255; Solin. cap. 18 init. – *auro*, ex auro, aureus, ut Virg. Aen. VII, 673: *Et circum argento clari delphines in orbem Aequora verrebant.* Homer. Il. Z, 504: τεύχεα χαλκῷ. Fastigiis templorum simulacra deorum curru vecta, imponi solita, observat Passerat. Vid. Festus in *Ratumona*. – 12. *Libyci dentis*, valvae ex ebore. Nam Libya elephantis plena. – *Altera* valvarum referebat Gallos, duce Brenno, praedae cupiditate, fanum Apollinis Delphici in monte Parnasso invadentes, sed ab Apolline deiectos e montis sui vertice. Nempe terrae motu tunc temporis pars montis abrupta, Gallorum stravit exercitum, et insecuta tempestas grandine ac frigore plurimos absumsit. Vid. Iustin. XXIV, 6, seq.: Callim. hymn. in Del. 172, ibique schol. *Altera* valvarum moestis figuris exhibebat interemtam Apollinis et Dianae sagittis Niobes sobolem. – *Tantalis*, Niobe, vid. ad II, 20, 7: ἡ Ταντάλου παῖς Anacr. Od. XX, 1. – *Deus ipse*, Apollinis Palatini statua (ut *stat Agenor*, id est eius statua, Sil. Ital. I, 88, ubi vid. Rupert.), Scopae opus, v. Plin. H. N. XXXVI, 5. — *matrem*, Latonam, *sororem*, Dianam. – *in longa veste*, in palla talari citharoedica, qua subinde in nummis antiquis amictus occurrit Apollo, citharam gestans. Vid. Spanhem ad Callim. h. Apoll. 32. – *carmina sonat* ore et plectro. Coll. vs. 5, 6.

## ELEGIA XXXII

### AD EANDEM

Qui videt, is peccat: qui non te viderit, ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.
Nam quid Praenestis dubias, o Cynthia, sortes?
Quid petis Aeaei moenia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?

Elegia XXXII

Ait Cynthiae fidem se suspectam habere, quod toties Roma discedat, et taedium urbis ac religionem amoribus suis praetendens, petat loca a multis hominibus frequentata; dehortatur ergo eam ab hac consuetudine, sed amore in puellam flagrans incredibili, et ne eandem nimis irritet, Cynthiam semel iterumque peccantem, a gravioribus tamen sceleribus abstinentem, e communi dearum hominumque consuetudine defendit.

1–6. *Qui videt*, nempe te; alloquitur Cynthiam. Probe nosti te omnes, qui te modo viderint, ad amorem pellicere, et hanc ipsam ob causam, quoniam inconstans, mutabilis es, petis loca celebratissima extra Romam. — *peccat*, amat, amori succumbit; te videre idem est quod amare, scilicet peccare, nam *peccare* poëtis omnino est amare. Vid. Tibull. IV, 7, 9; Horat. Carm. I, 27, 17; Sat. I, 2, 62. — *Crimina*, pro crimen, id est causa et culpa facti. — *lumen*, pro lumina, oculi; et eleganter oculi dicuntur facti crimen habere, scilicet notam criminis sustinere, gr. αἰτίαν ἔχειν. Oculi enim sunt in amore duces, vid. ad I, 1, 1. — *Nam quid*, recte Barthius *nam* non pro interrogandi particula, *quidnam?* capit, sed pro causali, quae rationem reddit omissae sententiae: *id te non fugit*, te nempe omnes, qui te viderint, ad amorem pellicere, idque captas, dum in celebritate versari cupis. Nam cur alias peteres celebratissima loca extra Romam? — 4. Iam nominat secessus Romanorum consuetos, Praenestinum, Tusculanum, Tiburtinum, de quibus etiam Statius Sil. IV, 4, 14 seqq. — *Praeneste*, Latii oppidum, in monte situm, hinc *altum* Virg. Aen. VII, 682; conf. Strabo V, pag. 365; Plin. III, 5, quo aestate secedere solebant Romani, frigoris captandi causa. Oppidum illud celebre quoque erat templo Fortunae, unde oracula, et *sortes* Praenestinae edebantur. Vid. Cic. de Divin. II, 41. Cynthia ergo sub causa religionis illud oppidum petebat. — *Aeaei Telegoni moenia* intelliguntur Tusculum, Frascati, ab Telegono, Vlyssis ex Circe filio, unde *Aeaeus* dicitur (vid. ad III, 12, 31), conditum. Ovid. Fast. III, 92: *Factaque Telegoni moenia celsa manu.* Conf. Mitscherlich. ad Horat. Carm. III,

Appia cur toties te via ducit anum?
Hoc utinam spatiere loco, quodcunque vacabis,
Cynthia! sed tibi me credere turba vetat.
Quum videt accensis devotam currere taedis
In nemus, et Triviae lumina ferre deae.
Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus aulaeis nobilis Attalicis:

29, 8. — *Tibur*, hodie Tivoli, oppidum Latii amoenissimum in declivi collis parte positum. Vid. Horatius Carm. I, 7, 12; III, 4, 24; Iuvenal. III, 192. Herculi dicatum, unde *Herculeum* hoc loco. Vid. Cellar. O. A. II, 9; tom. I, pag. 803; Drakenb. et Ruperti ad Sil. It. IV, 224; Heyne ad Virgil. Aen. VII, 81, 670, Excurs. VIII. — *Appia via*, et his verbis Cynthiam carpit ob vagos amores, quibus plena erat Appia via, ita dicta ab auctore suo Appio Claudio Caeco. — *anum*, monent, Propertium vel ira, vel etiam nimia familiaritate ductum, ita appellasse Cynthiam. Horat. IV, 13, 2: *Fis anus, et tamen Vis formosa videri*; add. Propert. II, 18, 20; sed vid. Obss.

7-10. *Hoc loco*, Romae vagare et hac illac circumcursa, quidquid temporis otiosa es et vacua: indignabundus autem addit: sed non credo tibi affirmanti, te, quum tibi otium sit, et religionis causa, et vero etiam urbis taedio illa loca petere, tibi me credere turba vetat, non tam urbem, quam potius me fugis, vs. 18. — *accensis currere taedis*, de hoc ritu, in sacris quibusdam, velut Cereris, Proserpinae, faces ferendi, vid. Meurs. Graec. fer. lib. V, v. λαμπὰς; et Dorvill. Obss. Misc. vol. V, tom. 3, pag. 18. — *Nemus*, intelligitur nemus et ara Dianae Aricinae, in agro Aricino. Aricia, Latii oppidum, sub monte Albano. Ovid. Fast. VI, 59. Lucus Dianae vocatur Ἀρτεμίσιον a Strabone V, pag. 366 ed. Almel. Verba ibi sunt: τὸ δ' Ἀρτεμίσιον ὃ καλοῦσι νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαινούσης. Τῆς δ' Ἀρικίνης τὸ ἱερόν. Sacra Aricinae Dianae describit Ovid. Fast. III, 263 seqq.; add. Gratius in Cyneg. 483; interpp. ad Horat. A. P. vs. 16; Cluver. Ital. Ant. III, pag. 921 seqq.; Prop. III, 22, 25. — *Triviae deae*, Dianae, tritum.

11-16. Scilicet, pergit, sordet tibi urbs adeo magnifice exstructa. Ironiam huic et seqq. duobus distichis inesse nemo non videt. — *Pompeia porticus*, est porticus, quam Pompeius prope theatrum a se exstructum instituit, IV, 8, 75; vocatur *Pompeia umbra*, nam ad Pompeiam porticum fuerunt quoque nemora variis arboribus consita, vid. interpp. ad Ovid. A. A. I, 67: hinc et *creber — ordo*, hoc est series platanorum ordine satarum et dispositarum, quarum summi rami ad eandem magnitudinem tondentur, hoc est *pariter surgentibus*. Martial. II, 14: *Inde petit centum pendentia tecta columnis, Illinc Pompeii dona, nemusque duplex*. Horat. Epp. I, 10, 22: *Nempe inter varias nutritur silva columnas*, hinc hoc loco *umbrosis columnis*. Praeterea aulaea iisdem colu-

Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quaeque Marone cadunt:
Et leviter Nymphis tota crepitantibus urbe,
Quum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris, ista tui furtum via monstrat amoris.
Non urbem, demens, lumina nostra fugis.
Nil agis: insidias in me componis inanes:
Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est: famae iactura pudicae
Tanta tibi miserae, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me laedit ad aures
Rumor, et in tota non bonus urbe fuit.
Sed tu non debes inimicae credere linguae;
Semper formosis fabula poena fuit.

mnis suspensa erant ad commoditatem ambulantium: dicuntur *Attalica aulaea*, hoc est splendidissima, auro interstincta, quae in aula Attali, Pergami regis, primum inventa sunt. — *flumina*, aquae per tubos ductae ad irrigandas platanos. – *Marone*, intelligitur statua, scilicet signum Maronis, e quo aquae cadebant. Vid. Obss. – *sopito*, fluviorum enim ac Nympharum statuas in plerisque antiquis monumentis dormientes reperiri observat Broukhus. ad hunc locum. – 15. *Nymphis*, statuis Nympharum. – *crepitantibus*, murmurantibus, resonantibus, prop. hoc verbum ad aquam pertinet, sed hoc loco ad ipsas Nympharum statuas relatum est. Simili modo Horat. Carm. I, 7, 18, *domus Albuneae resonantis* dixit. – *recondit*, explicant emittit, iaculatur, ut sensus sit: sordent tibi aquae, tam quae cadunt e statua Maronis, quam quae ex signis Nympharum, quum Triton e lacu suo magnam aquae copiam ad reliquas statuas et porticum Pompeii per tubos emittit. Sed haec verbi significatio idoneis exemplis comprobari nequit. Itaque potius cogitandum est de statua Tritonis affabre facta, quae subito, aquam modo recondebat, absorbebat, modo promebat, emittebat.

17–30. *Ista – amoris*, illud iter furtivos et clandestinos tuos amores arguit. – *lumina nostra*, exquisite pro *me*, times, ne te observem. – *nil agis*, proverbialis locutio, de irrito conatu. Ovid. Fast. VI, 123; Amor. III, 4, 2. – *docto*, harum rerum perito, et prudenti, el. 28, 28: *Credet et illa suo docta puella malo.* Sic et gr. σοφὸς est quilibet intelligens, peritus, expertus, praecipue in amore. – *de me*, quod me attinet, ut supra el. 18, 29. — *minus est* damni, non de me nunc loquor. – *Nuper*, nuperrime, recentissime. – *rumor ad aures* perveniens. Vid. Obss. – 25. *Sed tu*, etc. Vid. Obss. Alloquitur poëta se ipsum. — *semper - fuit*, ipsa pulcritudo facit, ut sermonibus differantur

Non tua deprenso damnata est fama veneno:
  Testis eris puras, Phoebe, videre manus.
Sin autem longo nox una aut altera lusu
  Consumta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
  Et sine decreto viva reducta domum est.
Ipsa Venus quamvis corrupta libidine Martis,
  Nec minus in coelo semper honesta fuit.
Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse,
  Atque inter pecudes adcubuisse deam:

formosae. – *non – veneno*, non vituperaris, quod sis venefica, non veneficii, hoc est omnino gravioris sceleris accusaris, a quocunque infamiae gravioris crimine immunis es. Satis piam poëta Cynthiam existimat, si a gravibus sceleribus, caede, veneficiis aliena sit, vid. Heyne ad Tibull. III, 4, 60. – *Testis Phoebe*, Solem omnia videntem, innocentiae testem vel vindicem, invocabant scelerum falso accusati. Vid. Sophocl. Oed. Tyr. 1425; Homer. Odys. Λ, 108; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 241, 692 seq. – *puras*, veneficio non inquinatas. – *lusu*, ludere est idem quod peccare, id est amare, amori succumbere, nominatim hoc loco adulteria committere. — *consumta est* lusu venereo. Cohaerentia: non credo linguae inimicae; non gravioris sceleris accusaris: quod si vero etiam interdum praeter me alios amasti, hoc me minime movet, est parvum crimen.

31–40. Sequuntur exempla dearum, foeminarumque, quae peccarunt, et amori succubuerunt. – *Tyndaris*, Helena, filia Tyndari, Menelai Spartanorum regis uxor, a Paride, Troiano rapta. – *Sine decreto*, sine ducum graecorum suffragiis, quibus nihil inclementius in eam propter patriam maritumque relictum statutum fuit, intercedente Menelao marito, quem non movit, quod suas noctes cum Paride consumserat, incolumis in Menelai domum reducta est. Cynthiae non minus commodum se fore Propertius hac elegia promittit, vid. vs. 62. – *Decretum*, de iudicum sententia quoque legitur apud Ovid. Trist. II, 131. – *Nec minus*, pro non minus, sic *nec opinantes* Terent. Andria, I, 2, 9. Vid. Pareus Lexic. Crit. voc. *nec* pro non. Festus in voce *nec*. Caet. de Veneris et Martis adulterio conf. Hygin. fab. 148; Ovid. Metam. IV, 167 seq.: Homer. Odys. Θ, 266 seqq. — 35. *Quamvis Ida Parim*, quamvis Parim, qui expositus olim, in Idae cacumine aliquamdiu vitam pastoritiam egit (vid. Virgil. Ecl. II, 60; Lucian. tom. I, pag. 253 Reit.), amaverit Oenone, Nympha, tamen semper honesta fuit, nec exclusa consortio reliquarum Nympharum. De Oenones et Paridis amoribus vid. Ovid. Heroidd. V; Apollod. III, 12, 6; et Heyne pag. 764. *Ida dicat*, testetur. – *adcubuisse*, ut I, 3, 3; II, 30, 36. – *deam*, Nymphae hoc nomine etiam insi-

Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum,
  Silenique senes, et pater ipse chori.
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro
  Supposita excipiens, Nai, caduca manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit,
  Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
  Si contra mores una puella facit!
Haec eadem ante illam impune et Lesbia fecit:
  Quae sequitur, certe est invidiosa minus.
Qui quaerit Tatios veteres, durasque Sabinas,
  Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
  Altaque mortali deligere astra manu:
Quam facere, ut nostrae nolint peccare puellae.
  Hic mos Saturno regna tenente fuit.
Et quum Deucalionis aquae fluxere per orbem,

gnuntur, ut probavit Ruhnkenius, qui hoc loco a coniecturis abstinendum arbitrabatur. Recte, nam et in monumentis antiquis *deae Nymphae* occurrunt. Vid. Reines. pag. 193, 221; Murator. pag. 67, 1; Servius ad Virg. Aen. I, 72: et Nymphas in numinibus numerat Iupiter apud Ovid. Met. I, 192. – *Hamadryadum*, vid. I, 20, 32; pro Nymphis in genere h. l. commemorantur. - *pater chori*, princeps ac rector, id est Bacchus. — *sub*, pro *ad*, *iuxta*, vid. II, 25, 17. – *Nais* est Oenone, quae excepit poma caduca, id est cadentia, de quo voc. usu vid. ad IV, 2, 53.

41–62. *stupra*, sunt ipsae foeminae stupratae, vid. IV, 7, 57. - *examine*, multitudine, ut *iuvenum examen* Horat. Carm. I, 34, 30. *servorum* Cic. Harusp. 12. – *nimium felicem*, Roma felicissima esset, si una puella, Cynthia, a moribus seculi corrupti aliena esset. – *Lesbia*, Catulli amica, vid. Catull. LVIII. – *sequitur* alterius exemplum, quae ad exempla, non prima peccat, *invidiosa minus*, excusanda est, sibi minus invidiae et offensionis contrahit. – *Tatios*, vid. IV, 1, 30; IV, 4; summa *Sabinarum* mulierum castitas, morumque severitas praedicatur. Vid. Martial. I, 62; Horat. Epod. II, 40, 41; Ovid. Am. II, 4, 15. – *nuper*, demum; peregrinus et hospes est. – 50. *deligere*, decerpere, deripere. Ovid. Heroidd. IV, 30; Horat. Sat. II, 8, 32; Graev. ad Cic. in Vatin. cap. 14; Heins. ad Ovid. Rem. Am. 189. – *Saturno regna tenente*, aureo seculo. Contra Iuvenal. VI, 1: *Credo pudicitiam Saturno rege moratam In terris*. – 53.

Et post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
Quae dea cum solo vivere sola deo?
Vxorem quondam magni Minois, ut aiunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minus aerato Danaë circumdata muro,
Non potuit magno casta negare Iovi.
Quod seu tu Graias, seu sis imitata Latinas:
Semper vive meo libera iudicio.

De diluvio tempore *Deucalionis*, Thessaliae regis, vid. Ovid. Met. I, 253 sqq. ibique Gierig.; Hygin. fab. 153; Apollodor. I, 7, 2. – *antiquas D. aquas*, pro antiqui Deucalionis aquas. – *uxorem Minois*, Cretensium regis, intelligitur Pasiphaë, vid. eleg. 28, 52. – *magni*, nobilis III, 19, 27. – *Danaë*, vid. ad II, 20, 12. – *casta*, subint. quamvis l. licet. – 60. *negare Iovi*, Iovem potentem recusare, ut *negare coenis*, die Mahlzeiten auschlagen, Martial. XIII, 7, 2. – *quod*, pro *quare*, vel *sed*, vid. Manutius ad Cic. ad Div. VIII, 14, pag. 595; XIV, 4, pag. 844 ed. Richt., vel redundat, vid. Kortte ad Cic. ad Div. XIII, 40, 3. – *sis imitata*, imiteris. – *Graias*, heroinas, sive puellas Romanas. – *libera iudicio*, tibi non iudex sedebo, te non damnabo, id est te amabo. Respicit poëta vs. 32 Menelaum et Helenam. – *vive*, pro eris, esto; sed hoc verbo usus est, quoniam vs. 32 legitur: *viva reducta domum est*. Similis locus I, 15, 32: *Sis quodcunque voles, non aliena (irata) tamen.*

# ELEGIA XXXIII

## AD CYNTHIAM

Tristia iam redeunt iterum solennia nobis:
  Cynthia iam noctes est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quae sacra tepente
  Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quae dea tam cupidos toties divisit amantes,
  Quaecunque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Iovis occultis in amoribus, Io,
  Sensisti, multas quid sit inire vias:

Elegia XXXIII

Superstitiosam puellam Cynthiam fuisse non minus quam Tibulli Deliam, vid. Heyne ad Tib. I, 3, 23, necesse est, coll. eleg. 32, 3 (et eiusmodi foeminas libenter amori indulgere, aiunt) quippe quae etiam peregrina, Aegyptiaca sacra, Isiaca, quae tunc temporis Romae invaluerant, coluit. Conf. de sacris Isiacis Herodot. II, 61; Lucan. VIII, 831; Diod. Sic. I, 22; Apulei. Metam. XI, pag. 260 sqq. ed. Elmenh. Vulp. et Broukhus. ad Tibull. l. c. Pitture antiche d'Ercolano Tab. 59, 60. In sacris Isiacis matronae in casto esse debebant per decem dies, hoc est lavare, a vino et Venere abstinere. Quoniam igitur poëta Cynthiae amplexibus solitis, quum ea sacris Isidis operaretur, frui non poterat; ideo hoc in carmine de Cynthiae secubitu queritur, et sacra Isidis et ipsam deam detestatur. Sed Cynthia libenter quoque genio indulgebat, et inter pocula cum amatoribus iocari et lascivire solebat, coll. eleg. 30, 13. Poëta igitur, cui nec finitis sacris, puella difficilis et aspera copiam sui fecisse, imo eum eiusmodi convivio exclusisse videtur, Cynthiam castam Isidis cultricem, in altera carminis parte hortatur, ne nimium bibendo formam corrumpat.

1–12. *Solennia* sacra Isidis dicuntur. – *tristia*, molesta, ob Cynthiae secubitum. – *est operata*, deam religiose coluit. Vid. Tibull. II, 1, 9; Horat. Carm. III, 14, 6. – *pereat*, imprecatur Isidi. – *Nilo tepente*, ex Aegypto. Nilus dicitur *tepens* propter ferventissimum solis ardorem in Africa, quia *tepentem* Aegyptum irrigat, et per ardentia currit. Vid. Drakenb. ad Sil. VI, 289. – *Inachis*, Io, Isis, vid. ad I, 3, 20; II, 28, 17. – *cupidos*, incensos potiundi cupiditate. – *quaecunque illa fuit*, et virgo, et vacca, et dea. – *amara*, vs. 19 *saeva* dicitur. – *multas – vias*, quum esses vacca, experta es malo tuo, quid sit multum vagari, et abesse ab eo, quem ames. Ovid. Heroidd. XIV, 87: *At satis est poenae teneram mugisse puel-*

Quum te iussit habere puellam cornua Iuno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah! quoties quernis laesisti frondibus ora:
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Iupiter, idcirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
Cur tibi iam longa Roma petita via?
Quidve tibi prodest, viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.
Aut nos e nostra, te, saeva, fugabimus urbe,
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu, quae nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui ter faciamus iter.

*lam: Nec modo formosam posse placere Iovi.* 101 sqq. *Per mare, per terras, cognataque flumina curris, Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.* – *iussit cornua habere*, coëgit, quia Iupiter coactus Iunonis metu te in vaccam mutavit. – *perdere verba*, vocis humanae usum amittere mugitu. – 11. *Ah – ora.* Ovid. loco citato 96: *Fronde levas nimiam cespitibusque famem.* – *mansisti*, repete ah quoties.

13–20. *Agrestis figura*, est θηριώδης, ferina. – *detraxit.* Ovid. Met. I, 738: *vultus capit illa priores: Fitque quod ante fuit.* vs. 747: *Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.* – 14. *superba*, amara v. 6, saeva v. 16. – *satis est*, nonne sufficiunt tibi. — *Aegyptus*, cum (vid. Obss. Misc. Vol. V, tom. III, pag. 24) *fuscis*, solis ardore fuscis, *patriae suae colore*, ut dixit de Andromeda, natione Aethiopia, Ovid. Heroidd. XV, 36, *alumnis*, incolis, ut *Romanus alumnus* IV, 1, 37: *aut – urbe* magna cum varietate Isidis sacra Romae culta, ab his enim admissa, ab aliis iterum reiecta. Sic libera Rep. *Isidis et Serapis fana Romae diruenda censuit Senatus*, vid. Val. Max. I, 3, ext. 3; sed restituta postea sunt huius deae sacra, v. Ovid. Am. I, 8, 74: rursum aegyptiacos ritus compescuisse Tiberium, narrat Sueton. vit. Tib. cap. 36. Add. Havercamp. ad Tertull. Apol. cap. 6. – *Tiberi Nilo*, Romanis cum Aegyptiis, ut passim flumina et montes pro populis ponuntur. — *gratia*, amicitia nulla est. Conf. Horat. Carm. I, 37, 6 sqq.

21–24. Alloquitur Cynthiam. At tu, quam magno cum meo dolore placare studui, tu, cui placandae nimiam operam sumsi, quae nimis duram te praebuisti, me dolente et noctes amaras exigente. PASSERAT. – *vacui*, peracto Isidis casto, soluti negotiis et religione Isidis. — *ter*, saepius. — *faciamus iter*, venereum est, v. Ovid. A. A. II, 726; repetamus Veneris studia, coll. III, 15, 4. – *Non audis* etc. videtur hoc distichon particula esse

Non audis, et verba sinis mea ludere: quum iam
  Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis: mediae nequeunt te frangere noctes.
  An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah! pereat quicunque meracas reperit uvas,
  Corrupitque bonas nectare primus aquas.
Icare Cecropiis merito iugulate colonis,
  Pampineus, nosti, quam sit amarus odor.
Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi;
  Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.

cantilenae amatoriae, ante fores amicarum decantari solitae. Vid. ad I, 16, 17. – *ludere*, ludibrio esse tibi et ventis, ea non curas. – *Icarii sidera*, Icarus Atticam incolebat; a Baccho, quem hospitio exceperat, utrem vini plenum acceperat, vinum cum quibusdam pastoribus communicavit, qui venenum se accepisse rati, eum interfecerunt, vid. Lucian. Dial. Deor. XVIII, pag. 249; sed a Baccho inter sidera est relatus, ubi *Arcturus* vocatur. Vid. Heyne ad Tibull. IV, 1, 9: est autem Arcturus stella posita in signo Bootae. – Bootes est sidus stellarum XIV iuxta ursam maiorem, quam sequitur et velut servat, unde dicitur idem *Arctophylax*, et quoniam *ursa* etiam ἄμαξα, *plaustrum*, vocatur, sideri vicino illi accommodatum etiam nomen impositum est, unde *Bootes*, id est boum impulsor, bubulcus. Sed quia Bootes sive Arctophylax sero occidit, et polo propior, tarde procedere videtur, ideo dicitur *piger* Ovid. Fast. III, 405. *tardus* h. l. *serus* III, 5, 35. Conf. Hygin. A. P. II, 4; Heins. ad Valer. Fl. VII, 457; Senec. Herc. fur. vs. 125 sqq.; Gierig. ad Ovid. Met. II, 176; Servius ad Virg. Aen. I, 744. – *sidera*, pro sidus, sed Icarii sidus positum est pro Bootes. Apposite autem Icarii sidus h. l. commemoratur, quum poëta alloquatur Cynthiam vino indulgentem. Vid. quae paullo ante de Icaro notavimus. Caet. innuitur his verbis diluculum matutinum, ante quod Bootes apparere desinit. Sic et Lucan. II, 722 de instante die: *Et iam Plias hebet, flexi iam plaustra Bootae, In faciem puri redeunt languentia coeli.*

25–34. *Lenta bibis*, convivia intempestiva ad mediam noctem, imo ad ipsum diem ducis. – *frangere*, fortius quam debilitare, somnus arcessere. – *meracas uvas*, e quibus vinum meracum exprimitur, h. l. omnino pro vino meraco, cui aqua non admixta, posuit. – *bonas*, salutares, innoxias. – *nectar*, pro vino Virg. Georg. IV, 384: hinc *aquas corrumpere nectare* pro vino aquas miscere. Vid. Cerda ad Virg. Georg. II, 466; Marcilius ad Pers. II, 64. – *Cecropiis*, Atticis, a Cecrope Athenarum rege. – *pampineus odor*, vini odor. – *Eurytion*, Centaurus, qui et Eurytus dicitur, in nuptiis Pirithoi periit. Vid. Ovid. Met. XII, 220 seqq.; Art. Am. I, 595; Homer. Odys. Φ, 295; interpp. ad Orphei Argon. 413; Wesseling. Obss. II, 44. – *Polyphemus*,

Vino forma perit, vino corrumpitur aetas:
  Vino saepe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo!
  Iam bibe; formosa es: nil tibi vina nocent,
Quum tua praependent demissae in pocula sertae,
  Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
  Spumet et aurato mollius in calice:
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.
  Est quiddam, quod vos quaerere cogat Amor.
Semper in absentes felicior aestus amantes.
  Elevat assiduos copia longa viros.

Cyclops, quem Vlysses, vino ad Ismarum (unde *Ismario*) Thraciae montem vinetis et olivetis fertilissimum (Cellar. O. A. II, 15) nato, quod a Marone Apollinis sacerdote acceperat, inebriatum, oculo suo privavit. Vid. Homer. Odys. I, 196 sqq.; Theocrit. Id. VI, 22; Tibull. IV, 1, 57 ubi vid. Broukhus et Heyne. — *nescit*, sie kennt ihn nicht.

35-44. Elaboratissimus locus. Propertii animo obversatur Cynthiae formosae, carmina poëtae sui inter bibendum legentis, imago; dulcissima ipsi imago! et longe formosior ipsi puella apparet. Quo vero vividior existeret imago, poëta praeclare convivium ipsum repraesentat, ita, ut coram nobis omnia peragi videantur, et una cum eo convivio interesse videamur. Videt poëta Cynthiam formosam, coronatam sedentem, carmina legentem, et admirabundus in haec verba erumpit: *Me miserum* etc. Paullo post, intelligens, sua carmina esse, quae Cynthia legat, laetitia perfusus, eam ipse alloquitur: Iam bibe, inquit, mihi formosissima es, nil tibi vina nocent, quum mei memor, mea carmina legis. — *Me—Lyaeo*, Baccho, vino. Sermo abruptus admirabundi, et secum loquentis. *me miserum*, ut scite observavit Passerat. h. l. admirantis est, ut *heu* saepius legitur. — *nil nocent*, a vino non deformior fis, non pocula te laedunt. — *demissae sertae*, graphice; flores antependulos innuit. Capita in conviviis cingere solebant coronis. Vid. ad I, 3, 21. — *deducta*, arguta, molli, subtili, qualis puellarum esse solet. — 39. *effuso*, vino supra mensam fuso. — *Falerno*, ornate pro vino. De vino Falerno, ex Falerno Campaniae agro. Vid. Plin. H. N. XIV, 16; Horat. Carm. II, 11, 18. — *mollius*, nempe vetustate, quum vetustius lenius spumet, ut Horat. Carm. I, 7, 19. — 41 sqq. Sperat tandem Propertius, Cynthiam poëtae sui ita memorem fore, ut ipsum absentem praesentibus amatoribus et convivis praeferat. — *quiddam*, intelligitur lusus venereus. — 43. *semper — amantes*, ardentius amantur absentes quam praesentes. — *assiduos viros*, qui puellae amatae

## ELEGIA XXXIV

### AD LYNCEVM POETAM

Cur quisquam faciem dominae iam credat Amori?
  Sic erepta mihi paene puella mea est.
Expertus dico, nemo est in amore fidelis.
  Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, solvit amicos,
  Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter.
  Colchis et ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
  Perfide, nonne tuae tunc cecidere manus?
Quid, si non constans illa et tam certa fuisset?

semper adsident et adsunt. – *elevat*, eorum desiderium minuit, viles et contemnendos reddit.

ELEGIA XXXIV

Lynceum, amicum suum, quod Cynthiae fidem et castitatem tentare ausus fuisset, primum obiurgat; deinde amatorem factum gaudet; doctorumque virorum exemplis propositum eius confirmat. VVLP.

1–10. *Iam*, post ea, quae mihi evenerunt. – *Amori*, Amor praeclare custos quasi constituitur ac fideiussor pudicitiae et fidelitatis Cynthiae. Sensus: Non est cur quisquam nimis sit securus de amore dominae erga se, si sit formosa. – *facies*, idem quod figura, forma, *facies dominae* est h. l. domina formosa: alias quoque *facies*, ut *forma*, inservit periphrasi, sic *formae luporum* sunt lupi Ovid. Met. II, 78. *formae ferarum* sunt ferae Virg. Aen. I, 446. – *polluit cognatos*, de impuro amore sermo est. – 7. *hospes*, significanter, quum scelus gravissimum haberetur iura hospicii violare. – *adulter*, Paris. II, 3, 37; XV, 13; Horat. Carm. IV, 9, 13. – *Colchis*, Medea II, 21, 11. – *ignotum*, id est peregrinum, externum, ut *terra ignota* Virg. Aen. V, 795; IX, 485; intelligitur Iason. – *potuisti*, cum emphasi, sustinuisti, ausus es. — *meam curam*, id est meam puellam, amicam, Gr. τ' ἐμὸν μέλημα. Nam voc. *cura* adhibetur de rebus carissimis. Vid. Cortius ad Cic. Epp. ad Div. II, 16, 15; Koenius ad Gregor. de Dial. pag. 78; Fischer. ad Anacr. V, 7, et nos ad I, 1, 36. – *tangere*, verbum nequitiae, cum desiderio amoris attrectare. Hor. Sat. I, 2, 45; Mart. I, 93, 2. – *nonne–manus*, mirum quod manus tuae non avulsae

Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitae, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, amice, meis.
Lecto te solum, lecto te deprecor uno.
Rivalem possum non ego ferre Iovem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
Stultus, quod stulto saepe timore tremo.
Vna tamen causa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed nunquam vitae fallet me ruga severae.
Omnes iam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores.
Solum te nostros laetor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris

sint a brachiis, atque ita membra ipsa a diis punita, quae peccarant. Vid. I, 15, 36.

11–22. *Posses – flagitio*, num vivere sustineres, discussa crapula, vs. 22, post facinus turpissimum? – *perde*, relatum ad *ferro*, idem quod traiice, transfige. Similis locus I, 1, 24. Conf. Dorville ad Charit. pag. 395 sqq. – *corporis socius*, est is, qui continuus comes lateri adhaeret. – *Te - meis*, omnia mihi tecum communia sint. – *lecto*, congressu et amplexu amicae. – *deprecor*, amoveo, abigo, de quo verbi usu vid. Graev. ad Auctor. Rhetor. ad Herenn. I, 11. – *solus*, licet solus. – *aemulari umbram*, Gr. σκιομαχεῖν, non solum est timere, sed et dimicare cum ea. – *quod nil est*, quum umbra nihil inanius sit. Caet. conf. II, 6, 9 sqq.

23–26. *Vitae ruga severae*, frons corrugata et severa, index vitae severae, Lynceum ut philosophum severum depingit, quales saepe introrsum turpes, fronte rugis contracta, et supercilio adducto gravitatem severitatemque morum adfectantes describuntur a veteribus. Vid. Valcken. ad Eurip. Hippol. 956. – *seros amores*, pro serus. *insanit amores*, de amore ardentissimo, Gr. ἐπιμαίνεσθαί τι, vid. Huschke Analecta pag. 31, ut *insanire amoribus* Horat. Serm. I, 4, 27, et Gr. ἐπιμαίνεσθαί τινι, vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Cer. vs. 30. – *solum – deos*, hoc unum laetor, te nostrae militiae nomen dare. *nostros deos*, Venerem et Cupidinem I, 7, 16.

27–32. Quid prosunt tibi amanti philosophi tam morales, quam physici? hi coniunguntur plerumque. — *sapientia e libris Socraticis* hausta, intelliguntur libri philosophiae academicae, vid. Mitscherlich. ad Horat.

Proderit? aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Cretaei tibi prosunt carmina lecta?
Nil iuvat in magno vester amore senex.
Tu satius Musis meliorem imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.
Non cursus licet Aetoli referas Acheloi
Luxerit ut magno fractus amore liquor.

Carm. I, 29, 14. – *rerum vias*, modos, quibus res naturales fiunt, *rationem mundi* vocat vs. 51. Valer. Fl. IV, 558: *Fata locosque tibi (possum quas reddere grates) Expediam, rerumque vias finemque docebo.* Add. Prop. III, 5, 25 sqq. – 29. *Aut quid* etc. vulgaris lectio est *Cretaei:* intelligunt Epimenidem, qui et vocetur *senex* vs. sqq. quod longaevus vixerit; scripsit καθαρμούς, hoc est carmina piacularia, quorum recitatione expiabantur homines, quibus utebantur quoque contra vim amoris et morborum. Vid. Turneb. Advers. XVII, cap. ult. Si admittitur lectio *Lucreti*, qui poëta de rerum natura scripsit, et remedia quaedam amoris lib. IV tradidit, per *senem* intelligendus est Epicurus. Cf. Obss. – *magno amore*, ardenti, iuvenili, quum quis amores insanit. – 31. *Musis meliorem*, vel meliorem quam Musae, ipsis Musis suavius canentem, similis quodammodo locus el. 31, 5; summa laus Philetae (vid. de eo libell. Krausii: Philetae Coi Fragmenta quae reperiuntur collegit et notis illustravit Krause, Gotting. 1793, 8, et not. ad III, 1, 1) vel Musis acceptiorem, quam ille *senex*, ut apud Ovid. Rem. Am. 761: *Me certe Sappho meliorem fecit amicae.* – *non inflati*, id est tenuis et simplicis, unde Prop. II, 1, 40, *Callimachum angusto pectore* vocat; at Callim. ipse de se Fragm. CLXV, pag. 504 Ern. dicit: Μηδ' ἀπ' ἐμοῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν. – *somnia*, al. carmina, scripsit Callim. etiam elegias amatorii argumenti. Vid. Obss. Adhortatur ergo Lynceum poëta, ut carmina mollia, amatoria scribat, et Philetam Callimachumque imitetur, quos propemodum solos imitari se ipsum, Prop. aliis in locis, coll. IV, 1, 64, profitetur.

33 seqq. Nil prodest tibi carmine referre Acheloi naturam, vagos Maeandri fluctus describere, historiam Arionis tristesque Amphiarai casus enarrare; rerum graviorum tractatio nil tibi in amore prodest, tu potius mollia carmina pange. – *non licet*, non fas est, non potes, nil prodest vs. 39. – *Achelous*, fluvius Epiri, Aetoliam ab Acarnania dividens. Ovid. Met. IX, 17, Achelous, qui loquens inducitur, *Regem me cernis*, inquit, *aquarum Cursibus obliquis inter tua regna fluentum.* Amavit Achelous Deianiram, etiam ab Hercule amatam; de Herculis super Deianira cum Acheloo pugna, in qua alterum e cornibus Acheloi in taurum mutati fractum fuit, vid. Soph. Trachin. 5 seqq.; Ovid. l. c.; Diod. Sic. IV, 34, 35; Hygin. fab. 31, 33; Apollodor. II, 7, 5, et Schol. ad Homer. Il. Φ, 194: sed Strabo X, pag. 458, fabulam ad historiam refert. Acheloum scil. fluvium coërcitum ab Hercule aggeribus, quum agros inunda-

Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
 Errat, et ipsa suas decipit unda vias.
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion,
 Tristia ad Archemori funera victor equus.
Amphiaraëae nil prosunt fata quadrigae,
 Aut Capanei magno grata ruina Iovi.
Desine et Aeschyleo componere verba cothurno,

set. – *luxerit*, lugere de rebus inanimatis quoque dicitur. V. Drakenb. ad Sil. Ital. V, 542; Ovid. Heroidd. IX, 139: *Cornua flens legit ripis Achelous in udis, Truncaque limosa corpora mersit aqua*, *fractus amore*, ambigue, quia et amor eum domuit, et Hercules ipse amans. – *liquor*, de fluvio, ut de mari Horat. Carm. III, 3, 46.

35–40. Maeander Phrygiae fluvius, maxime sinuosis fluxibus fluens, ita, ut saepe credatur ad fontem reverti, unde h. l. *errat–vias*. De Maeandri lusibus Seneca Herc. fur. 683 seqq.: *Qualis incertis vagus Maeander undis errat, ludit et cedit sibi, Instatque dubius, litus an fontem petat*. Ovid. Heroidd. IX, 55 seqq.: *Maeandros, toties qui terris errat in isdem, Qui lapsas in se saepe retorquet aquas*. Add. Sil. VII, 139; Plin. H. N. V, 29; Lucan. III, 208. – *decipit*, obliviscitur, ut Horat. Carm. II, 13, 38. – *Arion*, equus Adrasti regis Argivorum. Adrastus, unus e septem illis ducibus (qui ad recuperandas Polynici Thebas profecti erant) equi huius beneficio ex morte ereptus est, vid. Hygin. fab. 70; Apollodor. III, 6, 8, et Heyne ib. p. 634. Hic idem equus vates erat, et fata praecinebat. Vid. Barth. ad Stat. Theb. IV, 43; Callim. Fragm. Bentl. n. 82, pag. 457 Ern.; Munker. ad Hygin. 70, p. 122: hinc *vocalis* dicitur, quia vates, et clara voce humana praeditus fingitur. Sic Tibull. II, 5, 78: *Fataque vocales praemonuisse boves*. – 38. *ad Arch. funera*, pro in Archemori funeribus. Archemorus, Lycurgi regis Nemeae ex Eurydice filius a serpente necatus, ad cuius tumulum Nemeaea certamina scil. ludos funebres celebrarunt, in quibus Adrasti equus, Arion, victor extitit. Conf. Statius Theb. VI, 296 sqq.; Argum. Nemeor. Pind. Paus. II, 15, pag. 144; Hygin. fab. 74, 273; Apollodor. III, 6, 4. – *Amphiaraëae*, Amphiaraus, Lyncei et Hypermnestrae filius, Eriphyles maritus, in bello Thebano, terrae hiatu cum equis et curru absorptus periit. Vid. Pindar. Nemeor. IX, 57, seqq., ibique Schol. et ad Olymp. VI, 21; Eurip. Phoen. 1188, Suppl. 926; Homer. Odys. O, 244 seqq.; Barth. ad Stat. Theb. I, 399; Apollod. III, 6, 2; Hygin. fab. 73: hinc h. l. *fata quadrigae* commemorantur. – *Capaneus*, unus e septem contra Thebas ducibus, contemtor deorum, vid. Stat. Theb. IX, 549; unde a Iove fulmine percussus, secundum alios a Thebanis lapidibus obrutus dicitur, quum eorum urbi inventas a se scalas admoveret. Vid. Eurip. Phoen. 185; Hygin. fab. 70; Apollod. III, 6, 3, ibique Heyne.

41–44. Desine igitur res graves stylo

Desine, et ad molles membra resolve choros.
Incipe iam angusto versus includere torno:
Inque tuos ignes, dure poëta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero.
Despicit et magnos recta puella deos.
Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,

sublimi scribere. – *Aeschyleo cothurno*, ut Horat. A. P. 280; respicit ad Aeschyli tragoediam septem ducum contra Thebas. *cothurnus* Tragoediarum et Tragicorum, etiam ad poëmata epica transfertur, unde Martial. V, 5, et VII, 62, *Maronem cothurnatum* appellat. Vid. Ruperti ad Iuvenal. VI, 504. – *ad choros* membra subige, habilia redde ad choros molles. Sed choros celebrare, nempe cum Musis, vid. ad II, 10, 1, ornate positum est pro carmina scribere, et *molles choros* carmina amatoria. — 43. Eadem sententia docte variata. Praecipit Lynceo, ut relicto heroico et grandi carmine, amores angustis elegis scribat. – *tornus*, τόρνος, Hesychio interprete, τορνευτήριον, fabrile instrumentum, quo lignum vel ebur rotundatur et politur. Quod vero tornatur, recte dicitur intrare tornum, et torno rotundari; *versus includere torno*, est ergo, versus torno polire, *angusto torno*, breviore eos spatio includere, angustiores, breviores reddere, hoc est elegos scribere, ubi singulis distichis sententia includitur. Gellius IX, 8: *sententia detornata*, *inclusaque verbis paucissimis*. Conf. Bentlei. ad Horat. A. P. 441 seqq.; Heyne Antiquarische Aufsatze P. II, pag. 143 seqq. – *inque tuos ignes veni*, uri et amores tuos cantare incipe. - *durus*, de poëta epico. Vid. ad II, 1, 41.

45–50. Non tutior eris ab Amoris telis, quam Antimachus et Homerus fuerunt. Laudat Broukh. fragmentum Hermesianactis apud Athen. XIII, 8 ubi amorum Antimachi et Homeri mentio fit, unde noster locus explicari potest. – *Antimachus*, Colophonius, poëta graecus heroicus, vid. de eo Barth. ad Stat. Theb. V, 92; Harles. ad Ovid. Trist. I, 6, 1; interpp. ad Catull. XCV, 10; perdite amavit Lyden meretricem, de qua v. Valcken. ad Schol. Eurip. Phoen. pag. 607. Eum et Homerum coniunctim nominavit noster, quia critici vett. secundas ei ab Homero partes detulerunt, auctore Quinctil. X, 1. Add. epigr. Antipatri 24 Anal. Brunckii tom. II, pag. 115. – *deos*, nedum poëtas heroicos et philosophos (vs. 51 seqq.), qualis tu es; servies puellae, imperium in te habebit vs. 49, te philosophum et poëtam heroicum non timebit, nec eam philosophia tua, nec carminibus tuis heroicis flectere poteris. – *recta puella*, est superba, plena arrogantiae, cuius indicium solet esse facies erecta, ὀρθὰ ὄμματα, quae metu deorum ne inflectitur quidem. – 47. Non tua sponte puellae servies, attamen servies vel invitus. – *gravi aratro*, epithet. solemne, Horat. A. P. 66; Virgil. Georg. I, 162; h. l. grave aratrum respondet *duris amoribus* vs. 49: in qua oppositione vis aliqua ipsius comparationis inest. Similis locus II, 3, 47. – *succumbit aratro*, cornua et cervicem submittit

Cornua quam validis haeserit in laqueis.
Nec tu tam duros per te patieris amores.
Trux tamen a nobis arte domandus eris.
Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis:
Nec si post Stygias aliquid restaverit undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Adspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus et antiquo Marte triumphus avi:
Vt regnem mixtas inter conviva puellas

iugo ad aratrum ducendum. — *haeserit cornua*, graeco more, pro haeserit cornibus. — *per te*, sponte, tam grave servitium et iugum non feres. — *trux*, quantumvis sis trux, ferox. — *arte domandus*, vid. Obss. *arte*, hoc est callide, nam arte fieri dicuntur quaevis dolosa et fraudulenta, ut apud Virg. Aen. XII, 632 ubi *per artem* Servius interpretatur per fraudem. Lucem nostro loco affundit locus Terent. Heaut. II, 3, 125: *miserum quendam offendi ibi militem, Eius noctem orantem, hac arte tractabat virum, ut illius animum cupidum inopia incenderet.* Coll. infra vs. 55 seqq.

51–54. *Harum*, nempe puellarum, de quibus ante locutus fuerat vs. 46, coll. 49: neque haec liberior constructio quemquam movere debet in poëta graecissante. Sic vs. 72 singularis *huic* ponitur post plur. *amores*. Barth. — *rationem mundi*, rerum vias supra vs. 28. — *laboret*, laborare dicitur luna quum deficit, *fraternis equis* ob equos fratris, id est currum Solis, et lumen quod tunc non accipit terrae interventu. — 53. *si*, pro an, ut saepius. — *post Stygias — undas*, Ovid. ex P. IV, 14, 12: *Si quid et inferius quam Styga mundus habet.* H. l. sensus: sintne Stygiae undae et post eas inferna, *an timor haud ultra quam rogus esse possit*, coll. III, 5, 43 sqq. De praeterito obsoleto *restaverit* vid. Duker. de Lat. vet. Ictor. pag. 337; Bentlei. ad Hor. Sat. I, 8, 41: sic *vetavit* apud Pers. Sat. V, 90; Cic. ad Div. XI, 9, *praestaturi*. Add. ib. I, 8, 8 ubi vid. Kortte. — *consulto*, certa ratione, consilio, non fortuito et *de nihilo*, coll. II, 16, 52.

55–64. Ornati versus. Exemplo suo demonstrat elegiarum scriptores gratissimos esse puellis, quibus ingenium amatorium magis placeat, quam philosophicum. — *adspice me* etc. fortunae et generis tenuitatem, nullaque e maioribus suis rei bellicae ornamenta triumphalia posse iactare indicat. Conf. IV, 1, 129 seqq. — *Marte antiquo*, de M. antiquo, l. ob Martem antiquum, de bello olim feliciter gesto. — 57. *regnem*, eligebant sibi Romani in conviviis talorum iactu regem, qui bibendi leges ediceret et convivium regeret; ad hunc morem h. l. poëta respicit. Vid. interpp. ad Horat. Carm. I, 4, 18; II, 7, 25. — *mixtas puellas*, nempe viris, sunt puellae, inter quas Pro-

Hoc, ego quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me iuvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit iactu certus ad ossa deus:
Actia Virgilium custodis litora Phoebi,
Caesaris et fortes dicere posse rates;
Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma,
Iactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graii:
Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi

pertius medius est. – *tibi nunc elevor*, a te contemnor. – *hesternis corollis*, vid. II, 33, 37; III, 4, 22, cum quibus pernoctaverat. – *positum*, iacentem, inest et huic verbo languoris notio. – *languere*, fractum esse vigiliis, vino et Venere. – *tetigit*, vulneravit, percussit. Theocrit. Id. III, 17: ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὀστέον ἄχρις ἰάπτει. – *deus*, Amor. – *iactu certus*, iaculo vulnerare peritus. Verbis inest sententia haec: in rosa et inter flores lentus iacens, de mea puella recordor. – 61. *Virgilium*, scil. iuvet, canere sublimia, heroica. – *Actia custodis lit. Phoebi*, vid. ad IV, 6, 1, et 67: respicit haud dubie poëta ad descriptionem pugnae Actiacae apud Virg. Aen. VIII, 675 sqq. ubi vid. Heyne. – 63. *Aeneae suscitat arma*, docte pro Aeneam tanquam sopitum et sepultum reducit et revocat in lucem. – *Iacta moenia*, conditam urbem, Lavinium. – *Laviniis litoribus*, solent enim poëtae petere epitheta etiam a postmodo factis, monente Heynio ad Virg. Aen. I, 2, *iacere moenia*, ut *iacere muros* Virg. Aen. V, 631 ubi vid. Burm.

65–70. Blanditur Virgilio suo, poëtae eximio. – *nescio – Iliade*, elaboratur a Virgilio carmen praestantius Homeri Iliade. *nescio quid* dicitur etiam de re excellenti et eiusmodi, ut eius magnitudinem ac praestantiam mens nostra vix videatur assequi posse. Vid. Ovid. Am. III, 4, 28; Ernest. Clav. Cic. v. *nescio*. — 67. Cohaerentia: Neque tamen Virgilius ipse ab amoribus alienus est, non tantum heroica carmina scribit, sed et carmina mollia pangit. Tu ergo, Lynceu, qui hactenus durus, epicus poëta fuisti, Virgilii exemplum imitare, et amatoria carmina scribe. Sed Prop. poëtice per apostrophen Virgilium ipsum alloquitur. – *Galesi*, Galesus Calabriae fluvius, Martial. VIII, 28, 4, in agrum Tarentinum influens, ipsum Tarentum alluebat, a cuius utraque ripa loca erant amoenissima, et pascua optima; hoc secessu delectabatur Horatius, v. Carm. II, 6, 10; et Virgilius, vid. Georg. IV, 125 sqq.; Barth. ad Stat. Silv. II, 2, 110. – *umbrosi*, quia hic fluvius multis arboribus consitus erat. — *subter pineta*, cum dilectu, sub pinu enim canentes frequenter inducuntur pastores. – 68. *Thyrsin* et *Daphnin* designat Virgilii Bucolica. Vid. Ecl. V, VII. – *attritus*, pro tritis, nempe usu, quod artem canendi indicat. Referenda haec ad Virg. Ecl. II, 34.

Thyrsin, et attritis Daphnin arundinibus:
Vtque decem possint corrumpere mala puellam,
Missus et impressis haedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores,
Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolae domini carpere delicias.
Quamvis ille suam lassus requiescat avenam,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poëtae,
Quo seges in campo, quo viret uva iugo.
Tale facis carmen docta testitudine, quale

– *arundinibus*, pro fistula. – 69. *utque–puellam*, apud Virg. Ecl. III, 70, non puellae, sed puero mala mittuntur. At solent poëtae in librorum argumentis afferendis liberius versari. Vid. Heins. Introd. ad Hesiod. cap. 4. Ergo hoc quoque, ut alia in his versibus, mutavit Prop. et quae mala puero mittuntur apud Virgilium, ea caprarius apud Theocrit. Id. III, 10 Amaryllidi affert. – *mala*, I, 3, 24, parva dona pastoritia. – *impressa ubera*, id est non mulcta, manibus non pressa. Stat. Theb. V, 404, *impressa virorum terga*. Vid. Casaub. ad Suet. vit. Aug. cap. 78. – *haedus*, cuius mater non mulgetur, ut foetus fiat pinguior.

71–76. *Viles amores*, parvo constantes. – *mercaris*, pro mercatur, *amores*, *huic* ἀνακόλουθον. Vid. vs. 51: huic, puellae, licet ea ingrata sit, amatorem relinquat, quum tamen eius amores tam parvo emantur, ipse Tityrus canat, qui Galateam amabat, nullo ad peculium fructu, ut Ecl. I, 31 sqq. Vid. Heyne Virg. vit. chronol. ad a. 717. Sub Tityri autem nomine Ecl. I, Virgilium ipsum significari, iam veterum opinio fuit. Vid. Heyne Argum. Ecl. Prim. – 73. Felix Corydon, qui tentat carpere Alexin intactum, pudicum. Virgil. Ecl. II. – *Quamvis* Bucolica scribere desierit Virgilius, laudatur tamen a Nymphis. – *requiescat*, vid. ad II, 22, 25. – *lassus*, cantando fessus. – *faciles*, lascivas, non duras, sed paratas, vid. Virg. Ecl. III, 8; Barth. ad Claudian. in Eutrop. I, 363.

77–84. Progreditur ad Georgica Virgilii, in quibus imitatus ille est Hesiodum, qui *praeceptor arandi* dicitur Ovidio Fast. VI, 13. Respicit noster Virg. Georg. II, 176. Ergo *Ascraeus poeta* est Hesiodus, a vico Boeotiae Ascra appellatus, ubi educatus, nam patria Cumanus erat, vid. Schwebel. ad Moschum p. 227; Fabric. Bibl. Gr. tom. I, pag. 567; Harles. Carmen Hesiodi, Ἔργα καὶ Ἡμέραι inscriptum, specialiter h. l. innuitur. – *tu canis*, in simili carminum genere versaris. – *testudine*, scite pro lyra, ut Horat. Carm. III,

Cynthius impositis temperat articulis.
Nam tamen haec ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Nec minor his animus, nec se minor ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiae maxima flamma suae.
Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quis ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
Quum caneret miserae funera Quintiliae.

11, 3. – *docta*, eleganter testudini tribuit quod prop. de poëta vel carmine valet. – *Cynthius temperat*, canit, modulatur; temperare exquisite pro sonos elicere, citharam tractare. Significatur carminis praestantia. – 81. *haec*, carmina amatoria. – *venient*, erunt. – *nec minor his*, quae Virgilius lusit, his carminibus amatoriis, *animus*, spiritus ac vis nempe inest, carmina illa non sunt digna minori laude grandiloquis carminibus, *nec se minor*, nec aliquid se indignum Virg. fecit, quum lacessitus ab aemulo Ansere non respondit. – *Anseris*, Anser, poëta illius temporis, Virgilii obtrectator, de quo vid. Ovid. Trist. II, 435, ibique Harles. Serv. ad Virg. Ecl. VII, 22; IX, 36. – *indocto carmine*, pro indocto carmini. Exquisite h. l. Virgilius vocatur *olor*. Theocrit. Id. V, 136 seqq.: Οὐ *θεμιτὸν* – *ἐρίσδεν* – *ἔποπας κύκνοισι*. Poëtae enim praestantiores frequenter cum oloribus, cycnis comparantur, quos inter volandum suavissimum cantum edere, communis poëtarum vett. persuasio. Vid. Mitscherlich. ad Horat. IV, 2, 25; Gierig. ad Ovid. Met. II, 253.

85–94. Varro Attacinus, poëta insignis, qui Argonautica scripsit, quibus Apollonium Rhodium expressit, vid. Voss. de Hist. Lat. I, 16. — *perfecto Iasone*, absoluto, de Argonautis poëmate, quorum princeps Iason. – *haec quoque ludebat*, indicat Varronem etiam amatoria carmina scripsisse. Conf. Ovid. Trist. II, 439; Art. Am. III, 335. – *Leucadiae*, nomen amicae a Varrone cantatae. – *maxima flamma*, quam amabat, et a qua perdite redamabatur. Virg. Ecl. III, 66: *At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas*. – 87. *haec*, amatoria. – *lascivi*, sic et Ovid. eum nominat Trist. II, 439. – *Calvus*, vid. II, 25, 4, et Catulli Carm. XCVI ad Calvum in obitum Quinctiliae, puellae a Calvo amatae et celebratae. — *miserae*, vel propter mortem praematuram, vel propter mortem in genere. – 91. *Et*, nempe haec confessus est. – *Lycoris*, nomen fictum puellae a Gallo, illustri elegorum auctore et Virgilii amico, amatae ac cantatae, vid. Heyne ad Virg. Ecl. X Argum. Wernsdorf. ad poët. lat. min. tom. III, pag. 125 seqq. – *multa Lycoride vulnera lavit*, id est vulnera a Lyco-

Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
  Mortuus inferna vulnera lavit aqua.
Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
  Hos inter si me ponere Fama volet.

ride, quae ei Lycoridis amor inflixit, puellae superbae et levis; indigitare vero simul videtur poëta mortem Galli violentam, qui quum praeses Aegypti esset, se ipsum interfecit; *lavit*, abluit *vulnera*, quod ornate dictum, pro vulnerum suorum in inferno oblitus est. – Per *aquam infernam* poëta fortassis speciatim intellexit Lethen, fluvium apud inferos, de quo Lucan. IX, 356: *Lethes tacitus—amnis Infernis, ut fama trahens oblivia venis.* – 94. *hos inter*, si me fama dignabitur annumerare Virgilio, Varroni, Catullo, Calvo, Gallo. Caet. Tibullum praetermisit poëta, ut Barthius monuit, propterea, quoniam is, utpote nomen poëtae non affectans, nondum forte multa circa hoc tempus ediderat.

# SEX. AVRELII PROPERTII

# ELEGIARVM

## LIBER TERTIVS

### ELEGIA I

Callimachi manes, et Coi sacra Philetae,
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.

Elegia

Propertius ingenii sui virtutes ipse sentiens, sperat, se carminis elegiaci facultate nominis immortalitatem consecuturum esse. Est hoc carmen paullo sublimioris spiritus, atque imaginum sententiarumque suavitate et praestantia sese ita commendat, ut in ipso Musarum contubernio meditatum videatur.

1-4. Callimachum et Philetam, e graecis poëtis, prae caeteris mihi imitandos proposui. Hoc splendide a poëta enuntiatum. Ingreditur tanquam sacerdos Callimachi et Philetae nemora sepulcralia, manes eorum alloquitur, et ab iis edoceri vult, quaenam antra et nemora quondam carmina sua pangentes frequentarint, quo et ipse illa loca frequentare possit. — *Philetas*, Cous, scriptor elegiarum, epigrammatum et aliorum, sub Philippo et Alexandro florens, et Ptolemaei Philadelphi praeceptor. V. Athen. XII, 29; Perizon. ad Ael. H. V. IX, 14; Fabric. B. Gr. VIII, 5, 30; Voss. de poët. gr. pag. 53: de eo et *Callimacho* vid. II, 34, 31. Per *sacra Philetae* intelligunt poëmata, communem poëtarum cultum; sed *manes* et *sacra* defunctorum poëtarum tam accurate h. l. coniuncta sunt, ut facile appareat, illam explicationem neutiquam admitti posse. Itaque Huschkius ep. crit. ad Santen. de locis ipsis cogitandum esse censet, in quibus manes habitare putabant veteres, quibus sanctitatem tribuebant. Ego vero adsentior Burmanno, aliisque, quibus *sacra* sunt manes ipsi. Quum enim tam late pateat vocabuli *sacra* usus, ut et dii ipsi atque simulacra eorum *sacra* nominentur, vid. Ovid. Fast. VI, 449; Met. X, 695, quidni arbitremur Propertium, in cuius carminibus tot nove dicta reperiantur, in hac orationis serie hoc vocabulum

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
 Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
 Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam?

illo sensu usurpasse? — *vestrum nemus*, luci et nemora virorum clarorum sepulcris addebantur, in quibus iis et arae exstruebantur, atque in illis nemoribus ipsi eorum manes habitare fingebantur, vid. Virg. Aen. V, 760 seqq.; Valer. Fl. II, 599; Sueton. vit. Aug. 101, et Torrent. ad vit. Tiber. cap. 1. Alii omnino lucos intelligunt, quos Callim. et Philetas vivi frequentassent, quosque adeo etiam manes illorum frequentare h. l. fingantur. Sed si priorem interpretationem sequimur, longe praeclarior imago existit, atque voc. *sacerdos*, et quae vs. 5 sqq. leguntur, illam interpretationem flagitant. — 3. *primus*, explicant, ego inter primos, quia ante Propertium Catullus elegiae latinae numeros ex Graecorum fontibus deduxit. Sed Prop. h. l. affirmat, se primum inter Romanos Callimachum et Philetam, hos elegiarum graecarum scriptores principes imitatum esse; omninoque fuit mos poëtarum romanorum, qui ex Graecis hauserant, gloriandi, se via antea non trita incedere, licet iam alii eam antea essent ingressi. Vid. Virg. Georg. III, 291; Horat. Carm. III, 30, 10. — *ingredior*, pro aggredior, incipio; eleganter vero hoc verbo usus est noster, quum antea nemoris mentionem fecerit. — *sacerdos*, augusta et solemnis poëtarum appellatio. Ovid. Amor. III, 8, 23: *Ille ego Musarum purus Phoebique sacerdos*. Add. Theocrit. Id. XVI, 29. Vid. Barth. ad Stat. Silv. V, 1, 26. — *puro*, apposite, quum etiam de sacerdote sermo sit; *puro fonte*, intacto, integro, scil. vestro, e quo nemo ante me bibit; eodem sensu καθαρὴ ὁδὸς Callim. epigr. XXXVI. Vid. Toup. Emend. in Suid. P. III, p. 565. Contra poëtae, qui post alios idem argumentum tractabant, eodem carminum genere utebantur, ex eodem fonte se bibere dicebant. Vid. Prop. III, 3, 4; Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 26, 6. Lucret. IV, 1: *Avia Pieridum peragro loca nullius ante Trita solo, iuvat integros accedere fontes, Atque haurire: iuvatque novos decerpere flores Insignemque meo capiti petere inde coronam, Unde prius nulli velarint tempora Musae.* — 4. *Itala — choros*, elegos ad graeca, vestra exempla, componere et conformare aggressus sum. Sed *Itala — choros* per hypallagen dictum est pro *Graia orgia per Italos choros ferre*, nam *sacra* proprie *ferri* dicuntur. Virg. Aen. VI, 810; VIII, 85. Imago desumta a pompa et ferculis sacrorum. — *orgia*, loquitur enim tanquam sacerdos. Servius ad Virg. IV, 303: *Orgia, omnia sacra apud Graecos, ut apud Latinos ceremoniae.* Caet. Virg. Georg. II, 176, eodem sensu dixit: *Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.*

5—12. Indicari sibi vult a Philetae et Callimachi manibus, quomodo ad tam egregiam facultatem poëticam pervenerint; et quum antra poëticis inspirationibus accommodata crederentur, atque non minus quam nemora Musis sacrata essent, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. III, 4, 39: addit: *quonam in antro* elegias

Ah! valeat, Phoebum quicunque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levat terra sublimis, et a me
Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.

composuistis? nam *carmen tenuare* est, tenue carmen, id est elegiam componere; quae tenue carmen, carminis epici respectu, dicitur. — *quove pede ingressi*, quam viam? quomodo ingressi estis antrum illud? Nihil amplius. — *quamve bibistis aquam*, e quonam fonte puro bibistis? id est quonam modo spiritum poëticum aluistis? Conf. eleg. 3, 51 seqq. — 7. Sententia: non curo carmina epica eorumque scriptores: hanc sententiam eleganter ita expressit: valeat quicunque Phoebum detinet atque moratur in bellis proeliisque canendis. — *exactus versus*, carmina summa cura polita et limata. — *eat*, prodeat, fiat. — *tenui*, est enim de elegia sermo, *pumice* gracili, tenui stilo; transtulit ad versus, quod erat membranarum; membranas enim publicandas pumice polire ac laevigare solebant. Vid. Tibull. III, 1, 9; Catull. XXII, 8, 9 seqq. Suavissimus locus. Musam elegiae romanae, a se natam, secum triumphare dicit curru triumphali, in quo pariter vectantur Amores, et sicuti triumphantis imperatoris currum innumerabilis populi multitudo sequi solet, ita suum currum, ait, maximam scriptorum, id est poëtarum turbam secuturam esse. Omissa imagine sensus est: ego primus ad exemplar Philetae et Callimachi elegos scripsi (hinc Musam amatoriam romanam *a se natam* dicit); his carminibus meis politis atque limatis nominis immortalitatem consequar, atque insignis poëtarum multitudo meum exemplum aemulabitur, me ducem sequetur. Compara Horat. Carm. III, 30, 14 seqq. — *quo*, scil. versu. — *fama levat terra sublimis*, immortalis ero. Horat. Carm. I, 1, 36: *Sublimi feriam sidera vertice.* Id. II, 2, 7: *Illum aget penna metuente solvi Fama superstes.* — *coronatis equis*, coronis enim triumphantium equi ornabantur. Ovid. Trist. IV, 2, 25.

13–18. Nova imago sequitur, a stadio desumta. Poëta quasi curru invehens, et alios pone sequentes respectans, illis acclamat: *Quid frustra missis*, immissis et laxis loris *in me certatis?* Haud dubie Propertii aetate Romae vivebant poëtae certatim elegias conscribillantes, Propertio invidentes (*invidam turbam* eos vers. 21 dixit) quorum ne nomina quidem ad posteritatem pervenerunt; atque hos h. l. alloquitur. — *non datur*, conceditur, ut Ovid. Met. I, 486 etc. — *currere lata via*, res ardua est, non cuique datur Musarum choro se immiscere, non cuique Musae favent et serta ferunt. Sed respexit his verbis Prop. quoque imaginem vs. praec,

Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poëtae,
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici foenore reddet Honos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas:
Maius ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?

exhibitam. Scilicet aurigis meta evitanda erat, curru proxime circa eam acto, neque tamen alliso, vid. Horat. Carm. I, 1, 4. Dicit ergo poëta se hac via angusta iam cucurrisse, ideoque aemulos frustra contendere, ut ipsi palmam praeripiant. – 15 sqq. Elegans apostrophe ad urbem Romam. Auguratur carmina sua plures lecturos, et maiori cum animi voluptate lecturos esse, quam epica carmina. – *annalibus addent*, in libris fata et gesta populorum continentibus, et tuas laudes, Roma, canent. – *Bactra*, urbs provinciae Bactrianae in Asia caput; pro regione remotissima, et ultimis terrae finibus commemoratur. Vid. ad II, 16, 40. — *canent*, vaticinabuntur. – *pace*, nempe mentis, bona cum pace, cum animi voluptate. – *opus hoc*, carmina mea non funesta bella canentia. – *de monte sororum*, Helicone Musis sacro. – *pagina nostra*, ornate pro ego scriptor. – *intacta via*, via non antea trita, vid. ad vs. 3.

19–24. Mollia serta Musas poscit poëta iis dignissimus. – *Serta mollia*, quae conveniunt poëtae molli, amores canenti, veluti hederacea Ovid. Amor. III, 9, 62; vel myrtea Tibull. I, 3, 66; Ovid. Am. I, 1, 29; Art. Am. II, 733 seqq.; Theocrit. Id. VII, 63. Opponitur *dura corona* ex aspera et rigida lauro nexa, epicis poëtis conveniens. Conf. II, 1, 40; IV, 1, 61. – *non faciet*, non convenit. – *Honos*, h. l. tanquam dea spectatur, ut Cic. Leg. I, 11; Verr. IV, 54. Caeterum compara Horat. Carm. II, 20, 1 sqq. – *vetustas*, seri nepotes, ut Virgil. Aen. X, 792. — *maius – venit*. Ovid. Pont. IV, 16, 3 seqq.: *Famaque post cineres maior venit: et mihi nomen Tunc quoque, quum vivis annumerarer, erat.* Trist. IV, 10, 122: *Tu mihi (quod rarum) vivo sublime dedisti Nomen, ab exsequiis quod dare Fama solet.*

25–28. Belli Troiani memoria interiisset, et viri rebus gestis illo tempore vel maxime conspicui, inglorii posteritatem latuissent, nisi Homerus extitisset; et Homero ipsi posteritas nomen sublime dedit. Mira suavitate haec poëta extulit. Imitatus autem est Theocritum, vid. Idyl. XVI, 42 sqq. Compara praeterea Horat. Carm. IV, 9, 25; Ovid. Pont. IV, 8, 51. — *Nam quis*, elegans ἀποσιώπησις. *Nam*,

Fluminaque Aemonio cominus isse viro?
Idaeum Simoënta Iovis cunabula parvi?
Hectora ter campos, ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta sine armis?
Qualemcunque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
Troia, bis Oetaei numine capta dei.

nisi illa essent, *quis nosceret* etc. respondet Graecorum ἐπεί. Laudavit hanc in rem Marklandus ad h. l. Lucian. de conscrib. hist. §. 38, pag. 49; Soph. Oed. Tyr. 441; Ovid. A. A. I, 625. – *arces*, Πέργαμος ἄκρα. – *equo abiegno*, Homer. Il. O, 71; Odys. Θ, 492; Δ, 271; Heyne Exc. II, et VII ad Virg. Aen. II. – *pulsas*, pro pulsatas. Burm. monet, Propertium eos secutum esse, qui arietis muralis machinam fuisse equum Troianum tradiderint. Vid. Plin. H. N. II, 56; Pausan. in Attic. cap. 23. – *Aemonio viro*, Achilli. Xanthum adiutum a Simoënte, aquarum copia Achillem submergere voluisse, uberius narravit Homer. Il. Φ, 210 sqq. – *Idaeum Simoënta*, ex Ida monte fluentem, unde *Idaeus*. Ida mons Cretensis et Phrygius. Iovem in Ida Cretae monte natum educatumque fuisse, plures tradidere, vid. Virg. Aen. III, 104. H. l. vero Ida, Phrygiae mons memoratur, nam Simois Phrygiae fluvius. Sed fabulae Cretenses et Phrygiae a poëtis confusae sunt. Vid. Strabo X, pag. 710 sqq.; Heyne ad Apollod. tom. I, pag. 15, 16. Male ergo Burm. ad Ovid. Met. XIV, 589 h. l. per *Iovem parvum* Aenean intelligit, coll. Virg. Aen. I, 617. – *Hectora – rotas*. Virg. Aen. I, 483 (Achilles): *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros*. Id. II, 272; Homer. Il. Ω, 16.

29–32. *Deiphobus*, Priami filius, vid. Homer. Odys. Δ, 276; Θ, 517 sqq.; Virg. Aen. VI, 500 sqq. Troianorum, excepto Hectore, fortissimus. – *Helenus*, Priami filius, vaticinandi arte clarus, vid. Homer. Il. Z, 76 sq.; Virg. Aen. III, 295. – *Polydamas*, Antenoris filius, prudentiae fama celebratus, vid. Homer. Il. Σ, 249; Pers. Sat. I, 4. – *sine armis*, perquam significanter; Helenus enim et Polydamas (Il. M, 230) non tam fortitudinis, quam sapientiae et prudentiae laudibus florebant; Deiphobo vero, qui inermis periit, Helena, quam post Paridem sibi uxorem iunxerat, arma abstulerat, vid. Virgil. Aen. VI, 523. – *qualemcunque Parin*, sive bellicosus fuerit, sive imbellis adulter Homer Il. Γ, 38 sqq. – *exiguo sermone fores*, non adeo multum de te notum esset; obscura de te fama esset. *Ilion*, urbs Troianorum. – *Troia*, nomen regionis, sed a poëtis centies pro Ilio urbe ponitur. Res nota. – *bis capta*, primum ab Hercule ipso, sub Laomedonte, qui ei equos promissos denegarat, deinde sub Priamo, ope sagittarum Herculis, quae Philoctetae obtigerant, quibus hic Paridem confixit, sed sine sagittis illis Troia expugnari non poterat. Vid. interpp. ad Hygin. fab. 89; Soph. Philoct. 1485; Val. Fl. II, 571; Ovid. Met. XI, 194 seqq.; Homer. Il. Φ, 443 seqq.; Serv. ad Virg. Aen. II, 610; I, 553; Senec. Agam. 614;

Nec non ille tui casus memorator Homerus
  Posteritate suum crescere sentit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes.
  Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulcro,
  Provisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
  Gaudeat ut solito tacta puella sono.

Troad. 135. – *Oetaei numine dei*, id est ab Hercule, qui *Oetaeus deus* dicitur ab Oeta monte, vid. ad I, 13, 24.

33–40. Ovid. Art. Am. III, 413: *Sed famae vigilare iuvet: quis nosset Homerum, Ilias aeternum si latuisset opus.* Anthol. Lat. lib. II, pag. 448: *Carmina sola carent fato, mortemque repellunt. Carminibus vives semper, Homere, tuis.* – *memorator*, qui epico carmine tua fata cecinit. *Memorare* pro grandiloquo sermone, ut carmine epico, aliquid narrare II, 1, 25; 10, 3. – *crescere suum opus*, laude postera, laudes suas augeri. Horat. Carm. III, 30, 7: *Vsque ego postera Crescam laude recens.* — *sentit*, vid. ad II, 13, 42. – *ipse diem* vid. Obss. – *Provisum est*, curavi, ut magis ingenio notus sim posteris, quam sepulcri titulo et inscriptione. – *lapis*, nomen incisum lapidi sepulcrali. – *Lycio deo*, Apolline numine poëtarum tutelari. Lycius dicitur a Lycia, Asiae minoris regione, in qua urbs Patara fuit, Apollinis templo et responsis nobilis. Horat. Carm. III, 4, 62 seq.: *qui Lyciae tenet dumeta – Patareus Apollo.* Vid. Lycophr. 920; Mela I, 15; Virg. Aen. IV, 143. – 39 sqq. Sed exspatiatus paulisper, revertor, et cancellis meis me contineo; locutio ab arte Circensi depromta: *adtrahe lora Fortius, et gyro curre poëta tuo.* Ovid. Am. Rem. 398: *illuc unde abii redibo* (Horat. Sat. I, 1, 108) ad carmina mollia revertar, quae cecini semper, semperque canam. – *carminis*, nempe amatorii. – *Gaudeat ut puella*, me mea carmina recitantem audiens II, 13, 11; 26, 25.

# ELEGIA II

## POEMATA SOLVM VACARE MORTE

Orpheu, te lenisse feras et concita dicunt
  Flumina Threicia sustinuisse lyra.
Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
  Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna,
  Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,

ELEGIA II

**Argumentum**: Magna fuit omni tempore, praesertim in amore, vis poëseos; mea carmina grata sunt puellis, earumque animos movent. Divitias non possideo, nec eas desidero, sed in parva mea fortuna acquiesco; ego carminibus delector, quibus magnam iam nominis famam adeptus sum; et felix praedicanda est puella, quam mea carmina canunt. Nam divitiae pereunt, aedificia splendidissima corruunt, sed ingenii mei monumenta certissima sunt, perpetuoque durant.

1–8. Exemplis e fabulosa antiquitate depromtis vim poëseos demonstrat, ita ut primo loco Orpheae lyrae effecta commemoret. Vid. ad II, 13, 5. – *lenisse*, ut *lenire tigres* Horat. A. P. 393. Sic *mulcere* Senec. Med. 229. – *sustinuisse*, cohibuisse, inhibuisse eorum cursum; eleganter, quum praecesserit *concita flumina*. Albinov. in mort. Drusi 229: *Sustentabat aquas, cursumque inhibebat aquarum*. Sic *animam sustinere* pro remorari Quinctil. Decl. XII, 2. – *Cithaeron*, mons Boeotiae prope Thebas, cuius saxa Thebas agitata per Amphionis artem, ultro in muros coierunt. Vid. ad I, 9, 10. Ita autem sermone antiquo summa poëseos vis declarabatur. — *per artem*, nempe lyrae Amphioniae, sed *per artem* positum est pro arte, ut apud Virgil. Aen. VIII, 143; Sil. Ital. IV, 715, vid. interpp. ad Gratii Cyneg. 151. – *Polypheme*, vid. ad II, 33, 32. – *Galatea*, conf. I, 8, 18. De Polyphemo Cyclope, Galateae Nymphae amatore, vid. Theocrit. Id. VI, 6 sqq.; Idyl. XI; Ovid. Met. XIII, 755 seqq.; Hygin. fab. 125. — *fera*, inculta, horrida. – *rorantes equos*, intelliguntur equi marini in pisces desinentes, quibus, ut monumenta docent, dii marini vehi solebant, vid. Georg. IV, 389; Tibull. I, 5, 45. – *rorantes*, rorem spargentes natando, epith egregie ornans. — *Baccho*, erat enim non minus quam Apollo, numen poëtarum tutelare. Vid. II, 5, 26; Calpurn. Ecl. IV, 56. – *dextro*, mihi favente et propitio, *turba puellarum* tenera *si mea verba*

Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes:
Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas:
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites et carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.

carmina mea mollia, amatoria *colit*, libenter audit et legit, iisque movetur. II, 26, 26.

9–12. Divitias non possideo, neque vero etiam eas desidero, quum Musae mihi faveant, quum divitiae fragiles sint atque caducae, carmina vero mea immortalitatem mihi largiantur. Sententiam illam, divitias non possideo, specialibus notionibus, aetatis suae luxuriam perditam respiciens repraesentavit poëta. Compara Horat. Carm. II, 18, 1 sqq. – *Quod*, pro quamvis, vid. Heins. ad Ovid. Heroidd. XVII, 51; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 484. – *fulta columnis*, marmoreis, domus mea nullas porticuum contignationes habet, Memorat marmor *Taenarium* ex Taenaro Laconiae oppido, quod viride erat, et inter pretiosissima numerabatur. Vid. Tibull. III, 3, 14; Plin. H. N. XXXVI, 7; Statius Silv. I, 3, 4. – *camera*, scil. camara, ut proprie semper scribendum esse docuit Burm. ad Petron. 30; ad Phaedr. IV, 24, 29: erat tectum in curvitatem formatum, auro et ebore inductum, condecoratum, *plafond*. Vid. Plin. H. N. XXXIII, 3. – *Phaeacas silvas*, spectantur Alcinoi, regis Phaeacum, horti amoenissimi, de quibus vid. Homer. Odys. H, 112, ubi poma praestantissima ac perennia, propter Zephyrum semper spirantem. Add. Virg. Georg. II, 87. *Phaeacia* insula maris Ionici, Corcyra, hodie *Corfù*. Plin. H. N. IV, 12. – *operosa antra*, multa arte et sumtu elaborata. Sic *operosus* legitur quoque Ovid. Heroidd. III, 31; Am. II, 10, 5. Romani ex aquaeductibus in hortos, in quibus huius generis antra, aquam derivare solebant. Vid. Stat. Silv. I, 3, 66, ibique Markland. Commemoratur *Marcius liquor*, id est aqua, utpote clarissima et saluberrima. Plin. H. N. XXXI, 3: *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma, praeconio Vrbis, Marcia est; inter reliqua deum munera Vrbi tributa – Primus eam in Vrbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius Rex in praetura*. Vid. Vulp. ad Tibull. III, 6, 58; Graevii Thes. Antiq. Rom. vol. III, pag. 383; vol. IV, 1747.

13–16. *At Musae comites* sunt, quas semper se comitari, votorum poëtarum summa erat. Ovid. Am. I, 3, 12: *At Phoebus, comitesque novem*. Vid. Burm. ad Lotich. pag. 372. Sensus: Musae mihi favent. – *cara*, grata *legenti*, Cynthiam inprimis intelligit. Coll. eleg. 1, 40. Sententia: *Musae comites* iam accuratius exornatur: *Et – meis*, Musae ad fontes ipsis sacros choreas agitant. Vid. ad II, 10, 1; III, 5, 20. Iam pro vulgari Musae nobis favent, poëtae dicere solent, inter Musas versamur, choros cum iis celebramus. Eodem

Fortunata meo si qua es celebrata libello;
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.
Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
Nec Iovis Elei coelum imitata domus;
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant:
Aut illis flamma, aut imber subducet honores;
Annorum aut ictu pondera victa ruent.

sensu h. l. Prop. eleganter dixit: Calliopea meis choris defatigatur, Musarum choris implico manus (eleg. 5, 20) et Calliopea choros ducit; pro quo et dicere potuisset, Calliope mihi carmina dictat, vid. II, 1, 3. – *Calliopea*, cum dilectu, quoniam ei Musarum principatus defertur Hesiod. Theog. 79. — 15. Felicem praedicat puellam, id est Cynthiam, suis carminibus celebratam; carmina mea, inquit, totidem monumenta perennia insignis tuae pulchritudinis erunt. – *si qua*, incerto sermone, certam puellam, nempe Cynthiam designat.

17–20. Hanc ipsam sententiam, carmina mea tuae formositatis monumenta perpetua erunt, artis suae coloribus egregie perpolivit poëta. Compara Horat. carm. III, 30, 1 sq.; Ovid. Met. XV, 871 seqq. – *Pyramidum sumtus*, docte pro Pyramides magno sumtu exstructae. De Pyramidibus, ingentibus illis regum Aegyptiorum sepulcris, quae hoc loco propter firmitatem et stabilitatem commemorantur, vid. Plin. H. N. XXXVI, 12; Herod. II, 124; Diod. Sic. I, 43. Meister de pyramidum aegypt. fabrica et fine; et quos laudavit Beck Anleitung zur Kenntniss der allgemeinen Welt- u. Volkergeschichte th. I, p. 168 seq. – *Iovis Elei domus*, intelligitur templum Iovis Olympici in agro Pisano celebratissimum, inauratum, et stellis signisque coelestibus distinctum. De statua Iovis Olympici, vid. Heyne Antiquar. Aufsatze tom. II, pag. 165 seq. – *domus*, pro templo, ut Iuvenal. Sat. IV, 40: *domus Veneris*. — 19. *Mausoleum*, sepulcrum splendidissimum, quod Artemisia Mausolo marito, Cariae regi, per summos artifices exstruendum curavit. Vid. Plinius H. N. XXXVI, 5; Cic. Tusc. III, 3; Caylus Abhandlungen zur Geschichte und Kunst. tom. II, pag. 1 seq.; Heyne Antiquar. Aufsatze, tom. I, pag. 233. — *fortuna dives sepulcri*, pro sepulcrum magnificentissimum. – *fortuna*, saepius idem quod conditio, status. – *extrema conditione*, lege, determinatione, nempe *mortis*, id est interitus, *vacant*, immunes sunt, carent.

21–24. Iam memorantur talia, quae aedificia firmissima ac splendidissima corrumpere et evertere possint, ingenii monumenta non possint. Pind. Pyth. II, 7 seq.: τὸν (nempe ὕμνων θησαυρὸν) οὔτε χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθὼν ἐριβρόμου νεφέλας, στρατὸς ἀμείλιχος, οὔτ' ἄνεμος ἐς μυχοὺς ἁλὸς ἄξοι παμφόρῳ χεράδι τυπτόμενον. – *imber*, Horat. loc. cit. addit *edax*. – *honores*, splendorem, pulchritudinem. — *annorum ictu*, vi temporis longioris; paullo audacior

At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

## ELEGIA III

### PROPERTII SOMNIVM

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,

metaphora, neque tamen a Propertii ingenio aliena. Aliis in locis *fortunae*, Ovid. Pont. II, 7, 41; *calamitati*, Cic. Agrar. II, 8; *voluptati*, Fin. I, 10, ictus tribuuntur. — *victa*, de operibus, edificiis etc. tempori et longae aetatis iniuriis cedentibus, verbum *vinci* adhiberi saepius, docuit Burm. ad Petron. 83. – *ruent*, apposite, quum de Pyramidum molibus et Mausoleo antea fuerit sermo, vid. Ovid. Trist. II, 86. – 23. *At non* etc. Laudat Burm. Anthol. Gr. III, 14, epigr. 1: Οὔνομα μὴν ἥρωος ἀεὶ νέον· οὐ γὰρ ἀοιδὰς Ἀμβλύνειν αἰὼν (κἢν ἐθέλῃ) δύναται. Theocrit. Id. XVI, 58: Ἐκ Μοισᾶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισι. – *ab aevo*, diuturnitate temporis. Ovid. Amor. I, 15, 32: *quum dens patientis aratri Depereant aevo, carmina morte carent.* – *stat*, dicitur, quod dignitatem et fortunas suas tuetur. Sensus igitur est: carmina sunt perennia, et fama, quam tribuunt, perennis est. Sed maiorem vim oratio habet, in gnomes formam redacta. Anthol. Lat. tom. I, pag. 449, CCLXII: *Ingenio mors nulla nocet; vacat undique tutum: Illaesum semper carmina nomen habent.*

Elegia III

Ingenium suum sublimioribus rebus canendis minime convenire, se levioribus unice aptum, elegiographum et Philetae imitatorem esse, profitetur poëta. Satis vulgare argumentum, sed hoc in carmine novo plane modo, et perquam eleganter expressum. Scilicet qui ex fontibus Heliconis et Parnassi aquam potaverant, inspirari se, et qui vertice Heliconis somniantes recubuerant, poëtas se existere opinabantur. Vid. Casaub. ad Persii Prolog. pag. 9. Itaque poëta somnium vidisse fingens, narrat, se in Heliconis umbra recubuisse, eo consilio, ut fieret poëta heroicus, sed ab ipso Apolline ab hoc audaci conatu revocatum, et a Calliope inauguratum esse carminis elegiaci poëtam, imitatoremque Philetae.

1–6. Per quietem videbar mihi in Helicone, monte Musis sacrato, recubare. – *molli in umbra*, erat enim consitus arboribus, fruticibus et herbis saluberrimis, suavissimique odoris. Ovid. Met. V, 265 seq. – *qua*, parte, *fluit humor*, intelligitur Hippocrene, fons Musarum, quem Pegasus terram scalpendo aperuerat, Ovid. Fast. V, 7; Eratosth. Cat. 19; Pind. Olymp. XIII, 89 seqq. Pegasus, quo vectus Bellerophon Chimaeram interfecit, hoc loco dicitur *equus Bellerophonteus*, vid. ad II, 30, 3. – 3. seq.

Reges, Alba, tuos, et regum facta tuorum,
  Tantum operis nervis hiscere posse meis,
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
  Vnde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, et Horatia pila,
  Regiaque Aemilia vecta tropaea rate;
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram

Arbitrabar, me quoque carmine heroico argumenta gravia pertractare posse. Sed vide, quanta arte, quam diversis ac splendidis coloribus hanc sententiam poëta adornaverit. Pro gravi argumento quocunque memorat reges Albanos, eorumque *facta*, res bello gestas. Nam ab Albanis Romani oriundi. — *Alba* Longa urbs Latii, a candore montis ita dicta, vid. Heyne ad Tibull. I, 7, 58, condita ab Ascanio, Aeneae filio, a quo Augustus genus ducebat, Virg. Aen. I, 286; VI, 793, cui adeo callide his verbis adulatur Propertius. Conf. et el. 4, 19. — *nervis hiscere*, pro canere; sic *hiscere* pro loqui Virg. Aen. III, 314. Exquisite; etenim conatum loquendi magis significat, quam loqui, ut *hiare* legitur Prop. II, 31, 6. — 5. Ego poëta mollis putabam me scribere posse carmina heroica. — *Parva ora* tribuuntur poëtae molli et amatorio, vid. ad II, 1, 39; 10, 12. — *magnis admoram fontibus*, e quibus Ennius bibit, vid. not. ad el. 1, 3. Laudat *Ennium* romanorum poëtarum epicorum principem, qui annales et bella populi romani versu heroico scripsit, vid. de eo Sil. Ital. XII, 293; Valer. Max. IX, 14; Ovid. Art. Am. III, 409; Quinctil. Inst. Orat. X, 1; Wieland Horazens Briefe th. II, pag. 95. — *pater*, honoris nomen, ut apud Horat. Epist. I, 19, 7.

7-12. Quo dilucidius appareat, cuius generis res, ad Ennii exemplum, se carminibus suis pertractare posse putarit in somnis Propertius, cum insigni dilectu talia nonnulla ex Ennii annalibus proferuntur. — *Curios*, *Horatios*, intelligit proelium tergeminorum fratrum Curiatiorum, Albanorum, adversus tergeminos fratres Horatios, Romanos. Vid. Liv. I, 24, 25. Curiatios vocat noster *Curios*, notante Livineio, eadem licentia, qua Plaut. Amphitr. Alcmenam Electri filiam vocarit, quum Electryonem intellexisset. — *Horatia pila*, docte pro Horatios pilatos. *Pilum* fuit hasta Romanorum, vid. Veget. R. M. II, 15. — *Aemilia rate*, est illa ratis, qua L. Aemil. Paulus Macedonicus, post victoriam de Perse rege Macedoniae reportatam, Romam reversus per Tiberim navigavit. Liv. XLV, 35: *Paulus ipse post dies paucos regia nave ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus, completis ripis obviam effusa multitudine.* Add. Flor. II, 12. — 9. *Victricesque moras Fabii*, rem Romanam a Q. Fabio Maximo Cunctatore restitutam, qui Hannibalem iuveniliter exsultantem patientia sua mollivit ac vicit. Cic. de Senect. cap. 4. Manil. Astron. I, 787: *Invictusque mora Fabius.* Historia no-

Cannensem, et versos ad pia vota deos;
Hannibalemque lares Romana sede fugantes,
 Anseris et tutum voce fuisse Iovem:
Quum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
 Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
 Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti.
 Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Vt tuus in scamno iactetur saepe libellus,
 Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros?

tissima. – *pugnamque sinistram Cannensem*, in qua ab Hannibale Romani ad internecionem usque caesi sunt, vid. Liv. XXII, 44 seqq. – *et-deos*, recte explicant de supplicationibus, quibus post cladem Cannensem Romani deos, et inprimis Iunonem iratam mitigarunt. – 11. *lares*, publici penates, diique Romanorum tutelares. Vid. Heins. ad Ovid. Fast. II, 616. – *Romana sede*, Romanis sedibus et urbe, l. ipsa urbe Roma, sede reipublicae. – *Anseris – Iovem*, Capitolium anserum strepitu servatum. Liv. V, 47; Lucret. IV, 687, ibique interpp.

13–20. Poëtae ex Ennii fontibus bibere volenti apparet Apollo, eumque dehortatur, ne carmina heroica scribat. – *Castalia ex arbore*, id est luco Castalio, ut eleg. 22, 33. – *ad antra*, iuxta antrum. Antri Castalii meminit etiam Ovid. Met. III, 14. De fonte Castalio, Musis sacro, in monte Parnasso, vid. Plin. H. N. IV, 3. Parnassus haud procul ab Helicone situs. — *nixus lyra*, sinistro cubito leniter innixus lyrae suae in numismatibus antiquis quoque passim exhibetur Apollo. Add. Stat. Theb. VI, 356. – *cum tali flumine*, supra vs. 5, *tam magnis fontibus*. – 18. Elegans imago, qua notio haec exprimitur: elegi tibi sunt scribendi, quam eandem notionem variis coloribus exornatam in seq. poëta repetiit. – *prata rotis terere*, id est currum agere per prata, et orbitam imprimere. – *mollia prata*, memorat, quum de carmine molli elegia sermo sit. Frequens autem est apud nostrum a curriculo allegoria. – 19. Vt puellae tua carmina legant. Sed quam suaviter et ornate haec sententia expressa! Non puellam simpliciter nominat, sed exspectantem virum, amatorem; solam, solitariam, in scamno ad lecti pedes sedentem. Vt morae taedium fallat, Propertii carmina ipsi gratissima legit; sed ut vivide depingatur notio haec: flagrantissimo desiderio exspectat amatorem aestuans et conturbata puella, additur: *ut in scamno iactetur saepe*, deponatur saepius et repetatur, in manus recipiatur tuus libellus.

21–24. *praescriptos evecta est gyros*, de carmine terminos propositos transgresso. Stat. Silv. IV, 7, 1: *For-*

Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, et Sileni patris imago

*tis heroos Erato labores Differ: atque ingens opus in minores Contrahe gyros.* Desumta formula ab arte Circensi, de qua *flectere equos in gyros* frequenter occurrit. Vid. Markland. ad Stat. Silv. pag. 273. – 22 seqq. *Non – tui*, noli maiora viribus tuis aggredi: a scribendis carminibus heroicis ingenii tui, elegis tantum apti, tenuitas te absterrere debet. Nempe grande argumentum tractaturus, *pelago se credit* (Ovid. Trist. II, 330); *pelago volans dat vela patenti* (Virg. Georg. II, 41); *velifera tumidum mare findit aqua* (Prop. III, 9, 35): contra mollia carmina scripturo *cymbae conveniunt vela minora* (Ovid. A. A. III, 27), tenuis venae *cymba*, *in exiguo ludit lacu* (Ovid. Trist. l. c.) tenuis non debet grandia conari, *non sunt apta ipsius grandia vela rati* (Propert. III, 9, 3), sive, ut hoc loco legitur, *non est ei cymba gravanda*, sed *radat arenas*, litora tantum legat. Sic *radere* Virgil. Aeneid. VII, 10; Ovid. Met. XIV, 416. – *turba*, pro turbinibus et fluctibus maris commoti, ut *pelago turbante* Lucan. III, 593.

25–30. Apollo ostendit Propertio locum, qui iam accuratius describitur, in quo commode possit sedere inter poëtas. – *nova semita*, significanter, nondum trita: in oratione soluta dixisset: scribendae mihi sunt elegiae ad exemplum Callimachi et Philetae, vid. ad el. 1, 3, 18. – *muscoso solo*, II, 30, 26: Burman. ad Phaedr. III, Prolog. 38. – *affixis*, lapillis ita haerentibus, ut arte et opere, non natura haerere viderentur. — *viridis*, ob muscum et viridem lanuginem. — *pendebant cavis pumicibus*, ut Virg. Ecl. VII, 24: *sacra pendebat fistula pinu.* Pumices, vid. el. 1, 8, frequentes in antris. – *tympana*, utebantur iis in sacris Cybeles et Bacchi. De forma, eiusque vario usu, conf. Perizon. ad Ael. H. V. XI, 8; Montfaucon Antiq. Explic. tom. III, pag. 346; Suppl. tom. III, pag. 197, et quos laudavit Ruperti ad Iuven. Sat. III, 64. – 29. Antrum illud Baccho, Musis, Sileno, Pani, Venerique, mollium amatoriorumque poëtarum diis tutelaribus erat sacratum. – *Ergo*, vetusta et rariori significatione positum pro deinde, tum porro, ut apud Horat. Sat. II, 6, 70. Vid. Festus voc. *igitur*; Taubman. ad Plaut. Mostell. II, 1, 33. – *Silenus*, Bacchi praeceptor, deus fatidicus, musices amans, qui in Parnasso locum quoque habebat. Vid. Perizon. ad Ael. H. V. III, 18. – *patris*, nomen honoris, reverentiae ac religionis, proprie ac primum maioribus diis, deinde et reliquis tributum. Vid. interpp. ad

Fictilis, et calami, Pan Tegeee, tui.
Et Veneris dominae volucres mea turba columbae
Tingunt Gorgoneo Punica rostra lacu.
Et diversa novem sortitae rura puellae
Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat, at illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una sororum:

Virg. Aen. I, 155; Valer. Fl. I, 11; Petron. 41. – *imago fictilis*, e luto vel argilla, more antiquo, IV, 1, 5. – *Pan*, Arcadius deus, I, 18, 20, unde *Tegeaeus* (a Tegea, Τεγέα, Arcadiae urbe, Plin. H. N. IV, 6; Liv. XXXV, 27, quae et pro Arcadia ipsa ponitur Stat. Theb. XI, 177; Claudian. B. Get. 576), pastorum, venatorumque deus, inventor fistulae e septem calamis disparibus compactae, unde hoc loco *calami tui*. Vid. Virg. Ecl. II, 32 seq.

31–36. *Columbis* Veneri consecratis, vid. interpp. ad Petron. cap. 86; Cerda ad Virg. Aen. VI, 190, quas suam *turbam* suas delicias vocat, vid. II, 15, 27, eleganter quoque hic poëta locum tribuit. – *Gorgoneus lacus* est Hippocrene, fons equi Gorgonei, id est Pegasi, ex cruore Medusae orti, ungula pedis apertus, vid. ad vs. 2; et II, 30, 3. – *punica rostra*, subrubentia et colore accedentia ad florem mali Punici, ut Ovid. Am. II, 6, 22, rosam vocat puniceam, Horat. Carm. IV, 20, 4. – 33. Praeclarum phantasma. Conspicit Musas, *novem puellas*, diversa rura, sive agros, sortitas, ibique flores legentes, et diversis poëtis munera diversa parantes; haec legit hederas in thyrsos (hastas pampinis et hedera cinctas, quales Bacchus et Bacchantes gestasse feruntur, vid. Virg. Ecl. V, 31; Fischer. ad Anacr. VI, 5), quos poëtis dithyrambicis donet, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 19, 5; IV, 2, 10: haec carmina nervis aptat, quae lyricis poëtis donet: illa rosas decerpit, munera grata amantibus. – *diversa rura*, singulae Musae diversos agros sortitae dicuntur; vs. 35 seqq. hederae et rosae commemorantur diversos campos requirentes, unde patet lectionem *rura* probam esse. Vid. Obss. – *exercent manus*, eas otiosas esse non patiuntur, summo studio flores undique decerpunt. Rem omnino *exercere* dicimur, qua multum utimur, ut quasi lassetur, vid. Burm. ad Val. Fl. III, 162; Oudendorp. ad Lucan. III, 693; Duker. ad Flor. IV, 12. – *in sua dona*, quae poëtis donent. – *texit rosam*, roseas corollas nectit. Veneris et Cupidinis eiusque comitum corollae fere e rosis nexae erant, Anacr. Od. LIII, 7; Ael. H. V. XII, 1 init., ibique Perizonius, et rosa erat Baccho, Veneri (Paus. VI, 24, pag. 613 Kuhn. Philostrat. ep. 32) et Cupidini sacra, unde Ερωτος ἄνθος dicitur Anacr. LIII, 15; et vs. 43, φυτὸν Λυαίου. – *utraque manu*, depingit studium et ardorem; ac proprie de iis dicitur, qui omnibus viribus aliquid agunt, oppos. *una manu*, id est levi opera,

Vt reor a facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Ni tibi sit rauco praetoria classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano proelia signo
Stent, et Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia moerenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,

vid. Burm. ad Calpurn. Ecl. III, 15.

37–42. *Calliopea*, Musarum princeps, el. 2, 14, quam et Propertius prae caeteris semper commemorat. – *Contentus* sis elegos amatorios scribere, nec progredere ad bella carmine epico canenda. Vt hanc sententiam illuminaret poëta, commemoravit currum Veneris a cycnis tractum, de quo vid. interpp. ad Horat. Carm. IV, 1, 10; Stat. Silv. I, 2, 42. – *vectabere cycnis*, vectari verbum mollis gestationis esse docuit Burm. ad Petron. cap. 101. Ovidius contra, ostendens finem rebus amatoriis esse imponendum, A. A. III, 809, canit: *Lusus habet finem: cycnis descendere tempus, Duxerunt collo qui iuga nostra suo.* — 40. Nec sis bellator, id est nec bella cane; poëtae enim saepius, quae canunt, ipsi facere dicuntur, vid. II, 1, 18 – *Ni tibi sit flare*, pro noli flare, graec., ut I, 20, 13; Theocrit. Id. VIII, 53: μή μοι εἶη ἔχειν. *ni*, pro ne. Noli canere classicum cornu, Virg. Georg. II, 539: *Necdum etiam audierant inflari classica.* Sed *classica praetoria* dicuntur, quia classicum apud praetorem, id est imperatorem canitur. Vid. Lips. de Milit. Rom. V, 9. – *cingere nemus Marte*, bellatoribus, bello; eleganter, quum Calliope loquens inducatur, pro bella canere.

43–52. Suppl. Ni tibi sit canere. — *Mariano-stent*, pro Mariana signa stent proelio, id est ad proelium committendum. *Mariana signa*, id est aquilae; C. Marius aquilam romanis legionibus proprie dicavit, in secundo consulatu, abdicatis aliis signis, ut scribit Plin. H. N. X, 4. De *Mario* vid. II, 1, 24. – *Teutonicas opes*, de Teutonibus, Germaniae populis, quos Cimbris vicinos facit Plin. IV, 14 a Mario victis, vid. Plutarch. vit. Mar. – 45. *Suevo sanguine perfusus*, significatur fuga et clades Ariovisti, vid. Caes. B. G. I, 53. *Suevi*, Germaniae nobilissima et fortissima gens: de qua vid. Caes. loc. cit. IV, 1 seq.; Tacit. Germ. cap. 38. – *Saucia-aqua*, compara Catull. LXIV, 357 sq.; Sil. Ital. I, 45 seqq.; Virg. Aen. I, 101. – 47. *Quippe*, scilicet *canes amores.* Sed quoniam in antecedentibus proeliorum bellorumque mentionem fecit poëta, non simpliciter amores memorat, sed rixas amantium ad limen alienum; canes, inquit, non Martis, sed Veneris bella. – *coronatos*, vid. ad I, 3, 21; 16, 7. – *alie-*

Nocturnaeque canes ebria signa fugae;
Vt per clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
Ora Philetaea nostra rigavit aqua.

## ELEGIA IV

### DESCRIPTIO TRIVMPHI

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.

*num ad limen* mariti vel lenonis. – *ebria*, ebriosorum. – *signa*, eleganter, quum vs. 43 praecesserit: *Mariano proelia signo*, hoc loco intelliguntur coronae, faces. – *fugae* amatorum a rivalibus, vel maritis fugatorum. – 49. *Vt sciat excantare*, ut a te discat carminibus attrahere, elicere puellas; paucis: cane παρακλαυσίθυρα, vid. ad I, 16, 12. – *excantare*, exquisite positum pro simplici exorare, adhibetur enim proprie de frugibus, quae incantamentis et carminibus magicis de agro in agrum traducuntur, vid. Plin. H. N. XXVIII, 2; id enim magicis cantibus fieri posse credebatur. Tibull. I, 8, 19: *Cantus vicinis fruges traducit ab agris.* — *clausas puellas*, sollicita custodia septas. ἡ παῖς ἡ κατάκλειστος, Callim. Fragm. 118, ubi vid. Ruhnkenius. – *arte ferire*, dolis eos ductare; *ferire*, verbum hoc in re proprium, vid. Lindenb. ad Terent. Phorm. I, 1, 13; add. Plaut. Trin. II, 1, 19. — 51. Elegiaci carminis poëta, ad exemplum Philetae formatus, a Calliope inauguratur Propertius, aquam ei propinat ex eo fonte, e quo Philetas biberat. Vid. ad el. 1, 3.

#### Elegia IV

Augusto bellum adversus Indos et Parthos paranti bene ominatur Propertius, atque horum reliquorumque extremorum terrae populorum debellationem ei pollicetur. Scripta est haec elegia eodem fere tempore, quo lib. II el. 10.

1-6. *deus Caesar*, anno suo XXVIII, Augustus, ut Appian. Civil. IV, pag. 1178, tradit, oppidatim inter deos tutelares coli coepit. Sed summi et exquisiti honores illi annis 724, 725 fuerunt decreti, vid. Dio LI, 19, 20; Heyne Virg. Vit. Chronol. ad A. V. 718. – *ad*, pro adversus, ut II, 24, 25. Vid. Burm. ad Phaedr. IV, 3, 5, et quos ibi laudavit. – *findere*, Tibull. IV, 1, 173, *pontus confinditur aere*, id est rostris. – *maris*, Tibull. II, 2, 15: *Nec tibi, gemmarum quidquid felicibus Indis Nascitur, Eoi qua maris unda rubet.* — 3. *via*, de itinere longinquo et maritimo, saepius,

Magna viae merces, parat ultima terra triumphos.
  Tigris et Euphrates sub tua iura fluent.
Seres et Ausoniis venient provincia virgis:
  Adsuescent Latio Partha tropaea Iovi.
Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
  Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano: Crassos cladesque piate;
  Ite, et Romanae consulite historiae.
Mars pater, et sacrae fatalia lumina Vestae,
  Ante meos obitus sit, precor, illa dies;

ut Val. Fl. VIII, 38; Claud. Praef. lib. I Rapt. Pros. vs. 4. – *ultima terra*, vid. II, 10, 15, 17. – *sub tua iura*, Caesarem Octavianum victorem auguratur, et directam orationem ad eum eleganter convertit. Solemnis autem idea, qua fluvii terrarum victarum fortunam adversam sentire finguntur, Tibull. I, 7, 4: Prop. II, 10, 13. – 5. Praeter Indos et Parthos commemorantur *Seres*, qui quoque in extremis Asiae populis erant, ut exprimatur notio haec: Augustus orbem terrarum reget, et extremos quoque terrae populos debellabit. Sic *Seres* et *Indos* ac *Parthos* coniunctim quoque nominavit Horat. Carm. I, 12, 53 seqq.; add. Florus IV, 12. – *Ausoniis virgis*, docte pro fascibus romanis. Romanorum imperio se subiicient. – 6. *Adsuescent*, eleganter et poëtice pro Iovi suspendentur *dona captiva* (Sil. Ital. III, 14), spolia Parthica. Ovid. Trist. III, 12, 46: *Is precor auditos possit narrare triumphos Caesaris, et Latio reddita vota Iovi.*

7–14. Naves ipsas alloquitur. — *lintea*, nempe ventis. – *expertae bello*, a bello Actiaco vincere doctae. vid. Burm. ad Suet. Vesp. cap. 4. — 8. Locus paullo obscurior. Broukhus. et Iortin Obss. Miscell. vol. I, tom. III, pag. 378, explicant de equo phalerato, Consuli e publico in solitum munus oblato et Consularia insignia gerente. Vid. Lips. de Milit. Rom. III, 7; Harduin. ad Plin. tom. II, pag. 48; Heins. ad Val. Fl. III, 13. Alii intelligunt equos ante currum triumphalem coronatos, et phaleris ac torquibus ornatos, quae *solita munera bellica* erant equis ipsis, vid. Trist. IV, 2, 22; Pont. II, 1, 52: hinc equi ipsi στεφανηφόροι dicti, vid. Bentlei. ad Horat. Carm. IV, 2, 17. Sunt haud dubie equi ante currum triumphalem intelligendi, quos poëta h. l. alloquitur, et per *munus solitum*, solemne, intelliguntur spolia a curru triumphali dependentia. Conf. infra vs. 13 seq. – *Crassos cladesque piate*, delete maculam, Crassorum clade, nomini Romano adspersam, II, 10, 14. – *pater*, eleg. 3, 29. – *Vesta* erat in diis penatibus, quos Aeneas Troianus in Italiam transtulerat, Virg. Georg. I, 498: *Vestaque mater, Quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas.* Vid. Heyne Exc. IX ad Aen. II. – *fatalia lumina Vestae*, intelligitur aeternus Vestae ignis, qui si quando exstinctus esset, id reipublicae ominosum, prodigium maximum et tristissimum habebatur, vid. Dion.

Qua videam, spoliis onerato Caesaris axe,
 Ad vulgi plausus saepe resistere equos.
Inque sinu carae nixus spectare puellae
 Incipiam, et titulis oppida capta legam.
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
 Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem Venus: hoc sit in aevum,
 Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
 Mi sat erit, Sacra plaudere posse via.

Halic. II, 67; Liv. XXVIII, 8, 12. Conf. II, 10, 20. – *onerato axe*, vs. 8; II, 14, 24. — *ad-equos*, imitatus est nostrum Ovid. Trist. IV, 2, 54: *Ipse sono plausuque simul fremituque canentum Quadriiugos cernes saepe resistere equos.*

15-22. *Spectare incipiam*, pro simpl. spectem, II, 15, 33. – *in sinu nixus puellae*, suavis imago! oculos pascam pompa triumphali, reclinatus in amicae gremio et complexu. – *oppida capta*, in pompae triumphalis ferculis oppidorum simulacra, inscriptis nominum titulis, circumferebantur. Claudian. de laud. Stilic. III, 23: *Hi famulos traherent Reges, hi facta metallo Oppida, vel montes, captivaque flumina ferrent.* Ovid. Trist. IV, 2, 20: *Ergo omnis poterit populus spectare triumphos, Cumque ducum titulis oppida capta leget.* Add. Tibull. II, 5, 119 seq. – *tituli*, tabellae ipsae, in quibus oppidorum nomina scripta. Inter spolia nominantur *tela fugacis equi*, id est equitis Parthi, II, 10, 13, ut οἱ ἵπποι, equites, Xen. Cyrop. III, 3, 23, 65, et saepius. Parthi autem iaculis et arcu insignes. Ovid. Fast. V, 593: *Parthe, refers aquilas: victos quoque porrigis arcus.* Add. Trist. II, 227. — *braccati*, braccis enim, quarum usus Romanis insolitus erat, Parthi, Indi et Medi utebantur, vid. Ovid. Trist. V, 10, 34; Persius Sat. III, 33. – *captos*, pro captivos, ut I, 16, 4. – *subter arma sedere*, optime Gronov. ad Senec. Troad. 151 explicuit de ferculis triumphalis pompae, in quibus sub tropaeis exhibebantur captivi et alligati duces, lugentium habitu subter arma sedentes, vid. Morell. Thes. Imp. Rom. tom. I, n. 12, tab. 60; Spanhem. Vs. et Pr. Num. tom. II, pag. 222 seqq.; Burm. 19, vid. el. 3, 3. – *prolem*, gentem Iuliam, ab Iulo Anchisae et Veneris nepote descendere creditam, in quam Augustus adoptatus erat, qui voce *caput* significatur, et Horat. Carm. Sec. 50, *Clarus Anchisae Venerisque sanguis* vocatur. – *sit in aevum*, εἰς αἰῶνας, scilicet vivas; nota adulatio imperatoribus acclamari solita. – 21. Vid. Heyne ad Tibull. I, 1, 2. – *Sacra via*, triumphi enim per *sacram viam* agebantur, vid. ad II, 1, 34.

## ELEGIA V

### AD AMICAM IRATAM

Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes.
  Stant mihi cum domina proelia dura mea.
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
  Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur.

Elegia V

Scripta videtur haec elegia A. V. DCCXXX, quum Augustus bellum in Arabas pararet et suspicio esset, in Indos quoque et Parthos bellum susceptum iri. Conf. II, 10, 13: hinc lucem accipiunt verba vs. 12: *armis nectimus arma nova;* vs. 15: *victis miscebimur Indis:* add. vs. 11; coll. el. 4, 2. Iam quum ob licentiam praedandi in bellis cum barbaris, tunc temporis Romae praeda inter militiam facta inter artes ditandi haberetur, vid. Heyne ad Tibull. I, 2, 2, nuntius ille, Augustum et ipsum Arabiae Felicis divitiis illectum, exercitum eo mittere velle, pluribus optatissimus erat, qui omnes expeditioni isti sese adiungere constituebant. Propertius igitur hoc carmine hanc civium suorum praedandi ditandique cupiditatem ex luxuria et avaritia ortam accusans, affirmat, se sua sorte contentum vivere, carminibus et amoribus unice delectari, hisque se delectaturum esse, donec aetas ingravescens Venerem interceperit; tunc se severioribus studiis vacaturum. Quos tamen semel militia delectet, hos poëta patriae amans cohortatur, ut adversus Parthos, nomini Romano infestos, bella capessant, iisque victis, Crassi signa Romam referant, et ita Romanae consulant historiae, el. 3, 10.

1–6. Amori tenero non conveniunt bella, Ovid. Am. III, 2, 49, amantes pacem colunt et appetunt, nec alias rixas, alia proelia norunt, quam cum puellis asperis atque iratis. Sed quo vividius et planius hanc sententiam ob oculos poneret poëta, de se ipso loquens, ait: *stant*, id est sunt (vid. ad II, 9, 30) *mihi proelia* (Tibull. I, 10, 53: *Veneris bella calent*) *dura*, gravia (Sil. I, 533) *cum domina mea.* – 3. Quae tamen aliis bellorum causae esse solent, luxuria, avaritia, et praedandi cupido, mihi non sunt. – *inviso*, detestabili, ut Ovid. Met. XI, 130. – *carpitur*, eleganter pro conficitur, Virg. Aen. IV, 2; Georg. III, 215; Ovid. Pont. I, 4, 22. – *nostra sitis*, poëtice pro ego sitiens bibo. – *e gemma*, gemmeo poculo, ex gemma facto, ut apud Virg. Georg. II, 506. – *divite*, epith. ornans. – 5. *mihi*, meis, *mille iugis* innumeris, eadem ὑπερβολὴ Tibull. II, 3, 44. — *Campaniae* agros ob regionis fer-

Nec miser aera paro classe, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo:
Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens, mentem non vidit in arte,
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento iactamur, et hostem
Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,

tilitatem maximam omnino pro agris fertilissimis quibusvis commemoravit. In animo habuisse quoque videtur poëta assignationes agrorum, bellorum civilium tempore, quibus allicerentur homines, ut militiae nomen darent, quae largitio agraria et Propertio maximam agrorum partem abstulerat, vid. IV, 1, 130. – 6. Notio simplex: nec divitias et opes exterarum nationum appeto. – *miser*, qui miserationem commovet, epitheton proprium de iis, qui mari se credunt, Virg. Georg. III, 38. Potest tamen et *miser* adverbii vim obtinere, ut Catull. VIII, 10. πρῶτος pro πρῶτον, Xen. Cyr. VIII, 5, 8; Virg. Aen. I, 30: *citus adstitit*; Xen. Cyr. VII, 1, 45: σκοτιαῖος, obortis tenebris. Adde Hom. Il. A, 424, ita ut *misere paro* appetitus vehementiam indicet, ut *misere cupio* Terent. Adelph. IV, 1, 6; *misere invidere* Eun. III, 1, 22, et saepius. – *aera tua Corinthe*, vasa aeris Corinthii celebratissima erant, propter aeris praestantiam. Conf. de aere Corinthio Bochart. Hieroz. VI, 16; Ernesti Clav. Cic., voc. *Corinthus;* interpp. ad Petron. cap. 50; ad Cic. pro Rosc. Amer. cap. 46. Sed aes Corinthium commemoratum est hoc loco pro divitiis regionum longe remotarum quarumvis. – *paro*, pro parare, acquirere studeo. Caet. conf. observ.

7–12. Animi humani indolem pravam et perversam, tanquam causam bellorum malorumque cum iis coniunctorum accusans, docte poëta affert mythum satis pervulgatum, et Prometheum, quem hominem primum e luto formasse, ignem coelo subduxisse, et cum hominibus communicasse fingebant, in mente hominis formanda parum sollerter versatum esse luget. – *prima terra*, e qua tanquam materia primaria hominem formavit. – *princeps limus* dicitur Horat. Carm. I, 16, 13; add. Carm. III, 26, quae *infelix* fuisti *fingenti Prometheo*, cui opus suum male successit, ob id ad Caucasum alligato, vid. ad II, 1, 69: quod te attinet, ille parum cautus in te formanda fuit. — *non vidit*, providit, parum curavit. — *arte*, opere artificioso, ut II, 3, 42. — *recta-via*, ante omnia eum oportebat sanae mentis rationem habere. — 11. *Nunc*, eleganter in conquestione rei praeposterae. – *in tantum maris iactamur*, per tam vastum mare agitamur. – *nectimus*, verbum de corollis et sertis proprium; iungimus, bella ex bellis serimus, cumulamus, miscemus, bellum perpetuo flagrat. Stat. Theb. IX, 567: *nectebat vulnera Mavors.*

13–18. Stultitiam eorum, qui praedae cupiditate inflammati armis arma nectunt, quos unice castra iuvant et

Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebimur Indis,
Consule cum Mario, capte Iugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
Optima mors, parca quae venit apta die.
Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa,
Musarumque choris implicuisse manus.
Me iuvat et multo mentem vincire Lyaeo,

lituo tubae permixtus sonitus, explodit et ridet. Divitiae neminem immunem a morte praestant, linquenda tellus et domus, neque divitiae tanto labore partae nos breves dominos sequentur. Horat. Carm. II, 14, 21. – *Nudus ab-vehere rate*, laudat Burm. Sil. Ital. V, 267: *modo quem Fortuna fovendo Congestis opibus donisque refersit opimis, Nudum Tartarea portabit navita cymba.* Anthol. Gr. lib. I, tit. 13, ep. 6: Γῆς ἐπέβην γυμνὸς, γυμνὸς θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι. Καὶ τί μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος. Sententia nuda ac simplex, omnibus est moriendum! docte et eleganter per distributionem declaratur. –*victis*, pro vincendis, more poëtarum, ut III, 12, 3 al. – *Marius*, vid. ad II, 1, 24, Iugurtha Numidiae rex, a Mario victus et in triumpho ductus, Sallust. Bell. Iug. Horat. Carm. II, 1, 28. – *Consule*, non sine emphasi: nam Marius septies consul fuit, quo et alludit Ovid. Pont. IV, 3, 46. — *Croesus*, Lydorum rex opulentissimus II, 26, 23. – *Irus Dulichius*, mendicus notus ex Homer. Odys. Σ, 1 sqq. – 18. *Parca dies* est ἡ πεπρωμένη ἡμέρα, fatalis, a Parcis destinata, sic *femina turba* II, 31, 4 Gloss. Vet. *Parcam*, πεπρωμένην. *Parcarum dies* Virg. Aen. XII, 150, opponitur h. l. morti praeternaturali, quum quis mari aut bello interit. Optimum, inquit poëta, est fato mori, non mari aut bello.

19–22. Me carmina delectant, me iuvat, donec virenti canities abest morosa, aetatulae, genio et amori indulgere. – *Helicona coluisse*, frequentem in Heliconis iugis fuisse, elegis scribendis operam dedisse, vid. Argum. ad eleg. III. – *Musarumque choris*, vid. ad III, 2, 14. – *mentem vincire Lyaeo*, genio indulgere, vino diluere curas eleg. 17, 4, 6. Compotationis mentione facta, rosae quoque commemorandae erant. Solebant autem veteres in conviviis hilarioribus capillos non tantum ungere, sed et coronare atque colla sertis cingere. Tibull. I, 7, 52: *Illius e nitido stillent unguenta capillo, Et capite et collo mollia serta gerat.* Add. Ovid. Fast. II, 739; Horat. Sat. II, 3, 256. – *in rosa habere*, id est rosa coronatum, corollis rosaceis cinctum esse. Eurip. Herc. fur. 677: εἰ ζώην μετ' εὐμουσίας, αἰεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην. Cic. Fin. II, 20: *potare in rosa.* Martial. VIII, 72, 2: *Liber, in aeterna vivere digne rosa.* Vid. Gronov. ad Senec. Vit. Beat. cap. 11; Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 5, 1; Huschke Analecta Crit. pag. 26. — Anacr. Od. XV, 7 sqq.: Εμοὶ μέλει ῥόδοισι Καταστέφειν κάρηνα. – *verna*, vernanti, recenti,

Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas,
Sparserit et nigras alba senecta comas:
Tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit Exoriens, qua deficit; unde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit.
Vnde salo superant venti: quid flamine captet
Eurus, et in nubes unde perennis aqua.
Si ventura dies, mundi quae subruat arces:

non languida. – *semper*, in eo enim, ut Santenius ad h. l. observavit, regnabat luxuria, ut rosas semper, media etiam hieme, intempestivas haberent, iisque in conviviis se coronarent. Vid. Lucian. Nigrin. tom. I, pag. 73.

23–30. More poëtarum solemni, graviora carminum argumenta commemoraturus, naturam rerum, siderum cursus excitat. Vid. Virg. Georg. II, 475 sqq. Sensus vs. 23 sqq. atque ubi ingravescens senectus sensim obrepens, amorem per insidias quasi abstulerit, *interceperit*; studiis severioribus vacabo. Eleganter sibi invicem opponuntur *nigrae comae* et *alba senectus*, ut Ovid. Trist. IV, 8: *Inficit et nigras alba senecta comas*, et *spargere* signif. variare, ut apud Ovid. A. A. III, 76: *Quaeque fuisse tibi canas a virgine iures, Spargentur subitae per caput omne comae.* – 25. *naturae mores*, rationes agendi, quas observat natura e certis legibus. Conf. Ovid. Met. XV, 65 sqq.; Prop. II, 34, 28; Stat. Silv. V, 3; Theb. VI, 125 sqq. quibus in locis poetae philosophiam eodem modo circumlocuti sunt. Per *mundi domum* ob vs. 27 intelligo coelum, quod II, 16, 50 vocatur *aetherea domus*, et *mundus* saepius dicitur pro coelo, vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XII, 336; Barth. ad Claud. pag. 1190; Gronov. Obss. I, 9, ut κόσμος, vid. Wesseling. ad Diod. Sic. tom. I, pag. 225. – *temperet*, regat, moderetur, ut apud Horat. Carm. I, 12, 15. – *Exoriens*, simplic. pro Sole, ut apud Virg. Aen. V, 739; Valer. Fl. Argon. III, 411, cui haec expositio displicet, verba *qua – deficit* ad Lunam referat, de cuius ortu, *venire*, occasu, *deficere* quoque usurpantur. Vid. Burm. ad Ovid. Met. II, 382: certe Broukhusii transpositione versuum, cui hic versus post v. 34 collocandus videbatur, non opus est. – 28. *in plenum*, neutr. pro in plenum orbem. – 29. *unde – venti*, unde venti mare possidentes, vel cur nunquam sit sine vento mare. Passerat. explicat: e mari spirent, vel abundent, supersint. – *quid flamine captet Eurus*, quae sit Euri natura. Eurus, ventus, praeclare in personam mutatus. Sic Virgil. Georg. I, 462: *quid cogitet humidus auster? captare* est verbum insidiantis, et Eurus dicitur *navigiis violentior* Georg. II, 107; vid. ad Prop. II, 26, 29.

31–34. Ovid. Met. I, 256 seqq.: *Esse quoque in fatis reminiscitur, ad-*

Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas.
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi.
Solis et atratis luxerit orbis equis.
Cur serus versare boves et plaustra Bootes:
Pleiadum spisso cur coit imbre chorus.
Curve suos fines altum non exeat aequor,
Plenus et in partes quatuor annus eat.
Sub terris si iura deum, et tormenta Gigantum:
Tisiphones atro si furit angue caput.

*fore tempus, Quo mare, quo tellus, correptaque regia coeli Ardeat, et mundi moles operosa laboret.* Add. Lucret. VII, 812. – *Si* pro an, vel quando, ut saepius. – *cur – aquas*, iris attrahit aquas suis cornibus, pluvio tempore, ex opinione veterum. Tibull. I, 4, 44: *Venturam admittat imbrifer arcus aquam.* Ovid. l. c.: *Concipit Iris aquas.* Vid. Heyne ad Virg. Georg. I, 380. – *bibere*, pro haurire, attrahere, ut πίνειν ap. Anacr. XIX, 1, 33. Aut inquirere in causas terrae motus. Pindi tremorem poëtice pro quovis alio terrae motu memorat. Virg. Georg. II, 478: *Defectus solis varios, lunaeque labores; Vnde tremor terris; qua vi maria alta tumescant Obiicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant.* Pindus dicitur *Perrhaebus*, id est Thessalicus. Perrhaebi enim fuere populi Thessaliae, qui Lapitharum potentia fracti, fugerunt in Aetoliae montana, Pindo proxima, quae regio ab ipsis Perrhaebia dicta est, et ipse Pindus cognominatus est Perrhaebus. Vid. Homer. Il. B, 749; Strabo IX, p. 442 ed. Casaub.; Plin. H. N. IV, 1; Cellar. Not. O. A. tom. I, pag. 1062, 1097. – *Solis – equis*, cur Sol deficiat? sed poëta, ut hanc notionem exprimat, Solis equos (vid. ad II, 15, 32) atrata veste, luctus signo, procedere iubet.

35–42. *Bootes*, vid. ad II, 33, 24. – *Pleiadum – chorus*, cur Pleiades (vid. ad I, 8, 9; Virg. Georg. IV, 233) imbriferae? cur exortus Pleiadum imbres afferat? Val. Fl. V, 416: *Pone rota breviore soror, densaeque sequuntur Pliades, et madidis rorant e crinibus imbres.* – 36. *Pleiadum chorus*, pro Pleiades, propter harum stellarum positum, choreae speciem referentem, et motum scintillantem. Vid. Heyne ad Tibull. II, 1, 88. – 39. Spectant seqq. versus ad illorum inter veteres, Epicureorum praesertim, opinionem, qui infernum esse negabant, saltem de eo dubitabant, et Styga, Eumenidas, Charontem, Cerberumque irridebant, ac Tantali, Sisyphi, Ixionis et Tityi poenas infernales non nisi fabulas, pueris terrorem incutientes, et nomina vana habebant. Vid. interpp. ad Horat. Od. I, 4, 16; Senec. Herc. Fur. 726; Cort. Exc. 7 in Sallust. Cat. cap. 52, pag. 403. BVRM. – *si*, pro *an*. – *iura deum*, an Pluto et Proserpina ibi regnent, an sint apud inferos iudices. — *Gigantum*, vid. I, 20, 9. — *tormenta*, cruciatus, poenae illorum. — 40. *furit Tisiphones caput*, ornate,

Aut Alcmaeoniae furiae, aut ieiunia Phinei:
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, et Tityo iugera pauca novem.
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
  Et timor haud ultra, quam rogus esse potest.
Exitus hic vitae superet mihi: vos, quibus arma
  Grata magis, Crassi signa referte domum.

pro an habeat Tisiphone, Furia, angues pro crinibus? Tibull. I, 3, 69: *Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues Saevit, et huc illuc impia turba fugit.* Hinc Tisiphone ὀφιοπλόκαμος dicitur. — 41. An Alcmaeon ob Eriphylen matrem interfectam a Furiis agitetur. Vid. ad I, 15, 15; II, 16, 29. — *Phineus*, Arcadiae rex, quod filios uxoris secundae impulsu excaecaverat, ipse quoque a diis excaecatus est, eique additae sunt Harpyiae, quae cibos eius raperent, aut foedarent; eas vero Zetes et Calais, qui erant inter Argonautas, fugarunt in insulas Strophades, vid. Val. Fl. IV, 425 sqq.; Ovid. Met. VII, 3 sqq. sed h. l. Phineus poenam illam apud inferos luere dicitur, et Prop. alios hac in re auctores secutus est. — 42. *rota*, Ixionis I, 9, 20. — *scopuli*, Sisyphi saxum II, 20, 32. — *sitis*, Tantali II, 1, 65.

43–48. *Et – novem*, an Tityus tanta corporis magnitudine sit, ut ei iugera novem sint pauca; ut *per novem iugera terrae porrectus* (Tibull. I, 3, 75) apud inferos crucietur a vulturibus iecur ipsius exedentibus, vid. ad II, 20, 31; Ovid. Met. IV, 456: *Viscera praebebat Tityos lanianda; novemque Iugeribus distentus erat.* Add. Homer. Il. A, 575; Virg. Aen. VI, 596. — 45. An merae sint fabulae a maioribus posteris traditae, quae in animos hominum se insinuaverint, ita, ut post mortem nihil sit timendum. — *descendit in gentes*, ut apud Ovid. Fast. I, 537: *Talibus ut nostros dictis descendit in annos.* Manil. I, 733: *Fama etiam antiquis ad nos descendit ab annis.* — 47. *superet*, maneat, sit, hic sit mihi vitae cursus usque ad mortem. — *Crassi – domum*, vincite Parthos. Conf. eleg. 4, 9.

# ELEGIA VI

## AD LYGDAMVM

PROPERTIVS

Dic mihi de nostra, quae sentis vera, puella:
Sic tibi sint dominae, Lygdame, demta iuga:
Num me laetitia tumefactum fallis inani,
Haec referens, quae me credere velle putas?
Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
Maioremque metu servus habere fidem.

Elegia VI

Lygdamum, Cynthiae servum, obtestatur, ut sibi de tristitia dominae, quam, ut ipse affirmat, iratus, non perfidus, aliquamdiu dereliquerat, verissima referat. Nuntiat ei Lygdamus, Cynthiam vehementer dolere poëtae sui perfidiam, qui a pellice veneficiis ad amorem attractus sit, illamque ad redintegrandum amorem paratam esse. Quibus auditis Propertius ait, se consimili torquerier igni et desiderio, nihilque ardentius optare, quam ut concordia mutua restituatur. Dialogi forma assumta, animavit poëta totum hoc carmen, quod inprimis etiam sensuum et affectuum vivide expressorum veritate sese commendat.

1–6. Carminis initium, interrogationumque, quae sequuntur, copia, animum poëtae perturbatum et sollicitum, spei atque metus plenum, praeclare depingunt. — *Dic* coniungendum cum *vera*, ut legitur ap. Martial. VIII, 75: *Dic verum mihi, Marce, dic, amabo.* — *sentis*, pro scis, ut apud Cic. Arch. 6; Caes. B. G. VII, 52, et saepius. — *sic*, si mihi vera de domina tua retuleris, mea opera liber eris, coll. vs. 42, faciam *e servo ut sis libertus, Quod habeo summum pretium*, persolvam *tibi* Terent. Andr. I, 1, 10. — *fallis*, fallere vis, falso lactare vis gaudio, ea renuntians, quae mihi grata auditu arbitraris? — *referens*, referre de nuntio Virg. Aen. II, 547. — *velle* h. l. abundat, ut saepius, vid. Burm. ad Petron. cap. 70, pag. 349; ad Phaedr. I, 29, 6; sic ἐθέλειν apud Graecos. Vid. Gatacker. ad Antonin. pag. 293. — *sine vano*, sine mendaciis. — *metu*, ex metu, propter metum, vid. de hoc ablativi usu Davis. ad Caes. B. G. VI, 34. Sic ἐπιδημίᾳ propter adventum Herodot. I, 7: ἐπιθυμίᾳ propter cupidinem II, 19. — *fidem habere*, pro fidelem esse, fidem exercere. Omnis nuntius fidem servare debet, maiorem servus, prae metu, ne vapulet.

Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima
  Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomtis vidisti flere capillis?
  Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
  Ornabat niveas nullane gemma manus?
Ac moestam teneris vestem pendere lacertis?
  Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?
Tristis erat domus? et tristes sua pensa ministrae
  Carpebant? medio nebat et ipsa loco?
Humidaque impressa siccabat lumina lana?
  Retulit et querulo iurgia nostra sono?

7–18. *Dicere*, narrare, indicare, *dicere incipe* pro dic simpl., *suspensis auribus*, arrectis et attentis. Metaphora ab animantibus aures arrigentibus. – *bibere*, eleganter usurpatur de auditu, pro cupidissime audire, ut ap. Ovid. Trist. III, 5, 14. Vid. Markland. ad Stat. Silv. pag. 263, sic et *haurire*, vid. Burm. ad Val. Fl. I, 262; Virg. Aen. IV, 661. Add. Oudendorp. ad Apulei. Metam. pag. 6. — 9. Num a me derelicta, erat tristitiae plena? Sed haec idea praeclare et ita illuminatur, ut singula tristitiae puellaris signa afferantur. — *incomtis*, passis et solutis; notum moeroris et luctus indicium. – *multa aqua*, non rara lacryma, sed *rivus lacrymarum* (Ovid. Met. IX, 655) cadebat. – 11. Num formae cultum negligebat, an nihil de pristino formae colendae studio remittebat? Compara I, 15, 4 sqq. – *lecto strato*, num apparebat cum lecto strato speculum? num lectus veste stragula instructus (quod ad luxuriem pertinebat) an neglectus erat? num praeterea vidisti speculum? quod ad formae cultum et commendationem pertinebat. – *gemma*, pro annulo. – 13. *moestam vestem*, quae moerentem decet, non pretiosam et negligenter demissam. Compara Terent. Heaut. II, 3, 44 seqq. – *Scrinia*, in quibus unguenta condebant, *arculam cum ornamentis* vocat Plaut. Mostell. I, 3, 20. Male Burm. de scriniis, in quibus epistolas, libellos, chartas et similia servabant, cogitat. Vid. Sponii Miscell. erud. Antiq. p. 216 et 314, atque *clausa scrinia* dicta esse putat, quia moesta sedens chartis ex scrinio ad literas scribendas depromtis non utebatur. – *clausa*, quia ornatu omni abiecto ea clauserat et proiecerat. – *pedes lecti*, κλινοπόδια, fulcra lecti, Catull. X, 22; LX, 115. – 15. *tristis domus*, num tecta ipsa et parietes lugere videbantur? num altum silentium regnabat in aedibus? – *carpebant pensa*, lanam carpebant, deducebant et trahebant, Horat. Carm. III, 4, 64; Prop. III, 11, 20. — *medio ipsa*, Cynthia, *loco*, nam medius locus in lanificio honoratior, herae proprius, quum inter ancillas neret. Tibull. I, 3, 87. Add. Ovid. Fast. II, 741; Virg. Georg. IV, 334. – *impressa siccabat lumina lana*, gra-

LYGDAMVS

Haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
  Est poenae servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?
  Aequalem nulla dicere habere domo?
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto?
  Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.
  Staminea rhombi ducitur ille rota.
Illum turgentis ranae portenta rubetae,
  Et lecta exsectis anguibus ossa, trahunt.

phice, globo lanae oculos detergebat et siccabat. — *iurgia nostra*, verba aspera, saeve dicta, Propertii et Cynthiae mutua. — *retulit*, memoravit, enarravit.

19–26. Lygdamus loquens inducitur, et ad Propertium Cynthiae orationem querulam refert, usque ad vs. 34. In oratione pedestri additum legeremus: Tum servus: arcessivit me domina, et, haec, inquit, te teste etc. sed talia poetae omittunt. — *haec — merces*, hoccine fidei praemium, te teste et conscio, mihi pollicitus est Propertius? — *est poenae*, obvia locutio, ut II, 17, 10, *poenae esse* dicitur, ut *esse infamiae*, *dedecori* etc. — *facto*, crimine commisso. — 22. Oratio concisa, ut solet esse animi concitati. Scaliger locum interpretatur: Ille, Propertius, potest dicere, habere (scilicet se, quod graeco more omittitur) aliam puellam, coll. vers. 25, qualem nulla domo alius habere possit? Conf. Obss. — *si placet*, formula acerbe increpantis, vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 260. — *insultet morte mea*, pro morti meae, id est, mihi mortuae, in funere meo saltet, choros ducat II, 8, 20; Ovid. Trist. V, 12, 7, ubi vid. Burm. — 25. *Illa*, pellex vs. 22. — *herbis*, veneficiis. Observant interpp. verba huius versus, eo ordine quo leguntur, a Propertio esse posita, ad exprimendum singultantis puellae affectum. — *Staminea — rota*, vid. not. ad II, 28, 35. — *ducitur*, ut vs. 28, *trahunt*, exprimit, Propertium non sua sponte aliam puellam amare, sed veneficiorum vi coactum, magicis artibus eo duci, quo illa venefica velit.

27–30. *Ranae portenta*, pro rana portentosa. — *turgentis*, nempe veneno. — *rana rubeta*, ita dicta a rubis et vepribus, in quibus degit, venenata, ex earum visceribus venena parabant sagae. Vid. Plin. H. N. VIII, 31; XXXII, 5; interpp. ad Iuvenal. III, 44; Horat. Epod. V, 19. — *ossa lecta*, ossa enim veneficae e cineribus et rogis legere solebant, iisque ad maleficium uti. Vid. Ovid. Heroidd. VI, 90; Broukhus. ad Ti-

Et strigis inventae per busta iacentia plumae,
Cinctaque funesto lanea vitta toro.
Si non vana canunt mea, Lygdame, somnia, testor,
Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes.
Putris et in vacuo texetur aranea lecto,
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.

PROPERTIVS

Quae tibi si veris animis est questa puella,
Hac eadem rursus, Lygdame, curre via;

bull. I, 2, 46. – *exsectis*, sectis, *anguibus* pro serpentibus quibusvis; suppl. cum; trahunt eum ossa lecta et angues exsectae. Anguibus, serpentibus usas fuisse magas patet ex Lucan. VI, 677; Ovid. Met. VII, 272; Oudendorp. ad Lucan. VI, 543. – 29. *busta iacentia*, id est collapsa, diruta, eversa. – *strix*, e noctuarum genere, plumis infaustae strigis in sepulcris inventis utebantur veneficae in odii potionibus conficiendis. Horat. Epod. V, 20; Ovid. Met. VII, 269 de Medea: *Addit et exceptas Luna pernocte pruinas Et strigis infames ipsis cum carnibus alas.* Add. Fast. VI, 139 sqq. – *lanea vitta*, vittis ac taeniis e lana ornabatur lectus feralis, iis quoque in veneficiis utebantur. – *funestus torus*, est lectus feralis vittis ac taeniis ornari solitus in veneficiis. Lucan. l. c.: *Ardentiaque ossa E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes Quam tenuere, facem: nigroque volantia fumo Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes Colligit in cineres, et olentes membra favillas.* Conf. Obss.

31–34. *Canere*, pro portendere, praedicere, Virg. Aen. XI, 399. — *poena–erit*, ante meos pedes procumbet, nempe Propertius, veniamque sero rogabit, tunc poenas de eo exigam amplissimas, gravissimas. – 33. *putris–erit*, haec verba non nimis urgenda: locutionem proverbialem hic versus continet, de locis desertis, situ et squalore obductis propriam, vid. II, 6, 35; Valcken. ad Eurip. Fragm. cap. 16, pag. 168, 170; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 564. Sensus est: amoris vinculum, quod Propertium cum pellice sua copulat, dissolvetur, separabuntur. – *vacuo lecto*, deserto lecto. – *aranea*, id est opus araneae, tela. Homer. Odyss. II, 34 seq.: Ὀδυσσῆος δέ που εὐνὴ Χήτει ἐνευναίων κάκ' ἀράχνια κεῖται ἔχουσα, — *dormiet*, iners languescet, iners erit nocturnis illorum voluptatibus. *Dormire*, frequenter de rebus, quae vim suam non exserunt, Iuvenal. II, 37, ubi vid. Ruperti.

35–42. Verba Propertii ad Lygdamum: Renuntia, inquit, dominae tuae, me illi iratum, non perfidum fuisse, meque eodem doloris ac desiderii ardore cruciari; quodsi te internuntio Cynthiae reconciliabor, mea opera e servo fies libertus. – *veris*

Et mea cum multis lacrymis mandata reporta,
  Iram, non fraudes esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni
  Iurabo, et bis sex integer esse dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
  Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris.

## ELEGIA VII

### DE MORTE PAETI OB AVARITIAM

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es.
  Per te immaturum mortis adimus iter.

*animis*, non ficta et simulata mente. — *mandata cum multis l.*, mea mandata inter lacrymas multas tibi data. — *impositum igni*, locutio desumta ab igne, quo sontes torquebantur in quaestionibus. Tibull. I, 9, 21; Ovid. Art. Am. III, 573. *igni*, amore, desiderio. Theocrit. Id. VII, 55: ὀπτεύμενος ἐξ Ἀφροδίτας. — *integer esse*, pro me integrum esse, scil. fuisse, graeca constructio Homer. Il. Σ, 364; Catull. IV, 2: *ait fuisse navium celerrimus*, pro se fuisse celerrimum. Horat. Carm. I, 2, 44, ubi vid. interpp. *integer* dicitur hoc loco, qui aliam puellam non attigit, ut Horat. Carm. II, 4, 22. Vid. Heins. Introduct. ad Hesiod. Εργ. cap. 6. — *bis sex dies*, per hoc enim temporis spatium poëtae ira duraverat. — *per me*, mea opera, beneficio meo, precibus apud Cynthiam pro te interpositis, et sic passim *per te*, *per me* fieri dicuntur, quorum quis causa est. Vid. Burm. ad Ovid. Heroidd. I, 3, VI, 147.

ELEGIA VII

Paeti adolescentis nescio cuius, amici sui, naufragium deplorat Propertius. Iter maritimum ille susceperat avaritia ductus, unde simul navigationem ipsam, homines in ultima pericula coniicientem, et navigationis praecipuam causam, lucri studium, graviter detestatur poëta. — In huius elegiae versibus transponendis Scaliger mirum in modum ingenio suo indulsit, non perpendens, poëtam hanc elegiam animo maxime perturbato, irae, doloris, tristitiae pleno, conscripsisse, et hanc ipsam animi perturbationem grata et vere poëtica sententiarum confusione retulisse ac depinxisse.

1–6. *Ergo*, particula indignantis et conquerentis, ut II, 8, 13, et saepius. — *immaturum mortis*, mortis immaturae. — *adimus iter*, θανάτου πύλας βαίνειν Eurip. Orest. 1044 viam ingredimur, unde certissima et immatura mors nobis impendet, nempe,

Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes,
  Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
  Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
  Et nova longinquis piscibus esca natat.
Et mater non iusta piae dare debita terrae,
  Nec pote cognatos inter humare rogos.

ut orationis series docet, navigatione inventa, quam Phaedrus III, 6, 9: *professae mortis audacem viam* nominat. — *crudelia pabula*, quae iis exitium parant. — *semina*, causae, origo curarum, *de capite orta tuo*, a te quasi capite et fonte oriuntur ac ducuntur, quod poëtice dictum est pro tu es causa curarum, quae hominum animos cruciant, causa es vitae sollicitae. — *caput*, fons, ut II, 15, 33. — *de*, pro ex, Virg. Aen. I, 318; III, 65; coll. Aen. V, 244; VIII, 185; Phaedr. I, 17. — *tendentem lintea*, vela dirigentem, navigantem Alexandriam, in Aegyptum, id est *Pharios portus*, vid. ad II, 1, 30. — *Obruis terque quaterque*, graphice, pro saepius submergis. — *insano mari*, fluctuum ac ventorum aestu procelloso I, 8, 5. Ovid. Heroidd. I, 6: *Obrutus insanis esset adulter aquis.*

7—10. *Te sequitur*, lucrum et quaestum sequitur. — *primo excidit aevo*, iuvenis periit, vita privatus est, eleg. 2, 24. — *miser*, proprium epith. navigantium, vid. eleg. 5, 6. Caet. compara epigramma Leonidae a Burm. laudatum Anthol. Gr. III, 22, ep. 11. — *longinquis piscibus*, maris procul a patria remoti, Ovid. Ib. 150: *Nostraque longinquus viscera piscis edat.* Add. Claudian. in Eutrop. II, 334. — 9. Tristissimum, quod homini post mortem accidere poterat, omnium fere populorum sensu, hoc habebatur, si corpus sepultura privaretur, vid. ad I, 21, 10; Rittershus. sacr. lectt. VI, 8, pag. 487, et nihil ardentius optabant vett., quam in patria sepeliri, unde τύμβος δυστυχῶν vocatur tumulus in terra peregrina Soph. Oed. Col. 402: praeterea funeri iusta persolvere, exsequias et inferias, debebant propinqui, vid. Tibull. I, 3, 5 sqq.; Moll. ad Long. pag. 32; Dorvill. ad Charit. pag. 240. Praeclare igitur et elegiae convenienter, ad miserationem movendam addit poëta: *mater non potest iusta debita dare*, non potest pietatis officio satisfacere. — *terrae iusta debita dare*, intelligi potest de pulvere arenae, quam debebat, quam iustum erat ut daret mater *ossibus et capiti inhumato* (Horat. Carm. I, 28, 24) corpori in litus eiecto. — *terra*, arena, eleganter *pia* vocatur quatenus pietatis officium postulabat, ut ea iniiceretur corpori inhumato. Conf. vs. 25 seq. Potest tamen etiam *piae terrae*, pulveri, explicari pio filio coll. vs. 17 seq., ita ut *iusta debita dare* omnino sit, exequias exhibere. — *nec—rogos*, multo minus cineres in sepulcro gentilitio sepelire; nam *cognati rogi* sunt cineres et ossa propinquorum, propinqui in rogo combusti. Catull. LXVIII,

Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae.
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alveus ille viros.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.

97 seqq.: *Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra, Nec prope cognatos compositum cineres, Sed Troia obscena, Troia infelice sepultum Detinet extremo terra aliena solo.*

11–16. Nunc super ossa in scopulos vel litus eiecta adstant volucres marinae, nunc alluvies, maris accedentis fluctus corpus eiectum in mare provolvunt, eique pro tumulo sit omne Carpathium mare. Cum loco nostro contulit Glauci epigr. Huschkius in Anal. Crit. pag. 126: Οὐ κόνις, οὐδ' ὀλίγον πέτρας βάρος, ἀλλ' Ἐρασίππου Ἣν ἐσορᾷς αὕτη πᾶσα θάλασσα τάφος. Ὤλετο γὰρ σὺν νηί, τὰ δ' ὀστέα πού ποτ' ἐκείνου Πύθεται, αἰθυίαις γνωστὰ μόναις ἐνέπειν. - *Nunc – nunc*, ut Liv. II, 45; XXXIV, 13; XLV, 30. Vid. Arntzen. ad Aurel. Vict. Vir. Ill. cap. 77, pag. 285. – *volucres marinae.* Imitatus est nostrum Ovid. Heroidd. X, 123: *Ossa superstabunt volucres inhumata marinae? Haec sunt officiis digna sepulcra meis?* Burm. h. l. intelligit haliaectos; equidem alcyonas, coll. vers. 60. Vid. Plin. H. N. X, 32, sect. 47; et notata ad I, 17, 1. – *Carpathium mare*, vid. II, 5, 11. – 13. Conversus sermo ad Aquilonem sive Boream, quem incusat tanquam naufragii auctorem. — *infelix*, adverse, qui interitum affers, crudelis. – *timor*, timoris quondam causa *Orithyiae*, vid. ad I, 20, 31. – *quae spolia*, non ampla spolia retulisti. Vid. Virg. Aen. IV, 93. Simile exemplum invectivae et apud Tibull. I, 6, 3 seqq. – *alveus*, pro navigio Virg. Aen. VI, 412; Ovid. Fast. II, 407; Tacit. Ann. II, 23. – *sanctos viros*, sceleris puros, non deorum contemtores, Horat. Carm. III, 2, 26.

17–20. Navigio commemorato, Paetus ipse redit in animum poëtae, cuius phantasiae semper praesens inhaeret, ita ut quavis occasione ad illum recurrat. - 17. *quid aetatem numeras*, quid quereris tibi in prima iuventute esse moriendum? *mater in ore est*, saepius a te appellatur in extremo discrimine; elegans et ad verum expressa imago, vid. ad II, 26, 12. – *non habet unda deos.* Barth. ad Claudian. p. 1079, refert ad notam illam veterum formulam, qua irati, et in rebus calamitosis, deos esse negabant, vid. I, 6, 8: possunt vero etiam, Passeratio praeeunte, haec verba explicari: non habet deos, quae te exaudiant, dii marini sunt surdi et crudeles. Paeti et Agamemnonis exemplo haec sententia comprobatur. – *omnia vincula tibi*, a te, vel nautis

Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
  Qua natat Argynni poena minantis aquae.
Hoc iuvene amisso, classem non solvit Atrides:
  Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
  Paetum sponte tua vilis arena tegas.
Vt quoties Paeti transibit nauta sepulcrum,

navis tuae, *ligata cadunt*, decidunt, *fune detrito ad saxa*, quoniam funes lacerati sunt ad saxa, *nocturnis procellis*, per procellas nocturnas. Navis enim ventis et fluctibus disiecta ac divulsa funibus a nautis constringebatur, vid. Homer. Odyss. M, 421 seqq. sed et funes detriti erant, adeoque naufragium certissimum.

21-24. *Argynni*, adolescentuli, ab Agamemnone adamati, in flumine Boeotiae Cephiso, dum natat, submersi (vid. Athen. XIII, 8) fatum cum Paeti fato comparat. Scilicet poëta noster alios auctores secutus fabulam ita repraesentat: Agamemnon Argynni pueri amore correptus, eum persequens, vid. Turnebus Advers. XXVI, 33, coëgit se in Cephisum praecipitem mittere, unde gurgite absorptus periit, ac propterea et propter tempus Argynni in luctu consumtum, vento postea reflante, Agamemnon coactus est Iphigeniam filiam immolare, ut ventos placaret. – *litora* Agamemnonis amores *testantia* vocatur Cephisi amnis ripa. – *qua natat*, ubi natabat, mortuus fluitabat. – *Argynni poena* (ut *Pyramulum sumtus* III, 2, 17, et huius generis locutiones aliae) dictum est pro Argynnus punitus a fluvio saevo et minaci. Nam Argynnus, ut Athen. l. c. refert, crebro in Cephiso natarat, et se fluvii undis commiserat, illius amore Agamemnon correptus est, postquam aliquando natantem viderat. Propertius vero hoc in carmine navigandi morem exsecratur, ideoque apposite Argynnum dixit poenam minantis aquae. — *pro qua mora*, ob illud spatium temporis, quod frustra terebatur in Aulide. – *mactata est Iphigenia*, secutus est noster eorum opinionem, qui Iphigeniam mactatam volunt, sec. alios enim a Diana cerva Iphigeniae mactandae loco subdita est, quam vulgarem fabulam secutus est Prop. infra el. 22, 34. Conf. Ovid. Met. XII, 1, seq.; Hygin. f. 68, 291; Eurip. in utraque Iphigen.

25-32. Convertitur ad preces poëta nihil proficiens expostulando cum Aquilone et Neptuno. Barth. Optat, ut arena alluendo advecta, vento aggesta, corpus Paeti in litus eiectum tegat. Sed poëtice arenam ipsam alloquitur, eamque eleganter *vilem*, vulgarem, non pretiosam, contemtam vocat, quum tamen non contemnenda, sed magni aestimanda esset, quatenus tegeret Paeti naufragi ossa. – *sponte sua tegat.* Petron. c. 114: *aut quod ultimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet.* - *timor*, causa timoris. 29. Ite mortales, texite rates, totidemque leti causas. Vid. Gronov. Obss. II, 9; Graev. Lectt. Hesiod. c. 17. Oratio insultantis et reprehendentis. – *texere*, ut ὑφαίνειν, proprie de aedificiorum et navium contignatione, ut de navibus

Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvas et leti texite causas,
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: fatis adiecimus undas:
Naturae miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcunque paras: haud ulla carina
Consenuit: fallit portus et ipse fidem.
Fortuna insidias pontum substravit avaris.
Vt sibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,

ap. Ovid. Met. XIV, 531: unde *textrinum* ipse locus dicitur, ubi naves fabricantur, vid. Serv. ad Virg. Aen. XI, 326: sed relate ad *leti causas* improprie adhibitum legitur, ut Gr. *ὑφαίνειν δόλον, πλέκειν*. – *causas*, ut ap. Ovid. Pont. IV, 7, 12, pro vias, modos mortis. – *ista mors*, nempe quae naufragio obvenit. – *acta*, ante diem parata, immissa, arcessita. Tibull. I, 11, 33: *atram bellis arcessere mortem*. – 31. *fatis adiecimus undas*, reliquis viis fatorum et mortis adiecimus naufragia, geminavimus quasi necessitatem et occasionem moriendi. Lucan. III, 195 de Argo: *Primaque cum ventis pelagique furentibus undis Composuit mortale genus, fatisque per illam Accessit mors una ratem.* Senec. Nat. Quaest. V, 18: *Quid maria inquietamus? Parum videlicet ad mortes nostras terra late patet.* Tibullus II, 3, 39: *Praeda vago iussit geminare pericula ponto, Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.* – 32. *Naturae vias* dixit, ut leti, mortis vias Tibull. I, 3, 50; 11, 4.

33 – 38. Anchorane firmabit navem tuam adversus tempestatem, quum te retinere, tenere non potuerint penates, patria? – *meritum*, malo sensu, vid. Heyne ad Tibull. II, 4, 5. – *sua terra*, quam hominibus incolendam dedit natura. – 35. *ventorum est*, in ventorum potestate est, quodcunque paras. – *consenuit*, senio confecta quievit, omnis carina in fluctu medio submersa periit. – *fallit – fidem*. Prop. II, 25, 24: *Quum saepe in portu fracta carina natet?* Vid. epigr. Aemiliani Nicaeensis Anthol. Gr. L. I. Tit. 55, ep. 8; et Antipatri de Aristagora in portu naufragium passo L. III, Tit. 22, ep. 44. – *pontum insidias substravit*, elegans appositio, qua *pontum* vocat *insidias avaris substratas*; dum nimirum mare tranquillum ad navigandum invitat, attamen *exitio est avidum* et infidum *mare nautis* Horat. Carm. II, 28, 18. – *ut tibi succedat*, prospere eveniat, ut ex animi sententia naviges. – *esse potest*, *ut* Gr οὐκ ἔστιν ὡς, ἔστιν ὅπως, vid. Arist. Plut. 18, pro vix semel tibi succedere potest.

39-46. Ipsa victrix Graecorum clas-

Naufraga quum vasto Graecia tracta salo est.
Palantum socium iacturam flevit Vlyxes,
In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea:
Viveret ante suos dulcis conviva penates,
Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.
Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae,
Nec duro teneras laedere fune manus.

sis, post Troiae excidium, naufragium fecit, neque hoc periculum evitare potuit Vlysses mortalium vaferrimus et callidissimus. Nempe Nauplius, Palamedis pater, rex Euboeae, mortem filii, Vlyssis culpa, interemti, ulturus, in vertice Capharei, promontorii Euboeae, noctu facem extulit, ut Graeci Troia redeuntes locum pro portu haberent, quorum adeo naves pleraeque in scopulis et crebris undarum vorticibus perierunt, vid. Hygin. f. 116; Meursius ad Lycophr. 385; Ovid. Met. XIII, 56 sqq.; Trist. I, 1, 83 sqq. interpp. ad Virg. Aen. II, 82. — *tracta*, Passerat. distracta, disiecta, rectius Burm. dolo attracta ad rupes, et maris fundo tanquam voragine submersa est; sic *trahere* legitur ap. Lucan. V, 235. — 41. *Palantum*, vid. Obss. *palantes socii*, sunt tempestate dispersi, rari in gurgite vasto natantes Virg. Aen. IX, 780. *vagos* et *palantes* saepe iungit Livius. V. Drakenb. ad XXI, 61. — 43. *contentus*. Sensus: Paetus, sorte sua contentus, paterna rura bubus exercuisset suis (Horat. Epod. II, 2) ut h. l. ita quoque agriculturae commoda cum navigationis periculis comparantur in epigr. Anthol. Lat. III, 62, p. 501 sqq. et apud Liban. T. IV, p. 992 sqq. ed. Reisk. — *verteret* — *duxisset* — *viveret*, de hac temporum permutatione et coniunctione, vid. Clark. ad Homer. Il. A, 37. — *pauper*, h. l. vocatur, qui non mercaturam facit, qui non, mercaturam faciendo, opes et divitias ingentes sibi comparare studet, coll. v. 49 sqq. Etenim *pauper* omnino dicitur is, cui fortuna mediocris, nec lauta, nec tenuis est. Seneca ep. 87; *Paupertas est, non quae pauca possidet, sed quae non multa possidet.* Vid. Drakenb. ad Sil. It. I, 610. — *pondus habere*, monita mea gravia et fide digna esse. — *viveret* — *penates*, solebat enim herus, hiberno maxime tempore, cum liberis et famulis circa focum et lares discumbere, et genio indulgere, atque ad hunc morem his verbis respicitur. Vid. Broukhus. ad Tibull. I, 1, 3 seq.; Theocrit. Id. XI, 51; Aristoph. in Pace v. 437 sq. et quae notavit Heyne Obss. ad Tibul. II, 1, 24. — *dulcis conviva*, qui dulci convivio interest, dulcibus epulis vescitur. — *potest*, pro posset, vel potuisset; sed flere potuisset dictum pro simpl. flevisset; ubi ei securo atque otioso degere licuisset.

47–54. Non satis ei erat fortitudinis ad perferendos navigationis labores, sed in molli et delicata vita nutritus, non didicerat malis forte pectus opponere. Ita recte loci sen-

Sed thyiae thalamo, aut Oriciae terebinthi
  Effultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues,
  Et niger invitam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno.
  Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
  Quum moribunda niger clauderet ora liquor:

sum constituit Iacobsius. Vid. Obss. — *thalamus* pro lecto, ut II, 15; 14. *thyiae*, ex thyiae arboris ligno citrio, pretioso. De thyia arbore, quam citream putant, vid. Plin. H. N. XIII, 15, 16, ibique interpp. et Leopard. Emend. VIII, 6. *Oricos*, urbs Epiri, vid. I, 8, 20, iuxta quam nascitur terebinthus, lignum eximii nigerrimique splendoris, v. Serv. ad Virg. Aen. X, 136; Plin. H. N. XIII, 6, interpp. ad Petron. c. 33; Salmas. ad Solin. p. 417: significatur ergo lectus ex terebintho Epirotica factus; cuiusmodi lectis et pulvillis plumeis luxuriosi ac delicati homines utebantur; vid. Barth. ad Stat. Silv. I, 2, 59. Docte ergo et poëtice quum describere voluerit Propertius Paetum, tanquam hominem mollem et effoeminatum, de eo affert, eum solitum fuisse caput reclinare pulvillo plumis versicoloribus farto (*pluma*), iacuisse in lecto ex citrio ligno aut terebintho Epirotica facto. *fultus*, etiam de eo, super quod quis iacet, dicitur, vid. Serv. ad Virg. Ecl. VI, 53: conf. et Obss. 51. — *abstulit ungues*, ut fit in naufragis diu natantibus, vi fluctuum et scopulorum reciproca collisione, notante Barthio ad h. l. cui praeivit Ianus Dousa P. in notis ad v. 14. Mallem tamen Passeratium sequi, qui significari ait ungues ablatos tabulam tenenti firmiter, cui inhaeserat. Cf. v. 53; Homer. Odyss. E, 434. Apposite autem Prop. commemoravit ungues ablatos, respiciens ea quae v. 48 leguntur. — *vivos ungues*, ad vivum, i. e. penitus, radicitus ablatos. Horat. Serm. I, 10, 71: *vivos et roderet ungues*. — 52. *hiatus*, nempe oris, pro Paetus hians. — *niger aquam invitam*, pro nigram aquam (cf. v. 56) invitus. Broukhus.: *invitam*, nam ne ipsa quidem aqua exitium Paeto festinabat. — 53. *ferri*, propelli, v. Burm. ad Phaedr. IV, 16, 6. — *nox improba*, saeva et crudelis, non cedens. — *tot mala*, lignum parvum, exigua tabula, tenebrae, tempestas, scopuli.

55–64. *Extremis querelis*, in, i. e. inter extremas querelas, post quas nihil amplius questus est, quia submersus fuit. — *mandata*, pro precibus, votis; sed usus est illo vocabulo noster, quoniam de moribundo sermo est, et de ultima moribundorum voluntate *mandatum* frequenter adhibetur. Vid. Iustin. XII, 15, 3; Sil. It. XV, 805. Vid. Burm. ad Ovidium Trist. I, 2, 55. — *niger liquor*, μέλαν ὕδωρ Homer. Il. B, 825; κρήνη μελάνυδρος Il. I, 14; II, 3, ubi schol. βαθεῖα, σκοτεινή. Add. Ovid. Met. XI, 568. Caet. similis locus Catull. LXIV, 130 seqq. *Atque haec*

Dî maris, Aegaei quos sunt penes aequora, venti,
  Et quaecunque meum degravat unda caput:
Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
  Attulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser, alcyonum scopulis adfigar acutis;
  In me caeruleo fuscina sumta Deo est.
At saltem Italiae regionibus evehat aestus:
  Hoc de me sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus:
  Vltima quae Paeto voxque diesque fuit.

*extremis moestam dixisse querelis Frigidulos udo singultus ore cientem.* — 57. *Di maris.* Virg. Aen. V, 236: *Di quibus imperium est Pelagi.* – *Aegaeum*, absolute, pro mari Aegaeo, çapiendum, ut *magnum Aegaeum* Stat. Theb. III, 434. *Ionium*, Claudian. de laud. Stilic. I, 174; Ovid. Met. IV, 534. – *miseros-annos*, me miserum, adolescentem. –*longas manus*, i. e. integras, non mutilatas, iam vero fluctus et scopuli abstulerant ungues et mutilarant, coll. v. 51. Putabant autem veteres, ut recte monuit Scaliger ad. h. l. periuros membro aliquo mutilari vel deformari, vid Turneb. Advers. XXVI, 31; Torrent. ad Horat. Carm. II, 8, 3, et periuris ac perfidis mare valde periculosum credebant, vid. Ovid. Heroidd. VII, 57. Itaque Paetus his verbis inducitur sortem suam deplorans, et innocentiam suam declarans. – 61. *alcyonum scopulis*, ubi alcyones nidificant I, 17, 2. – *adfigar*, fiet, ut adfigar, et sic sepultura priver. – *caeruleo deo*, ut *caeruleus Iovis frater*, Neptunus, Ovid. Met. I, 275. – *in me sumta est*, significat interitum minantem et parantem. Homer. in Vlyssis naufragio, de Neptuno Odys. E, 291. Ὣς εἰπὼν, σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον, Χερσὶ τρίαιναν ἑλών· πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας Παντοίων ἀνέμων. – 63. *evehat*, optat, ut aestus ex fundo maris corpus suum evehat in litus Italicum. Vid. Obss. Misc. Vol. II, T. 1, p. 112. Huic voto Paeti, sepulturam in patria petentis, simile votum Leandri ap. Ovid. Heroidd. XVIII, 197: *Optabo tamen, ut partes expellar in illas, Et teneant portus naufraga membra tuos.* Add. Met. XI, 562. – *hoc de me*, corpus mortui, *sat erit*, si ad litus Italiae eiicitur, si modo venerit in matris manus, ut sepeliat. Sic III, 12, 13: *Neve aliquid de me flendum referatur in urna.*

65–72. *torta vertigine*, bis terve in gyrum circumactum et impulsum submersit. Achill. Tat. p. 165, ed. Salmas. ἅμα δὲ λέγοντα κῦμα διεγκεκάλυπτο κατόπιν. Petron. 114: *et illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit atque hausit.* - 66. *ultima vox*, ultima voce Paetus clamarat *matrem*, praeclare; vid. ad v. 9, ut ap. Stat Theb. IX, 349: *Vltimus ille sonus moribundo emersit ab ore, Mater: in hanc miseri ceciderunt flu-*

O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
Et tu materno tacta dolore Theti,
Vos decuit lasso subponere brachia mento:
Non poterat vestras ille gravare manus.
At tu, saeve Aquilo, nunquam mea vela videbis;
Ante fores dominae condar oportet iners.

## ELEGIA VIII

### AD CYNTHIAM

Dulcis ad extremas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis et insanae tot maledicta tuae.
Dum furibunda mero mensam propellis, et in me

*mina vocem.* 67. Expostulat poëta et queritur Paetum a Nymphis fuisse desertum nec servatum. — *centum*, Pedo Albinov. el. 1, 437. — *aequoreae puellae*, Nereides, vid. II, 26, 15. — *Thetis*, Nerei ac Doridos filia, Pelei uxor, quocum Achillem genuit, cuius morte vehementer tacta fuit. Apposite autem commemoravit poeta Thetidis dolorem maternum, postquam matris Paeti lugentis imaginem vers. 64, lectoribus repraesentarat. — 69. Imitatus est nostrum Ovid. Pont. II, 3, 39: *Mitius est lasso digitum supponere mento, Mergere quam liquidis ora natantis aquis.* — 70. *ille*, adolescentulus tener, conf. v. 59. — *iners* h. l. qui non navigat, vid. I, 8, 10. — *condar*, sepeliar. — *ante fores dominae*, nunquam a puella mea discedam, nolo longinquis piscibus esca natare (v. 8). Vid. II, 14, 32.

ELEGIA VIII

Propertius, cui cum Cynthia paulo acrior rixa fuerat (cuiusmodi rixis non offendebatur urbanitas romana, vid. Propert. IV, 8, 63; Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 6, 17 sq. Heyne ad Tibull. I, 6, 69) cui praeterea rivalis metuendus erat, indolem Cynthiae optime perspectam habens, quo Cynthiae iras, animumque leniat ac mitiget, hoc in carmine declarat, sine ira, rixis et plagis frigere Venerem, veri haec signa esse caloris; paucis deinde rivalem suum insectatur.

1–8. *Ad extremas lucernas*, significat convivium in multam noctem productum, et *extremae lucernae* dicuntur *humore defectae*, *tenue et extremum lumen spargentes* ap. Petron. c. 22; *serae lucernae* ap. Martial. X, 19: — *insanae vocis*, ut Tibull. III, 5, 13: *insanae linguae*, qualis insanorum esse solet. — *maledicta*, nempe fuerant; similis compositio Virgil. Aen. V, 87 sq. Caet. vid. ad II, 5, 19. — *propellis*, repellis, ut II, 29, 39, vel evertis, perturbas, Ovid.

Proiicis insana cymbia plena manu.
Tu vero nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota.
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quae mulier rabida iactat convicia lingua,
Et Veneris magnae volvitur ante pedes:
Custodum gregibus seu quum se stipat euntem,
Seu sequitur medias, Maenas ut icta, vias:
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,

Met. XII, 222: *Protinus eversae turbant convivia mensae.* — *in me proiicis*, in faciem meam, *adversa mittis in ora* Ovid. Met. l. c. 237. — *cymbium*, poculi genus, de quo vid. Macrob. Sat. V, 25. Servius ad Virg. Aen. V, 267: *cymbia, pocula ad formam cymbae navis.* Philemon. frag. p. 119 Bentl. — *ἐπειδὴ δ' ἡ Ῥόδη Κυμβίον ἀκράτου κατασείσειΧ' ὑμῖν ἄνω.* — 5. *invade capillos.* Terent. Eun. V, 2, 20, *involare in capillos* dixit. — *formosis unguibus*, de his formosarum virginum proeliis Horat. Carm. I, 6, 17: *nos proelia virginum Sectis in iuvenes unguibus acrium Cantamus.* 7. Compara Theocrit. Id. XI, 52 sqq. — *flamma*, facula, lampade. Plaut. Menaechm. V, 2, 89: *Vt ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus. Perii, mi pater, minatur mihi oculos exurere.*

9-14. Ira enim amantium, ardentissimi amoris indicium. Sed praeter iram et convicia alia quoque certa et indubitata amoris indicia in seqq. afferuntur. — *signa caloris* erant maledicta, irae Cynthiae. — *dolet*, irascitur adolescenti. — *rabida lingua*; ut *rabidum os*, de Furiis et hominibus ira furentibus, passim. Vid. Burman. ad Anthol. Lat. T. I, p. 175: — *volvitur ante pedes*, quae Veneri supplicat, Homer. Il. X, 221: *προπροκυλινδόμενος πατρὸς Διὸς* i. e. *ἱκετεύων*, ubi vid. Heyne. Genibus autem pedibusque potissimum advolvebantur supplices. Stat. Silv. V, 1, 112: *Ante pedes avide domini tam magna merentis Volveris.* — 13. quae *custodum gregibus se stipat*, quod fieri solebat, ut acrius urerent amatores, nec esset conveniendi copia. Vid. el. 14, 29. — *sequitur*, sequi vias dicimur, quia viae nos ducunt. — *medias vias*, pro frequentia hominum celeberrimas, ut Gr. *ἐν μέσῳ*, vid. Dorvill. ad Charit. p. 547. — *Maenas ut icta*, instar Bacchae in furorem actae, in publico versatur. Frequens comparatio hominum concitato animo discursantium et exultantium cum Bacchis. Homer. Il. X, 460. Vid. interpp. ad Senec. Med. 382: *icta* furore, ut *icta malo* Ovid. Fast. II, 818. — 15. Quae somniis suspensa terretur. Virg. Aen. IV, 9:

Seu miseram in tabula picta puella movet:
His ego tormentis animi sum verus aruspex;
Has certas didici saepe in amore notas.
Non est certa fides, quam non iniuria versat;
Hostibus eveniat lenta puella meis.
Immorso aequales videant mea vulnera collo:
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem:
Sive meas lacrymas, sive videre tuas.
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua quum digitis scripta silenda notas.

*Quae me suspensam insomnia terrent?* — 16. *picta puella*, formosae puellae imago, vid. ad II, 6, 9.

17–22. Haec et quae in antecedentibus leguntur, pendent a v. 9. Attulerat poëta varia mulieris agitatae amoris oestro signa, quae animi tormenta vocat, seque illis verum aruspicem dicit, et ex iis coniicere de animo puellae, eiusque vero calore. Conf. I, 9, 6 sqq. — 18. Si puella amatòrem nulla iniuria afficit, si non est prona in rixàs amatorias, amor illius puellae non est verus ac certus. Ovid. Amor. I, 9, 96: *Non bene, si tollas proelia, durat amor.* Id. Art. Am. III, 597: *Quamlibet extinctos iniuria suscitat ignes. En ego (confiteor) non nisi laesus amo.* — 19. *versat*, i. e. agitat, vexat. -- *lenta*, quae non irascitur, nullis animi adfectibus movetur, talem optat rivalibus suis. Vid. II, 2; 14, 22. *hostibus eveniat*, solemnis formula, Prop. II, 4, 17; Ovid. Am. II, 10, 16; III, 11, 16. V. Drakenb. ad Sil. It. II, 54. — *immorso*, innuit colla morsu lascivo livida, et impresso dente laesa. Ovid. Am. I, 7, 42: *Aptius impressis erat os livere labellis, Et collo blandi dentis habere notam.* Add. Tibull. I, 7, 14, ubi vid. Broukhus. et Burm. ad Anthol. Lat. T. I, p. 658; Prop. IV, 3, 25; 5, 39. — *aequales*, rivales. — *doceat*, ostendat color lividus, indicet. — *mecum habuisse meam*, me ea potitum esse, vid. Westerhou. ad Terent. Andr. I, 1, 58; Tibull. IV, 7, 6; ita συνελθεῖν et συγγενέσθαι pro μιχθῆναι, vid. Muncker. ad Anton. Lib. c. 41, p. 275, 280.

23--28. *Dolentem*, de me querentem amicam. Sententia v. 23 proposita exemplo illustratur v. 25 seqq. -- *remittere verba*, ut *mittere*, et Gr. ἱέναι usurpatur pro loqui. Virg. Aen. XII, 929; Prop. II, 17, 16. — *tecta superciliis*, sub nutu superciliorum quasi latentia, superciliis loqui. Ovid. Am. I, 4, 17: *Me specta nutusque meos, vultumque loquacem — Verba superciliis sine voce loquentia dicam.* Heroidd. XVII, 75: *quoties ego tecta notavi Signa supercilio paene loquente dari.* Meleag. ep. XXIII: καὶ σιγῶν ὄμμασι τερπνὰ λαλεῖ. Innuit poëta Cynthiae vultum iratum, puellam superciliis minantia verba loquentem. Iam vero et illam ipsam dolentem describit. — *cum digitis no-*

Odi ego, quos nunquam pungunt suspiria, somnos.
Semper in irata pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, quum Graia per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danaï, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est aeque formosa: doleres,
Si qua foret; nunc, sis iure superba, licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer aeternum, nec sine matre domus.
Cui nunc si qua data est furandae copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

*tas*, notas furtivas digitorum motu ac crepitu edebant, unde ipsi *digiti*, ut recte monuit Burm. *loquaces* dicti, vid. Broukhus. ad Tibull. I, 2, 21; II, 7, 25. – per *scripta* innuuntur epistolae, sive tabulae Propertio missae, quarum arcana maguo cum Cynthiae dolore evulgare minabatur Prop. quae tamen silenda digitis loquacibus monebat et notabat Cynthia. – 27. *suspiria pungunt somnos*, eos stimulant, interrumpunt. *Pungere*, de dolore et ignominia animum cruciante frequenter occurrit. Cic. Quaest. Tusc. II, 13; III, 34; Aeschyl. Pers. 161: Καί με καρδίαν ἀμύσσει φροντίς. -- *in irata*, propter iratam.

29–40. Paridis exemplo, qui inter arma et aerumnas secum habebat Helenam suam, docet dulciora esse Veneris gaudia, si iis amara quoque sint mista. – *ignis*, pro amore, ut saepius, I, 9, 17. V. Westerhov. ad Terent. Eun. I, 2, 5, – *per arma*, inter bella. -- *Tyndaridi*, II, 32, 31. – *restat*, resistit, obnititur, repugnat, ut Ovid. Fast. II, 749: *melioribus Ardea restas*. Vid. Salmas. ad Solin. T. I, p. 732. – *barbarus*, Troianus Hector, ut saepe ap. Ovid. aliosque. -- *maxima bella*, per ironiam dictum, Paris Veneri quam Marti aptior. – 35. Dulcia mihi sunt arma tecum, nec tibi metuendum, ne te ob asperitatem superbiamque tuam deseram: nam nulla est te formosior; si qua foret, doleres; non ferrem tot maledicta linguae tuae, sed te desererem. -- 37. Apostrophe ad rivalem. -- *nexisti retia*, insidias struxisti, atque dolo Cynthiam a me avertere conaris. Locutio a venatione desumta. – *lecto*, pro amore et consuetudine, vid. Heyne ad Tibull. IV, 13, 1, ubi legitur *subducere lectum* eodem sensu. – *sit socer*, soceri generis saepius sunt iniquiores, et ad eos filiae querelas de maritis deferunt, et matrum iussa atque castigationes filii liberius vivere cupientes detestantur. – 39. Si forte oblata tibi occasio noctis mihi surripiendae. – *offensa*, laesa, irata mihi.

## ELEGIA IX

### AD MAECENATEM

Maecenas eques Hetrusco de sanguine regum,
  Intra fortunam qui cupis esse tuam:
Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
  Non sunt apta meae grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus;

ELEGIA IX

Stimularat atque excitarat Maecenas poëtam ad conscribenda gravioris argumenti carmina. Propertius igitur perquam urbane et modeste ei declarat, se carminibus mollibus unice delectari, heroica carmina suis viribus non satis aequa, sibi ab iis abstinendum, atque imitandam et sequendam esse ipsius Maecenatis moderationem et continentiam. Interea tamen reverentiae ac pietatis in patronum et fautorem suum egregium plenus, ei, si poscere instet, promittit, se res graves stylo sublimi scribere tentaturum esse. At in fine carminis repetitis precibus a Maecenate flagitat, ut elegos scribere, et hoc modo laudi gloriaeque servire, sibi iuveni concedat.

1-8. Maecenas quum sua sibi origine admodum placeret, et nihilominus tamen continentiam suam praedicari libenter audiret, quippe quod equestri dignitate contentus esset, vid. Vellei. Pat. II, 88, etsi summos in civitate honores consequi potuisset: Propertius exquisita arte statim initio carminis Maecenatis genus ab Etruscis regibus ducit, et simul modestiam illius praedicat, quam se imitaturum esse ostendit. — *Etrusco de sanguine regum*, Maecenas nimirum e nobilissima Arretinorum gente Cilnia oriundus erat, e qua quondam fuerant Lucumones, στρατηγοί, duces Etruriae, a Romanis reges appellati. Hanc regiam Maecenatis stirpem passim poëtae commemorant, vid. Hor. Carm. I, 1, 1; Ovid. Trist. IV, 10, 29; Sil. Ital. X, 41; Martial. XII, 4; Albinov. II, 13 in Burm. Anthol. Lat. T. I, p. 254. — *Intra fortunam — tuam*, qui sorte tua contentus vivis, non cupis egredi fortunae tuae limites, sed modestiae et continentiae studiosus es. Conf. de hoc usu vocis *intra*, Gronov. Obss. I, 10; Snakenb. ad Curt. VII, 1, 25; Burm. ad Ovid. Trist. III, 4, 25; Bentlei. ad Horat. Art. P. 265. — 4 sqq. vid. not. ad el. 3, 23. Sensus: ingenium meum sublimioribus rebus canendis minime convenit. — 6. Poëtam materiam scribendi viribus suis non aequam sumentem eleganter comparat cum eo, qui capiti onus nimis grave gestandum imponit. Horat. A. P. 38: *Sumite materiam vestris qui scribitis aequam Viribus*. — *turpe est*, stultum ac temerarium supra vires niti. —

Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex aequo ducitur una iugo.
Gloria Lysippo est, animosa effingere signa:
Exactis Calamis se mihi iactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles;
Parrhasius parva vindicat arte locum.

*pressum*, oppressum onere. – *dare terga*, dare et ostendere terga, id est pronum cadere. - *omnia rerum*, e graecismo pro omnes res. Horat. A. P. 49: *abdita rerum*. Carm. II, 1, 23: *cuncta terrarum*. — *omnibus apta*, non omnibus conveniunt; non omnia possumus omnes. - 8. Non eadem gloria ex eadem arte ducitur, variis viis in eadem arte ad gloriae laudisque fastigium pervenire licet. Locutio desumta a iumentis aequali iugo trahentibus.

9–12. Sententiam v. 8 propositam exemplo celeberrimorum statuariorum et pictorum probat „quos, licet sibi dissimiles, suis tamen, quamvis diversis, meritis singulos censendos esse docet. Burmanno videtur Prop. in animo habuisse Cic. locum de Or. III, 7. – *Lysippus*, statuarius clarissimus. Cf. de eo Plin. H. N. VII, 37; Horat. Epp. II, 1, 240; Quinct. XII, 10; Vellei. Pat. I, 11. - *animosa* pro animata, viventia, vivida, ἔμψυχα. Gloss. vet. *animosa*, animalis, ἔμψυχος. — *Calamis*, insignis statuarius, cuius inprimis equi admirationi fuerunt omnibus, et a veteribus laudantur, vid. Plin. H. N. XXXIV, 8, 11, ibique Harduin. Ovid. Pont. IV, 1, 33; Quinctil. XII, 10; Lucian. Imagin. T. II, p. 462-464; Iunius Catalog. Artific. vett. p. 42. – *exactis equis*, multa arte elaboratis, ἐξειργασμένοις. Sic *exactus* legitur el. 1, 8; Senec. de Ira I, 3. – *se mihi iactat*, poëtice dictum pro opere suo sese mihi commendat. *Apelles*, v. I, 2, 22. – *in Veneris tabula* significatur Venus ἀναδυομένη, quam e mari exeuntem Apelles pinxit, de qua pictura nobilissima vid. epigrammata in Anthol. Gr. L. IV, Tit. 12, p. 465 sqq. ed. Ops. Harduin. ad Plin. H. N. XXXV, 10; interpp. ad Ovid. A. A. III, 224, et Heyne Antiquar. Aufsatze, Th. I, p. 126. -- *summam*, nempe gloriae, quod praecessit, *ponit*, statuit in eam praecipuam artis suae laudem et decus. – *Parrhasius*, Ephesius, pictor nobilissimus, vid. Plin. XXXV, 6, 9 seq. Horat. Carm. IV, 8, 6; Quinctil. XII, 10. -- *parva arte*, cum dilectu. Scilicet Prop. v. 3 seqq. declararat, sibi levia tantum argumenta pertractanda, carmina amatoria esse canenda: *Parrhasius* autem *minoribus tabulis libidines pinxit eo genere petulantis ioci se reficiens*, quae sunt verba Plinii l. c. Add. Sueton. Tib. 44. Itaque Parrhasii minores, sive parvas tabulas opponit poëta Lysippi signis, Calamidis equis, et Apellis Veneri in magna tabula pictae, atque sese cum Parrhasio comparat, qui minoribus picturis maximam laudem et gloriam consecutus erat. — *vindicat locum*, apud multos sibi locum vindicat, nempe in secretiori-

Argumenta magis sunt Mentoris addita formae:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Iupiter ornat eburno;
Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.
Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae:

bus aedium cubiculis. Vid. Sueton. l. c. Alii minus recte, opinor, explicant, inter pictores nobilissimos.

13-16. Sententia, quam exprimere voluit Noster, haec est: Mentor (vid. de eo not. ad I, 14, 2) in maioribus et grandioribus operibus artem exercuit, et iis laudem sibi comparavit, Mys in exiguis. Iam *argumenta magis*, ut acute vidit Marklaud. positum est pro maiora, l. magna, more Graecorum, vid. Eurip. Med. 651; Martial. XIV, 189: sed *argumenta* sunt historiae vel fabulae sculptae, emblemata insculpta, ut apud Virgil. Aen. VII, 791. — *formae* pro formis i. e. operibus, poculis, a Mentore formatis ex aere; sic *forma ahena*, IV, 2, 61, pro opere ex aere formato. — *addere*, i. e. dare, indere. — *Mys*, eximius argenti caelator, vid. Plin. XXXIII, 12; VIII, 34; Martial. VIII, 34, ep. 51; XIV, 93; Pausan. I, 28. Ad designandam caelaturam levem et exiguam commemoratur *acanthus*, Barenklau; et ut significentur pocula parva, mollis et flexi acanthi foliis circumdata, egregie additur: *exiguum flectit iter*, flexuose, sinuose, brevi spatio errat. Virg. Ecl. III, 45: *Et molli circum est ansas amplexus acantho.* - 15. *Phidiacus Iupiter*, innuit Phidiae, statuarii omnium celeberrimi, statuam Iovis Olympici in Elide, quae in septem ita dictis mundi miraculis numerabatur, vid. Plin. VII, 38; XXXIV, 8; Pausan. I, 2, 24, 28; Quinctil. XII, 10; interpp. ad Ovid. Pont. IV, 1, 31; Anthol. Gr. epigr. I, 54, p. 71 ed. Steph.; Iunius in Catal. Artif. p. 154 seqq. Summa autem laus artificis, ex cuius opere ipse Iupiter, ut augustior videatur, ornamentum quaerat, et ad illam effigiem sese quasi componat. — *signo*, pro statua, simulacro. — *lapis urbe*, (*urbs* pro insula, ut voc. πόλις Archilochus usus est, vid. Steph. Byz. voc. Πάρος· add. Pollux IX, 27). - *Paria*, Graecorum more, pro lapis Parius, ut *vinum Lesbo*, *Chio*, *vultur silvis* etc. subint. ex, vid. Popma de usu antiq. locut. II, 11 extr. Parium autem marmor, (Paros, una ex Cycladibus marmore nobilis) prae caeteris marmoribus excelluit, unde *Parium marmor* pro praestantissimo dicitur Horat. Carm. I, 19, 5, aliisque in locis pluribus. Praeterea Praxitelem, Cnidium, statuarium excellentissimum, marmore, quam aere, feliciorem et clariorem fuisse tradit Plin. H. N. XXXIV, 8. — *vindicat*, Praxitelem sibi artificem postulat, unice dignum est, in quo Praxitelis ars se exerceat.

17-20. Sunt diversae naturae dotes, et suo quisque modo laudem gloriamque venatur: ego tuum, Maecenas, exemplum sequor, continentiae et modestiae sum studiosus; ego carminibus mollibus delector, mihique satis erit, si mea carmina legantur et laudentur cum Callimachi carminibus. vs. 17-44. Compara Horat. Carm. I, 1, 3 sqq. Virg. Georg. II, 502 sqq. — *Est quibus*, Atticorum more. Homer. Odys. Θ, 11: ἔςιν οἷς

Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem : hic castrensibus utilis armis.
Naturae sequitur semina quisque suae.
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
Cogor et exemplis te superare tuis.
Quum tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere iura foro;
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,

φλυκταίναι ἀνίστανται. Vid. Abresch. diluce. Thucyd. p. 410. – *quadrigae*, numero singulari, ut II, 34, 38, et ap. Gratium Cyneg. 228. – *palma*, etiam Virg. Georg. III, 49, *palmam olympiacam* memorat, vid. Mitscherlich. ad Horatii Carmina I, 1, 5. *palma* autem h. l. pro victoria, seu victoriae gloria. – *concurrit*, eleganter et poëtice, simul currit, sicuti quadriga eorum currit, ita sequitur illam victoria. Sensus: hi in ludis Olympicis victores praedicantur et celebrantur. - 18. Hypallage, pro quibus celeres pedes in gloriam nati, qui pedibus vincunt, et celeritate sua, cursores, sibi gloriam comparant. – *hic pacem* amat, *hic arma*, hic *belli*, ille *togae dotibus omnibus eminentissimus est* (Cic. Orat. III, 42) – *satus*, pro natus, ut saepius. – *utilis armis*, sic I, 6, 29: *idoneus armis*. – *semina*, dicuntur notiones et inclinationes, quas natura nobis indidit; eo quisque tendit, quo natura ducit. Etiam Cic. *igniculos et semina virtutum* vocat illas notiones et inclinationes honestas, quas a natura habeamus.

21–26. Tu me cohortatus es, ut heroica scriberem, at tuum exemplum, tua vivendi ratio mihi longe alia suadet, quum enim posses praecipuus esse in republica, Consul et Imperator, te intra fortunam tuam tenes, vela contrahis; quare multo magis mihi sunt vela contrahenda; nec graviora, sed leviora argumenta pertractanda. Maecenatis mollitiem et quietis amorem praeclare obscurat poëta. – *tua vitae praecepta*, praecepta quae dat tua vita, exemplum tuum *recepi*, sequor. Similis locutio *vitae praecepta haurire* ap. Horat. Sat. II, 4, 95. – *cogor*, vel invitus, a natura (v. 20) et fortuna, quum tibi sim multo inferior sorte et genere. – *superare*, te vincere, quod tuum exemplum attinet, cogor te ipso modestissimo modestior esse. Alii *superare* explicant convincere, coarguere. – 23. *Romano in honore*, magistratu, consulatu. — *dominas secures*, docte pro secures consulatus et imperii signa. Sic *secures*, ut *fasces*, saepius consulatum innuunt, vide Drakenb. ad Silium It. XI, 62, 152; XIII, 269. — *secures ponere*, statuere, ut faciunt lictores, quum in foro cum securibus apparent. – *ponere iura*, ius dicere. – 25. Describitur imperium militare. Posses, inquit, de Parthis Romano nomini infensissimis et gravissimis hostibus triumphare, vid. el. 4. — *Medi*, pro Parthis, ut saepius. – *hostes Medorum* pro hostes Medos, ut II, 10, 13, *equitem Parthorum*, vid. Obss. – *pugnaces*, fortiter oppugnan-

Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
Tempore tam faciles insinuentur opes:
Parcis, et in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
Iudicia, et venies tu quoque in ora virum.
Caesaris et famae vestigia iuncta tenebis.
Maecenatis erunt vera tropaea, fides.

tes, bellicosos. -- *ire per hostes*, eos adoriri, aciem eorum perrumpere, sic *ire per feras* Ovid. Heroidd. IV, 38. *ire per gladios* ib. XVII, 246. Valer. Fl. I, 438: *In medios gladio bonus ire per hostes.* – 26. *fixa per arma*, mos enim fuit Romanorum, ut spolia hostium foribus praefixa haberent, iisque domos ornarent, v. Sagittar. de ianuis vett. c. 29 in Graev. Thess. T. VI, p. 509; Tibull. I, 1, 54 seqq. *Te bellare decet terra, Messala, marique, Vt domus hostiles praeferat exuvias.* Vid. ibi interpp.

27–30. Augusti laudem scite intexit. – *ad effectum*, ad id efficiendum, quod paras et moliris. – *insinuentur*, ultro, nec petenti, offerantur, tribuantur. -- *parcis* pro parce uteris, ut *parcere parto* ap. Virg. Aen. VIII, 317. -- *colligis*, te coërces, contrahis. *Colligere* pro contrahere, coërcere, in angustum cogere, vid. Broukhus. ad Tibull. I, 8, 14; Heins. ad Virg. Aen. XII, 863. – *in tenues umbras*, explicant de vita a strepitu remota, et luci ac splendori aulae opposita; recte; arbitror tamen, Propertium simul respexisse Maecenatis amorem hortorum, in quos secedere solebat, quum procul negotiis esset. Albinov. in obit. Maecen. v. 16. Anthol. Lat. T. I, p. 259: *Maius erat potuisse tamen, nec velle triumphos: Maior res, magnis abstinuisse, fuit. Maluit umbrosam quercum, nymphasque cadentes, Paucaque pomosi iugera certa soli. Pierides Phoebumque calens in mollibus hortis, Sederat argutas garrulus inter aves.* – 30. *velorum-sinus*, translatio a navigatione petita, cursum navis moderaris, ventis secundis vela nimium turgentia contrahis, inhibes cursum. Horat. Carm. II, 10, 23: *sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela.* ubi vid. Mitscherlich.

31–38. Cum Camillo, qui ob liberatam a Gallorum manibus Romam alter Romulus dictus est, tanquam perfectissimo antiquae morum severitatis, frugalitatis et continentiae exemplo, Maecenatem comparat. Vid. Horat. Carm. I, 12, 44. -- *magnos Camillos*, ut apud Virg. Georg. II, 169. -- *ista iudicia*, nempe tua, vita in sublimi fortuna moderata, iudiciis tuis, splendidae praelata. -- *et–virum* neque te laudabunt ac Camillum bello et pace maximum. – 33. Tua gloria proxime accedet Augusti gloriae, et virtutis tuae monumentum firmum ac certum tua erit fides Augusto praestita, haec tibi erit pro tropaeis bellicis, conf. II, 1, 27. - 36. Abstinendum mihi est a carminibus heroicis, vid.

Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
Cadmi, nec semper proelia clade pari.
Nec referam Scaeas, et Pergama Apollinis artes,
Et Danaum undecimo vere redisse rates,
Moenia quum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus arcis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Dore poëta, tuis.
Haec pueri curent, haec curent scripta puellae,

not. ad el. 3, 23. – *sub* pro in, ut ap. Ovid. Trist. I, 3, 19, coll. II, 329 sqq. Iam eleganter et poëtice Prop. affert varii generis argumenta carminis heroici, a quibus mentem suam et ingenium alienum esse declarat. – *flebo*, tragico, lugubri carmine canam, vid. I, 9, 10. – *sidisse*, collapsam esse. – *arcem Cadmi*, Thebas, vid. I, 7, 1 sqq. – *cineres paternos*, patrios, significantur bella civilia. – *clade pari*, omnes enim duces, qui ad Thebanam expeditionem profecti erant, excepto Adrasto, deinceps occisi sunt, donec, Eteocle et Polynice, fratribus, mutua caede interfectis, Creon regno potiretur.

39-46. Nec scribam bellum Troianum. – *Scaeae*, portae urbis Troianae, Homero et Virgilio saepius memoratae, per quas equum transiisse ferunt. Vid. Serv. ad Virg. Aen. II, 612. Hesych. in Σκαιῇσι πύλῃσιν, et Holsten. ad Steph. Byz. p. 296. — *Pergama*, II, 1, 21. – *Apollinis artes*, Apollinis et Neptuni opus dicitur Troia Ovid. Met. XII, 586. *Ars* vocatur id quod quis fecit aut condidit, ut III, 5, 9. – *undecimo vere*, nam post *castra decem annorum*, el. 12, 26, proximo sequentis anni vere classis Graecorum domum rediit. — 41. *moenia Neptunia* Troiae, a Neptuno exstructa, Ovid. Heroidd. III, 151: *Neptunia Pergama*. — *pressit aratro*, hypallage, pro impressisset Graium aratrum moenibus Neptuniis. Aratri usus in condendis et vero etiam iisdem eversis moenibus notus. Hor. Carm. I, 16, 20: *imprimeretque muris Hostile aratrum exercitus insolens*, h. l. eleganter *equus ligneus* dicitur victor, ut ap. Ovid. Trist. IV, 10, 98. – *Palladiae arcis*, Hygin. f. 108, de equo Troiano: *Priamus equum in arcem Minervae duci imperavit.* Virg. Aen. II, 32 sqq. *Et monstrum infelix sacrata sistimus arce* ib. 245. — *Inter-libellos*, Callimachi et Philetae imitatione unice delector, et mihi satis erit, si legantur ac probentur mea carmina aeque ac Callimachi et Philetae elegi, vid. ad III, 1, 1. – *Dore poëta*, intelligitur Philetas. Cos enim Philetae patria erat insula maris Aegaei e regione Cariae, ad quam pertinebat; Caria vero pars erat Doridis. – *Meque-ferant*, sepulcro meo lucum addant, aram ibi exstruant, et mihi sacra ferant, vid. ad el. 1, 2, 21 sqq.

Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Iovis arma canam, coeloque minantem
Coeum, et Phlegraeis Oromedonta iugis:
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, et caeso moenia firma Remo:
Eductosque pares silvestri ex ubere reges.
Crescet et ingenium sub tua iussa meum.
Prosequar et currus utroque ab litore ovantes:
Parthorum astutae tela remissa fugae.

— 46. *sacra* proprie *ferri* dicuntur. Vid. El. 1, 4.

47 — 52. Maecenatem alloquitur. Sensus et cohaerentia: Quodsi tamen tu me urges et instas, a me gravioris argumenti carmina flagitas, te auspice et impulsore, ferociores spiritus sumam, et carmina heroica scribere tentabo. — *Iovis arma*, Gigantomachiam. — *Coeum*, nomen Gigantis, vid. Apollod. I, 1, 3; Val. Fl. III, 224; Claudian. R. P. III, 347. - *Oromedontis*, Gigantis, praeter hunc locum non mentio fit. — *Phlegraeis iugis*, vid. ad I, 20, 9. — 49. Vrbis Romae primordia. Cf. IV, 1, 3. — *Romanis tauris*, pro Italis. — *decerpta*, verbum de pecoribus pascentibus proprium. — *eductos*, nutritos, *pares*, fratres gemellos, Romulum et Remum, lacte ferino, lupino, in silva eductos. *educere* pro educare, alere, nutrire, vid. Drakenb. ad Liv. I, 4, 7, et ad Sil. IX, 434; Burm. ad Sammonic. v. 64. — *Crescet-meum*, amplior mihi erit facultas pangendi carminis heroici, quum tu imperabis, ut scribam. Similis locus Virg. Georg. III, 41, quem noster in animo habuisse videtur: *Interea Dryadum silvas saltusque sequamur Intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa. Te sine nil altum mens inchoat.*

53—54. *Prosequar*, cum dilectu, comitabor quasi currum Augusti triumphantis, i. e. canam Augusti triumphos. Vid. II, 10, 19. Compara Virg. Georg. III, 31 seq. — *utrumque litus* est Eoum et Hesperium, triumphos de Orientis et Occidentis populis, de toto terrarum orbe actos, vid. Virg. Georg. III, 33, et not. ad II, 10, 13. — *ovantes* pro triumphantes. — *tela fugae* pro astute fugientium Parthorum. — *astutae fugae*. Iustin. XLI, 2, de Parthis: *pugnant autem procurrentibus equis aut terga dantibus, saepe etiam fugam simulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant.* Senec. Oedip. 118: *Vidit et versas equitis sagittas, Terga fallacis metuenda Parthi.* Thyest. 384: *Telis, quae procul ingerit Parthus, quum simulat fugam.* Add. Prop. II, 10, 13; IV, 3, 66; Rittershus. ad Oppian. Cyneg. III, 401; Bentlei. ad Lucan. III, 265. Sed *tela remissa* h. l. non sunt retromissa; hac enim verborum interpretatione admissa, sensus esset: canam bellum Parthicum: quae sententia ab hoc loco aliena foret, quum v. 53 poëta commemorarit Augusti triumphos de toto terrarum orbe actos; immo *tela remissa* dicuntur, quae non amplius contenduntur et diriguntur, canam, ut tandem remise-

Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
  Antonique graves in sua fata manus.
Mollia tu coeptae fautor cape lora iuventae,
  Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a te est,
  Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

rint Parthi arcus et sagittas, pugnare desierint, canam victoriam de Parthis reportatam. Virg. Aen. XII, 815: *Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.* Horat. Carm. III, 8, 23: *Iam Scythae laxo meditantur arcu Cedere campis.*

55-60. Bellum Alexandrinum Augusti respicit. — *Pelusium*, unum ex septem ostiis Nili et civitas. Hirtius de bel. Alex. I, 26: *tota Aegyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio, velut claustris, munita existimatur.* — *subruta*, subversa, revulsa, Augusti armis. — *Antonique-manus*, Antonius ab Augusto victus, Alexandriae ipse sibi manus intulit. Plutarch. vit. Anton. Dio LI. — *graves*, infestas, in suam ipsius perniciem saevientes. - 57. Rogat Maecenatem, ut liceat sibi deductum et molle dicere carmen, conveniens aetati tenerae. Eleganti hanc in rem imagine poëta usus est, desumta ab auriga. Similes loci Ovid. Met. I, 280; Pont. II, 8, 24; A. A. I, 41; Remed. 397. Me iuvenem regas mollibus loris, noli incitare frenis durioribus, *mollia sint parvis prata terenda rotis* el. 3, 18; praescribe mihi argumenta scribendi leviora, permittas ut ego iuvenis sim mollis, non durus poëta. — *immissis*, i. e. admissis, concitatis ad cursum. Ablat. absoluti. — *da mihi signa*, precibus meis annue, significa hunc mihi cursum inchoandum. - 59. Persuasissimum mihi est, te concessurum esse, ut possim tuam animi moderationem aemulari et a carminibus gravioris argumenti abstinere, atque hoc modo gloriam laudemque mihi comparare. — *quod-tuas*, h. e. ut recte explicuit Marklandus: quod fuerim in partibus tuis, id est quod ad tuum exemplum vitam et scripta mea conformaverim; *partes* h. l. de vitae genere, et *in partes esse*, pro in partibus, usitata locutio, qua notione *esse*, pro ire, venire, dicitur saepius, ut apud Suet. Aug. 16: *militibus in conspectum fuit.* Cic. ad Attic. XV, 4: *quo die in Tusculanum essem futurus.*

# ELEGIA X

## DE NATALI AMICAE SVAE

Mirabar, quidnam misissent mane Camoenae,
  Ante meum stantes, sole rubente, torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
  Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
  Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
  Et Niobae lacrymas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis:
  Increpet absumtum nec sua mater Ityn.

ELEGIA X

Cynthiam cohortatur ad sacra natalitia celebranda, eamque docet, quo cultu suum ipsa natalem celebrare debeat. Suavissima elegia, et mirifico lepore ac venustate imbuta. Compara Tibull. II, 2; Ovid. Trist. III, 13; et V, 5.

1–6. Elegans fictio. Ante Propertii dormientis lectum stant Musae, et Cynthiae, doctae puellae, diem natalem indicant, eumque ipsae excitant, ut hunc diem amicae natalem carmine celebret. – *misissent*, id est nuntiassent, significassent. Conf. de hoc verbi usu Manut. ad Cic. ep. ad Div. V, 29; Graev. ad III ad Attic. 19; Cortius ad Cic. ad Div. II, 8. – *rubente*, exoriente, vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 301. – *signum misere* pro dedere, significarunt, ut apud Virg. Georg. I, 229; Seneca Thyest. 957; Hippol. 82. – *ter crepuere*, ter plausum faustum dederunt, applauserunt. Ovid. in Ibin 228, de eius natali: *Terque cruentatas increpuere manus*; vid. Markland. ad Stat. Silv. pag. 191. – 5 seqq. docte et poëtice exornant notionem hanc: sit hic dies laetissimus, faustissimus! – *stent*, consistant, quiescant. – *ponat* pro deponat, frangat. Lucret. V, 1000: *mare – leviterque ponebat minas inanes*. Callim. l. c. 18: Εὐφημεῖ καὶ πόντος. – *in sicco*, in litore, ut apud Virg. Georg. I, 363; vid. Graev. ad Cic. pro Planc. 16.

7–14. Compara Callimac. hymn. Apoll. 20 sqq. – *Niobae lapis*, vid. ad II, 20, 7. – *Alcyonum*, conf. not. ad I, 17, 2. – *absumtum Ityn*, interemtum et a patre devoratum. Sic *absumere* apud Catull. LXII, 14; Virg. Aen. III, 255. Quod fabulam ipsam attinet, vid. not. ad II, 20, 5. – 11. Cynthiam ipsam ad celebrationem

Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
  Surge, et poscentes iusta precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
  Et nitidas presso police finge comas.
Dein qua pridem oculos cepisti veste Properti,
  Indue, nec vacuum flore relinque caput.
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
  Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
  Luxerit et tota flamma secunda domo:
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,

diei natalis excitat. – *felicibus pennis*, avibus, omine fausto, felici augurio, ex volatu avium capto, nata. Sic *πτέρυγες ἀγαθαὶ* Callim. hymn. Lavacr. Pall. 124, et ὄρνις passim pro bono vel malo omine; vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Iov. 68; Stanlei. ad Aeschyl. S. c. Th. 603; et *avis* Tibull. II, 2, 21; vid. interpp. ad Valer. Flac. I, 233. – *poscentes*, repet. precari, qui precibus implorari volunt. Similis loquendi forma II, 1, 11; vid. Heyne ad Virg. Aen. V, 87. – *iusta precare*, ita ut gratias agas die natali pro vita tibi servata, et preces ac vota in sequentium annorum felicitatem suscipias. – 13. *somnum – lympha*, de lavatione matutina intelligendum, qua e lecto surgentes ora oculosque abstergebant, et residuum somni torporem discutiebant. Lucian. Amor. tom. II, pag. 440. — 447. Perquam contorte explicat Burm. visa nocturna, si quid forte sinistri ea portenderant, expiare, lympha fluviali vel fontana diluere et lustrare; vid. Casaub. ad Pers. III, pag. 187. – *presso pollice*, graphice, ad comas colligendas et distincto ordine ponendas. – *nitidas comas*, fulgentes Horat. Carm. III, 19, 25. λιπαρὰ ἔθειρα Theocrit. Idyll. V, vers. 91.

15–22. Eadem veste te orna, qua induta fuisti, quum primum te viderem, quum me tuum spectando faceres, me caperes, oculos meos ad amorem attraheres. Amantes enim capiunt et capiuntur oculis vicissim, vid. I, 1, 1. – *veste*, ostrina tunica IV, 29, 26. – 18. Vt amor noster sit perpetuus; sed elegantius poëta dixit: *inque – caput*, imperium, *regnum* proprium amicarum, contra *servitus* amatorum, vid. Heins. ad Ovid. Remed. Am. 299; Broukhus. ad Tibull. I, 7, 75. – *stent*, pro sint, ut saepius, vid. eleg. 5, 2; semper sint, maneant. – *ture piaveris*, pie laribus usseris tura; Tibull. II, 2, 3. – *Vrantur pia tura focis.* Simili sensu legitur *piare* I, 1, 20. – *coronatas* floribus, sertis cinctas, vid. Barth. ad Stat. Theb. X, 598. – *flamma secunda*, flamma ex ara fausto omine in altum surgente. Tibull. IV, 1, 134. – *Laetior*, (id est clarior, lucidior, hilarior, nullo fumo sordidus) *eluxit structos super ignis acervos.* – 21. *inter – currat*, decurrat, ornate, pro inter pocula transigatur. Nocti tribuitur currus a poëtis, vid. ad II, 15, 32. – *nares ungat*, id est unguenti

Et crocino nares murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiae libera verba tuae.
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos,
Publica vicinae perstrepat aura viae.
Sit sors et nobis talorum interprete iactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Quum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus:
Annua solvamus thalamo solennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

crocini odore repleat, caput unctum odorem naribus praebeat. – *crocino* erat unguenti vel olei genus, quod e croci floribus et spicis conficiebatur, eo veteres comas et caput perfundere solebant, unde Moschus in Europa vs. 83. *ξανθοῖο κρόκου θυόεσσαν ἐθείρην*. Vid. Spanhem. ad Callim. hymn. Apoll. 83; et de frequenti croci usu in conviviis lautioribus conf. interpp. ad Lucian. Nigrin. tom. I, pag. 72 seqq. – *onyx*, vid. ad II, 13, 30. – *myrrheus*, a colore flavo, qui in hoc lapide laudatissimus; myrrha enim probatissima talem habet colorem, unde *flavam* vocat Ovid. Met. XV, 399; cf. praeterea Salmas. Exercitt. Plin. pag. 1063; Ernesti ad Sueton. Octav. 71; Archaeol. liter. I, 3, 25.

23–32. Tibiarum usus in conviviis satis notus. – *succumbat*, deficiat, choreasque saltantium destituat, deficiat tibicen, et impar sit saltationibus nimium productis. – 24. Nec pudeat fescennino sermone uti, procacia et lasciva verba proferre. – *convivia*, vid. Obss. – *ingratos somnos*, iniucundos, quibus indulgere non est huius loci, sed magis delectat vigilare. – 26. Cantu, tibia, et convivii hilaritate omnis vicinia perstrepat. Cic. pro Rosc. 46: *cantu vocum et nervorum et tibiarum nocturnisque conviviis tota vicinitas perstrepit*; add. Horat. Carm. III, 19, 22 seqq. – 27. Sortiamur inter pocula talis, quo quis ordine et loco suos amores profiteri, dicere debeat, quo in amore, quo vulnere, qua sagitta pereat, vid. Horat. Carm. I, 27, 10. – *verberet*, in quem saeviat Amor. – *trientibus*, poculis; vid. Casaubon. ad Pers. Sat. III, 100. – *hora*, tempus convivii. – 30. *Venus* eleganter dicitur *ministra noctis*, et *instituere sacra*. Sensus: amori indulgeamus. – *solvamus*, reddamus tanquam debita; celebrabimus et hoc modo anniversaria sacra. – *sic peragamus*, celebrationem diei tui natalis sic finiamus. *Iter* periphrasi inservit, ut ὁδὸς, et *cursus*, vid. Ovid. Fast. III, 778; Trist. III, 4, 33; Aeschyl. Choëph. 790; Eurip. Orest. 632; Phoen. 922. etc.

# ELEGIA XI

## FEMINAS IMPERARE AMANTIBVS

Quid mirare, meam si versat femina vitam,
Et trahit addictum sub sua iura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam facto rumpere vincla iugo?

### Elegia XI

Exemplis mulierum, quae viris imperaverint, se foemineo amori mancipatum tueri conatur adversus reprehensores: opportune Cleopatrae superbiam, et ab illa acceptam cladem apud Actium describens. Ita Vulpius huius elegiae argumentum constituit. Sed si sententiarum nexum, rerum in hoc carmine obviarum varietatem, inprimisque carminis exitum respicimus: duas diversas elegias hoc loco coniunctas esse, facile intelligitur. Etenim initio carminis loquitur poëta de amoris servitio, cui obnoxius erat, deinde deflectit ad virorum illustrium et deorum exempla, qui foeminarum imperium subierunt, et pergit postea ad pugnam Actiacam. Iam quamquam me minime fugit, elegiacum scribendi genus omnino negligentia quadam sese commendare, et evagandi quandam concedere libertatem, tamen maxima huius elegiae pars Augusti de Antonio et Cleopatra reportatam victoriam ita canit, Augustique laudes ita celebrat, ut quae de illa victoria hoc loco legantur, ad episodiorum genus referri minime possint, praesertim quum poëta ad argumentum principio elegiae inceptum non redierit. Itaque arbitror, sectionem illam a vs. 1–28, quae de mulierum potentia et imperio in viros agit, maioris carminis particulam esse: laudes vero Augusti, victoria Antonii et Cleopatrae, quae inde a vs. 29 leguntur, integram elegiam constituere. Hac autem coniectura probata et admissa, signum interrogationis in fine vs. 30 delendum, et post verba vs. 32, *in sua regna*, ponendum est. Nec abruptum elegiae initium vs. 29, *Quid? modo* etc. nos potest morari. Nam abrupta eiusmodi principia poëtis interdum placuisse constat.

1–6. *Versat* verbum fortius pro regat, graece κυλίνδειν Aristoph. Eccles. 208; vid. Bergler. ad Alciphr. I, 23; Drakenb. ad Liv. II, 45, 5; Prop. II, 22, 47. – *addictum*, ei traditum, commissum, potestati illius permissum. Translatio a debitoribus desumta, qui quum solvere non possent, a praetore debitoribus addicebantur; vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. – 3. Me virum, et hominem liberum falso accusas inertiae et mollitiae. – 5. Qui nunquam amavit, vim amoris ac tyrannidem ignorat; sicuti qui

Venturam melius praesagit navita noctem:
  Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego praeterita iactavi verba iuventa,
  Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros
  Egit, et armigera proelia sevit humo;

nunquam ratem pelago commisit, existimat, marinos fluctus rem ludicram esse, neque adeo pertimescendam: qui vero urbanis deliciis est innutritus, pugnas et proelia, tanquam somnia et fabellas audire solet. Amator contra, miles et nauta, sua quisque pericula serio pendunt; malo enim suo timere didicerunt, neque rem facilem putant, amoris iugum excutere, tempestatem vel hostem superare. Vvlp. – *melius*, facilius et doctius. – *noctem*, id est tempestatem, ut I, 17, 10; Virg. Aen. I, 93. – *metus* vulnerum, militi non temerario, sine ullo eius dedecore, causa est, cur modum habeat.

7–12. *Ista iactavi verba*, quae scilicet tu mihi iactas verba et praecepta magnifica, frangendum esse iugum etc. Compara I, 5, 19 seqq. – 9. Potentiam et audaciam foeminarum, earumque in viros imperium, exemplis ex mythologia et historia desumtis demonstrat. – *Colchis*, Medea (II, 1, 54) Iasonem cum Argonautis profectum ad vellus aureum auferendum adamavit, et carminibus ac herbis adiuvit, ut tauros flammas naribus spargentes superaret, draconem pervigilem custodem arietis aurei sopiret et interficeret, et ita aureum vellus auferret; vid. Hygin. fab. 22, Ovid. Met. VII, 1 sqq.; Heroidd. VI, et XII; Apollodor. I, 9, 23; Horat Epod. III, 11; Prop. II, 21, 11; 24, 46; Eurip. Med. 472 sqq.; Iustin. XLII, 2. - *sub iuga egit*, subegit, subiugavit, domuit. – *adamantina*, ferrea; quidquid enim durum et satis munitum est, inprimisque ferrum durissimum, *adamantinum* Graecis et Latinis dicitur; vid. Graev. ad Hesiod. Scut. Herc. vs. 136; Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 6, 13. Ovid. Met. VII, 118 seq. simpliciter habet: *Suppositosque iugo pondus grave cogit aratri Ducere, et insuetum ferro proscindere campum.* Apollon. III, 1286, iugum aereum fuisse scribit. – *et - humo* partem dentium serpentis illius, quem Cadmus interfecerat, vid. Ovid. Met. III, 1, et quos ibi laudavit Gierig., Minerva Aeetae, patri Medeae, Colchorum regi dederat; vid. Tzetz. in Lycophr. p. 36; Apollod. l. c.: hos dentes Iason sevit, et ope Medeae boves ignivomos coëgit insuetum ferro proscindere campum. – *armigera humo.* Ovid. Heroidd. XII, 95, Medea: *Arva venenatis pro semine dentibus imples: Nascitur, et gladios scutaque miles habet. Ipsa ego, quae dederam medicamina, pallida sedi, Quum vidi subitos arma tenere viros. Donec terrigenae (facinus miserabile) fratres Inter se strictas conseruere manus.* Nempe sparsit Iason dentes draconis, unde nati armati, qui inter se dimicarunt. Eleganter igitur *proelia sevit* positum est pro proeliatores humo produxit, et *humus*, quae poëtice hoc loco dicitur *armigera*, a Val. Flac. VII, 610, qui nostrum locum imita-

Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Aesonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
Maeotis Danaum Penthesilea rates.
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.
Omphale et in tantum formae processit honorem,
Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Vt qui pacato statuisset in orbe columnas,

tus est, *bellatrix gleba* vocatur. – 11. *feros hiatus*, ora draconis metuenda. – *Aesonias* (Aeson Iasonis pater) *domos*, id est Iolcon, in Thessaliam. – *aurea lana*, aureum vellus. Ovid. Heroidd. XII, 127 seq.: *Sospes ad Haemonias victorque reverteris urbes, Ponitur ad patrios aurea lana deos.*

13–17. *Penthesilea*, Amazonum regina, e Scythia, id est e locis ultra Maeotidem (II, 3, 11) Troianis auxilio contra Graecos venerat; vid. interpp. ad Virg. Aen. I, 494; Q. Smyrnaeus lib. I; Heyne Obss. ad Homer. Il. Γ, 189. – *ausa* temeritatis notionem involvit. – *contra oppugnare*, ἀντιμάχεσθαι, ut *contra stare* Virg. Aen. V, 414; *contra ire* Stat. Theb. IX, 16; *contra pugnare* Ovid. Met. II, 434. – *nudavit*, detexit. – *frontem*, Penthesileae, quum nimirum cassis detracta fuisset vel ab Achille vel ab ipsa. Dicitur enim *cassis* et *cassida*, ut *chlamys* et *chlamyda*, vid. Priscian. lib. VI, pag. 689, 708 ed. Putsch. Voss. de Analog. I, 29. Cerda ad Virg. Aen. XI, 775. – *victorem virum*, Achillem. Vulgo quidem tradunt Penthesileam ab Achille interfectam esse, sed postquam, galea ex capite demta, Penthesileae pulchritudinem intueretur Achilles, eum attonitum stetisse, ac vehementer doluisse, quod illam interfecisset, nec uxorem duxisset; vid. Hygin. fab. 112. Q. Smyrnaeus Paralipom. lib. I; Servius ad Virg. Aen. I, 494; XI, 661; Potter. et Meurs. ad Lycophr. vs. 999; sed ex Propertii verbis satis luculenter apparere videtur, Achillem, certamine cum Penthesilea facto, eam vivam cepisse ac postea in deliciis habuisse. Scilicet Propertius etiam hoc loco, ut saepius, auctores deperditos secutus est.

18–20. *Omphale*, Lydiae regina, quae Herculem amatorem suum sibi servientem etiam ad lanificium compulit; vid. Hygin. fab. 32; Ovid. Heroid. VIII, 53 seq.; Apollod. I, 9, 19; II, 6, 3. – *in - honorem*, in tantum formae celebritatem venit. *Procedere in honorem*, ut *venire in honorem* II, 24. 31. – *Gygaeus*, lacus in Lydia fuit; Plin. V, 29; Prop. III, 22, 15. Praeclare autem poëta suae causae servit, et singula verba pondus habent. *Tincta*, lota, munditiei studiosa inprimis, et delicata *puella*, *Lydia* adeoque mollissima (Lydi enim in genere molles, deliciis et commoditatibus dediti fuerunt, vid. III, 17, 30); et tamen imperavit Herculi. – 19. *pacato orbe*, a monstris et tyrannis purgato, *παρελθὼν Ταρτησσὸν, ἔστησε σημεῖα τῆς πορείας ἐπὶ τῶν ὅρων Εὐρώπης καὶ Λιβύης ἀντιστοίχους δύο στήλας·* quae sunt

Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Vt solidum cocto tolleret aggere opus:
Et duo in adversum misit per moenia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit et Euphratem medium, qua condidit arces,
Iussit et imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Iupiter infamat seque, suamque domum.

Quid? modo quae nostris opprobria vexerat armis,

verba Apollod. II, 5, 10; ubi vid. Heyne. – *Tam - manu*, compara Ovid. Heroidd. IX, 77 seqq; Prop. IV, 9, 47.

21-28. *Semiramis*, Nini Assyriorum regis uxor, Babylona *statuit*, id est condidit, vid. Burm. ad Virgil. Aen. II, 295. – *Vt - opus*. Ovid. Met. IV, 57: *ubi dicitur altam Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.* Iustin. I, 2, 7: *Haec* (Semiramis) *Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, arenae vice bitumine interstrato;* add. Diod. Sic. II, 4; Plin. H. N. VI, 26; Solin. Polyhist. c. 60; interpp. ad Curt. V, 1, 24 seqq. Scilicet *statuit*, ut *condidit*, latiori sensu sumendum, amplificavit urbem et moenibus cinxit, auctoribus Herodoto, Stephano περὶ πόλεων et Ammiano Marcellino. – *cocto aggere*, id est coctilibus muris, quia instructi erant latere coctili, bitumine interliti; vid. Miscell. Obss. Vol. III, pag. 435. – 23. *misit*, fecit, ut mitti et agi possent. – 24. Sensus: Ne currus possent praetereundo latus contingere, aut in se incurrere. Curtius V, 1, 23: *Murus instructus laterculo coctili, bitumine inlitus, spatium* XXXII *pedum latitudine amplectitur. Quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur.* – 25. *Euphraten medium*, dum in utraque eius ripa domos exstruxit, ut medius flueret. – *duxit*, induxit, immisit, ut urbem quasi divideret. Curtius loco citato: *inter arcem et aedificia, a muro arcis remota, Euphrates interfluit, magnaeque molis crepidinibus coërcetur.* – 26. *Bactra*, vid. eleg. 1, 16; Spanhem. ad Callim. hymn. in Dian. 37; interpp. ad Stat. Silv. III, 2, 136. Bactra, ut Diod. Sic. lib. III tradit, dolo Semiramidis in potestatem Nini venit. – *surgere*, de operibus exstructis et iam florere incipientibus frequens; vid. Weitz. ad Valer. Flac. I, 499; Burm. ad Ovid. Heroid. VII, 11. – *imperio caput*, ut esset urbs totius imperii primaria. – 27. At non homines tantum, sed dii, sed Iupiter ipse, amore mulierum capti sunt, quae durum in eos imperium exercuerunt. – *Nam quid*, pro quidnam, vid. Virg. Georg. IV, 445. – *in crimina raptem*, accusem. – *infamat*, καταισχύνει, furtis suis infamat, dedecore afficit se et suos.

29–32. Audaciae et impotentiae muliebris recentissimum exemplum, Cleopatram commemorat, ad quam

Et famulos inter femina trita suos?
Coniugii obscoeni pretium Romana poposcit
Moenia, et addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo!
Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos.

cum stomacho transit, et ne nominat quidem. Ita sententiarum nexus constituendus est, si ea quae inde ab hoc versu leguntur, cum antecedentibus cohaerere statueris. Sed vid. Argum. – *vexerat*, cum dilectu; alludit ad classem Cleopatrae: sed *vexerat* positum pro attulerat, intulerat, id est inferre, afferre voluerat, *opprobrium*, dedecus, armis nostris, virtuti romanae. Horat. Carm. I, 37, 7, de Cleopatra: *Capitolio Regina dementes ruinas, Funus et imperio parabat.* Minus recte, opinor, Burm. alii per *opprobria* intelligunt Cleopatrae spadones, vel, ut Ruhnken. alii, milites tam turpes et imbelles, ut Romanis pudori esse debeat contra illos pugnasse. – *Et*, emphatice, illa ipsa foemina inter famulos, eunuchos, etiam suos *trita* et subacta. *trita* est verbum stupri. – 31. Florus IV, 2: *Haec mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum romanum imperium petiit*; add. Lucan. X, 355 sqq. Auctor El. in Obit. Maec. 53. Antonius coniugii nomine culpam praetexebat in epistola ad Augustum, cuius particula legitur apud Sueton. vit. Aug. 69: *Quid te mutavit? quod reginam ineo? uxor mea est.* Quia autem matrimonium e gente devicta petere indecorum et foedum antiquis videbatur; vid. Iustin. XII, 10; Cic. post redit. in Sen. c. 7, et quia Cleopatram tanquam foeminam libidinosam descripserat: propterea *coniugium* nominat *obscoenum*, id est abominandum, detestabile; nam obscoenum dicitur quod non sine horrore quodam cogitare possumus. Sic *obscoena omina* apud Cic. pro Domo c. 55; *fames obscoena* Virg. Aen. III 367. – *pretium*, mercedem, praemium, vid. Duker. ad Flor. I, 1. – *poposcit*, ab Antonio. – *addictos*, imperio suo subiectos. – *in sua regna*, vocabulum Romanis invidiosum.

33-38. *Noxia Alexandrea.* Lucan. VIII, 825: *Noxia civili tellus Aegyptia fato.* Et ideo forte *dolis aptissima tellus* dicitur, quia illic perfidia et dolo Ptolemaei interiit Pompeius, coll. vs. 35; et Iul. Caesar ipse eius insidias aegre evasit; vel quia fallax et veteratoria erat gens, ut fraudibus et versutiis vaferrima Aegyptiorum natio tota veteribus describitur; vid. Davis. ad Hirt. de bel. Alexandr. c. 7. Burm. – 34. *Memphis*, urbs Aegypti clarissima, secunda post Alexandriam. Positae sunt h. l. hae duae urbes pro regione ipsa. – *Tres triumphos*, primum triumphavit Sicilia recepta et subacta Africa, deinde in ditionem recepta Hispania, denique mari a piratis purgato, post victum Mithridatem, vid. Plin. H. N. VII, 26; Vellei. Pat. II, 40. – *arena*, pro litore I, 8, 11; Lucan. VIII, 712. – *detraxit*, Pompeius enim victus a Iul. Caesare, in Aegypto, in ipso litore perfidia Ptolemaei interfectus est, quod scelus detraxit Pompeio triumphos, dum

Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Vna Philippeo sanguine inusta nota,
Ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,

fructus eorum omnis periit, et ipse omnem vitae superioris laudem ac gloriam amisit; vid. Dio XLII, 2, 5; App. II, 83 sqq.; Lucan. VIII, 483 sqq.; Manil. IV, 50 sqq.; Martial. III, epigr. 66; V, 70. – 36. Romam ipsam quoque pudere debet fati Pompeii, tanti et tam illustris viri, quae talem perfidiam inultam impunitamque dimiserit. – 37. Melius Pompeio fuisset, si in campis Pharsalicis occubuisset, etiamsi Caesari socero collum praebendum fuisset. – *issent funera*, elatus et crematus esses. Quod h. l. *issent*, id II, 13, 19, *spatiatur pompa*, conf. interpp. ad Terent. Andr. I, 1, 90. -- *Phlegraeo campo*, vid. ad I, 20, 9; hoc loco intelligitur campus Pharsalicus in Thessalia. -- *socero*, Caesari, cuius filia Iulia nupta Pompeio fuerat.

39-40. *Canopus*, oppidum Aegypti, ad Canopicum Nili ostium, libidinibus olim luxuque infame, unde hoc loco indignabundus et acerbe satis Cleopatram poëta vocat *meretricem reginam incesti Canopi*, vid. Strabo XVII, p. 800, 1; Seneca ep. 51; Ammian. Marcell. XXII, 16; Ruperti ad Sil. Ital. XI, 431. Apud poëtas passim pro Aegypto ponitur, ut hoc loco. – *Philippeo sanguine*, pro sanguini, loquendi ratio nostro perquam usitata. -- *una*, unica *inusta nota sanguini*, id est genti Philippi et Alexandri, ipsa Cleopatra h. l. dicitur. *Philippeo*, pro Macedonico, unde descendunt Ptolemaei. Ptolemaeus enim, Lagi filius, creditus fuit patre Philippo Macedonico natus; vid. Curtius IX, 8, 22, ibique Freinshemius. Huius generis epitheta longius petita haud raro occurrunt; vid. eleg. 13, 6. -- *inusta nota*, translatio a servis quibus notae inurebantur.

41–46. *ausa* est *opponere*, in proelia ducere Romanorum et Aegyptiorum deos. Locutio poëtica ex deorum in proeliis Homericis interventu explicanda. -- *Anubis*, Osiridis filius, deus Aegyptiorum caniformis, vid. Boissardus Ant. Rom. P. VI, pag. 78; Iablouski Panth. Aegypt. V, 1; Diod. Sic. I, 18, 87; Apul. Met. XI, p. 262 Elmenh. Ruperti ad Iuvenal. XV, 8. *Sistrum*, quo sacerdotes in sacris Isiacis utebantur, erat *aereum crepitaculum*, *cuius per angustam laminam*, *in modum baltei recurvatam*, *traiectae mediae paucae virgulae*, *crispante brachio tergeminos iactus*, *reddebant argutum sonorem*, quae sunt verba Apuleii Met. XI, p. 258, 33; vid. interpp. ad Tibull. I, 3, 24; et quos laudavit Ruperti ad Iuvenal. XIII, 93. Sistri autem usus frequens quoque in lascivia Aegyptiorum, et ut Virg. Aen. VIII, 696; ita quoque Propertius, illius h.

Baridos et contis rostra Liburna sequi;
Foedaque Tarpeio conopia tendere saxo,
  Iura dare et statuas inter, et arma Marî.
Quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures,
  Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? cape Roma triumphum,

l. imitator, sistrum acerbe satis commemorat, quasi eo classicum cantum fuisset, quod Cleopatra, cum turba foeminarum et spadonum ludis et choreis vacante, in media classe, ante pugnam Actiacam, versata erat; vid. Heyne ad Virg. l. c. — 44. *Baris*, lingua Aegyptia cymbam, navem inprimis Nilo arando idoneam significabat, et maxime illam cymbam, quae apud Aegyptios cadavera in communem sepulturae locum vehebat; v. Suidas h. v. Pignorius ad Mensam Isiac. p. 71; Potter. ad Lycophr. 747; Gronov. ad Herod. lib. II, p. 886; Wesseling. ad Diod. Sic. tom. I, pag. 108. — 54. *contis*, hastis gravioribus, ferreo acumine munitis, quibus naves propellebant; vid. Suet. vit. Tiber. 62; Calig. 32. Propertius autem, qui Cleopatram h. l. mordaciter irridet, ut invidiam faceret aegyptiacae classi, nimis eam extenuavit, quum tamen Florus IV, 11 scribat, Cleopatrae naves ducentas *turribus atque tabulatis allevatas, castellorum et urbium specie, quae non sine gemitu maris, et labore ventorum ferrentur;* add. Prop. IV, 6, 47; non ergo poterant contis propelli. — *rostra Liburna*, naves Augusti, mediocri magnitudine, sed velocitate insignes, ad earum similitudinem factae, quibus olim Liburni, piraticam facientes, usi essent; quarum velocitate inprimis Antonium victum esse tradit Vegetius IV, 33. Sed h. l. ideo potissimum commemorantur, quoniam his ipsis navibus Liburnis Augustus ad Cleopatram (*Baridos contis rostra Liburna sequi*, id est persequi volentem) persequendam usus est. — *Conopium*, κωνώπιον, velamen lineum ad culices arcendos, ex Nili illuvie abundantes, lectis praetendi solitum, mox inter luxus instrumenta habitum, intextis ei filis aureis, aspersisque tenuissimis maculis; vid. Mitscherlich. ad Horat. Epod. IX, 16; Varr. R. R. II, 10, 8; Ruperti ad Iuvenal. VI, 80. Male Cuperus in epist. ad Almelov. inserta Miscell. Lips. Nov. vol. III, pag. 692 seqq. tentorium intelligit. Horatius l. c. et Prop. hoc vocabulo invidiose designant Aegyptiorum vexillum, signum militare, ut adeo h. l. sensus sit, foeda conopia tanquam vexillum in Capitolio statuere, castra ibi collocare. — *statuas inter et arma* intelliguntur statuae et tropaea Marii, quae a Sulla disiecta restituit Caesar, et Capitolio intulit, v. Suet. vit. Caes. 11. — *Tarpeio*, vid. IV, 1, 7.

47—54. Si foemina superba et impudica patienda fuisset, ferendus potius rex Tarquinius Superbus fuisset. — *iuvat*, pro iuvaret. — *fractas secures*, imperium fractum, tyrannidem abolitam. — *notat*, quem designabat, discernebat vita superba et scelerum plena, unde et ipse Superbus dictus, a nomine simili, nempe a Tarquinio Prisco. — *cape triumphum*, celebra

Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.

triumphum, triumpha, ut *orgia capere* Virg. Aen. VII, 403. – *salva*, servata per eum incolumis, longum vitae spatium apprecare. Praeclare inserta gratulatione Romae Augusto facienda, ad Cleopatram poëta recurrit. -- 51. Prop. IV, 6, 63: *Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci.* Eleganter Nilus ipse, Antonio et Cleopatra terrore correptis, et in fugam actis, timuisse dicitur, et *timidus* vocatur. - *vaga*, errantia, perpetuo epitheto, ut omnino *vaga* a poëtis appellantur, quaecunque motu feruntur continuo. - *accepere – manus*, Augustus Cleopatram catenis vinctam in triumphum ducere volebat, (catenati enim hostium duces devicti pompam triumphalem ornabant, mox in carcere necandi) sed vivam avehere et Romam deferre non poterat, vid. Horat. Carm. I, 37, 20 sqq. Plutarch. Ant. p. 952. Itaque haec verba, ut vs. seq., explicanda sunt de Cleopatrae imagine ferculo imposita et in triumphi pompa circumlata. – *Romula*, pro Romulea. – 53. *spectavi*, nempe in effigie circumlata, conf. Dio LI, 14; Plutarch. Ant. p. 955; Vellei. II, 87; Flor. IV, 11. – *sacris colubris*, quia Isidi sacrae erant aspides. – *brachia admorsa*, Cleopatra se ad triumphum servari intelligens, voluntariae mortis consilium cepit, et aspide antea lacessita, brachio admota, morsu illius venenato periit, atque ita *Ausonias fugit Cleopatra catenas* Stat. Silv. III, 2, 119; vid. Orosius VI, 19: Drakenb. ad Sil. II, 417; κεντήματα λεπτὰ in Cleopatrae brachio apparuisse, diserte testatur Dio loco citato; et Morgagnus in Opusc. Miscell. pag. 21 sqq., meminit statuae antiquae, in qua aspis brachio Cleopatrae alligata, et vinculi constrictione ad morsum irritata conspicitur, qualem Cleopatrae imaginem, in Augusti triumpho gestatam, h. l. a Propertio indicari existimat. – 54. Pulcherrima imago rei funestae. *Soporem* vocat venenum illud aspidis somniferum, quo occultis viis per venas meante sic quasi somno soluta est regina. Medicamenta autem soporifera optimi scriptores *soporem* vocare solent. Corn. Nep. vit. Dion. 2; Senec. ep. 83; de benef. V, 13; vid. Broukhus. et Heyne ad Tibull. IV, 4, 9. Flor. IV, 11: *Admotis ad venas serpentibus sic morte, quasi somno soluta est.* – *trahere*, combibere venenum. – *occultum iter*, quia clam serpit venenum.

55--58. Quum tamen tantum civem habeas, nec tibi fuit metuenda Cleopatra, nec metuendus Antonius. – *tanto cive*, Augustum innuit, nihil enim gratius auribus romanis hoc ipso nomine, et Augustus quoque *civilis* videri volebat; vid. Ovid. Trist. IV, 4, 13. *Nec - mero*, intelligitur Antonius. *lingua ducis*, pro duce ipso, sed

Septem urbs alta iugis, toto quae praesidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.
Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
Et modo Pompeia Bospora capta manu?
Hannibalis spolia, et victi monumenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.

satis mordaciter *linguam* commemorat, respiciens minas inanes et vanas Antonii perpetuo ebrii, qui minis et poculis bellum conficere se posse putabat. De Antonii ebrietate vid. Senec. ep. 83; Quintil. Inst. IV, 2; Plin. H. N. XIV, 22; Cic. ad Attic. IV, 3; Horat. Carm. I, 37, 14. — *ebrium imperatorem* eum vocat Florus IV, 9; add. Macrob. Sat. II, 2. — 57. Indignatur, Romam, urbem tantam, tot rebus gestis, foeminam illam timere potuisse. — *Septem - iugis.* Ovid. Trist. I, 4, 69: *Sed quae de septem totum circumspicis orbem Montibus, imperii, Roma, deûmque locus.* — *toto*, ἀρχαϊκῶς pro toti, ut Minuc. Fel. c. 11; Prop. I, 20, 35. — *femineas*, impotentes quidem et superbas, sed infirmas et inanes. — *Marte*, pro bello.

59-60. Passeratium, Broukhus. et Burmannum secutus, hoc distichon, quod in plerisque codd. et vetustis editt. post vs. 68 *Vix timeat* etc. legebatur, hoc loco posui; cf. Obss. Pergit poëta insectari imbellem Romanorum animum, qui foeminam expaverint, avitae virtutis immemores, et victoriarum de hostibus multo magis formidandis reportatarum. Huic vero exprobrationi suae vim et elegantiam addit, exemplis ipsis virorum illustrium virtutisque bellicae laudibus florentissimorum allatis et oppositis. Compara Dion. Cass. XLV, 32, p. 441, edit. Reimar. Cic. Philipp. II, 34. — *Nunc ubi Scipiadae classes?* Oratio valde pathetica; bene Broukhus.: non aliter, inquit, est ac si omnino evanuerint clarissima fortissimorum virorum facinora, et sint nusquam. Caeterum hunc exclamandi usum pluribus exemplis illustravit Heinsius ad Ovid. Heroid. IV, 150. *Scipiadae classes* respicit Scipionem Africanum, qui classe summa celeritate comparata, exercitum maximum e Sicilia in Africam transportavit; vid. Liv. XXVIII, 45; Plin. XVI, 19. — *signa Camilli* III, 9, 31, intelligit signa Romanis clade Alliensi ademta a Gallis, a Camillo autem recepta; vid. Plutarch. vit. Camill.; Virg. Aen. VI, 825; Liv. V, 37 et 49. — *Bospora capta*, Pompeius enim in bello Mithridatico vicit quoque gentes Bosporanas et Maeoticas, ad quas Mithridates victus se contulerat; vid. Plutarch. vit. Pomp. 61. — *Hannibalis spolia*, id est spolia de Hannibale deportata. — *Syphax* rex Numidarum, a Scipione Africano devictus, vid. Liv. XXX, 46. — *Pyrrhus* rex Epirotarum, a Tarentini in auxilium adversus Romanos vocatus, quos aliquoties vicit, ab Hannibale inter maximos duces princeps iudicatus, tandem vero a Curio Consule ad internecionem victus est, unde h. l. dicitur *Pyrrhi gloria fracta*; vid. Aelian. H. V. XII, 23; Iustin. XXV, 3 seqq.

63-66. Voluntariam mortem pro

Curtius expletis statuit monumenta lacunis:
  Admisso Decius proelia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes.
  Est cui cognomen corvus habere dedit.
Haec dii condiderunt, haec dii quoque moenia servant:
  Vix timeat, salvo Caesare, Roma Iovem.
Lecaudius versas acies memorabit Apollo.
  Tantum operis belli sustulit una dies.

patria subiverunt Curtius atque Decius. – *M. Curtius* adolescens nobilis, quum forum medium specu vasto collapsum esset, et haruspices declarassent, illam lacunam non nisi eo expleri posse, quo populus romanus plurimum valeret, armatum se cum equo in illum hiatum immisit, quo facto terra pristinum habitum recuperavit; vid. Liv. VII, 6; Valer. Max. V, 6; Varro de Ling. Lat. IV, p. 36. – *statuit* ergo Curtius *monumenta* sibi, sive, ut Varro ait, *genti suae reliquit monumentum*, nempe *expletus lacunis;* lacuna ipsa expleta dicitur h. l. monumentum. Burmannus per *monumentum* intelligit aram, illo in loco sacratam, laudat Drakenb. ad Liv. VII, 6, 5; Suidas v. Λίβερνος. Ovid. Fast. VI, 403. – *Decius*, Decii, pater et filius, pro salute reipublicae sese devoverunt ac hostium telis obiecerunt, ille Latino, hic Gallico bello; vid. Liv. VIII, 9, 10; X, 28, 29; Cic. de Fin. II, 19; auct. ad Herenn. IV, 44; Seneca ep. 67; *Horatius Cocles* solus ad pontem sublicium Porsennae copiis restitit; vid. Liv. II, 10; Valer. Max. III, 2; Plin. III, 15; XXXIV, 5. – *abscissos pontes*, pro pontem abscissum. – *Coclitis semita*, haud dubie, ut iam Burm. suspicatus est, innuitur semita, qua Horatius Cocles ad pontem sublicium defendendum tendit, quae inde ab eo *Coclitis semita* dicta fuit, quam et Propertii tempore adhuc superfuisse Ruhnken. colligit ex Dion. Halic. V, p. 290, qui narrat Romanos pontem illum sublicium, qualis olim fuerat, ad suam usque aetatem, in aeternam rei memoriam conservasse. Huic *Coclitis semitae*, praeclare addit Burm. forte et vicinum fuit illud agrorum spatium, quod in virtutis pretium Cocliti fuit oblatum, quantum uno die circumarari posset; vid. Dion. Halic., Liv. ll. cc. – 66. Valerius Messala Corvinus, septies Consul, quum a Gallo quodam ad singulare certamen in proelio provocatus esset, corvus super galeam in capite eius sedit, et victo hoste, Corvinus appellatus est. Liv. VII, 26; Valer. Max. VIII, 14; Gell. IX, 11; Plin. VII, 48; Schol. ad Pers. Sat. II, 72.

67-72. *Vix timeat Iovem*, similis hyperbole II, 13, 16; Augustum deum III, 4, 1, ipsi Iovi praefert IV, 6, 14. – *Leucadius Apollo* dictus, quod fanum apud Leucadios in promontorio Epiri habuit, vicit ibi Augustus Antonium et Cleopatram, et Apollo, poëtarum deus, eleganter ac poëtice h. l. dicitur celebraturus esse illam Augusti victoriam. – 70. *tantum operis belli*, pro tantum opus belli; Virg. Aen. VIII, 516. – *grave Martis opus*, intelligitur h. l. apparatus belli, nominatim insignis

At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
  Caesaris in toto sis memor Ionio.

## ELEGIA XII

### AD POSTVMVM DE GALLA

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam?
  Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
  Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari;

multitudo navium Cleopatrae et Antonii, vid. ad vs. 44. Aliis *opus belli*, ut ἔργον πολέμου, est bellum ipsum. *sustulit*, eripuit, delevit. – 71. Admonet nautas, ut per Ionium mare navigantes memores sint Augusti, cuius beneficio, compositis bellis civilibus, secure mare traiiciant. Conf. Sueton. Aug. 98, qui ibi refert, nautas Augusto sinum Puteolanum praetervehenti acclamasse: *per illum se vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui;* add. Prop. IV, 6, 18. – *Ionio*, in eo enim mari Augustus vicerat et fugarat Antonium et Cleopatram.

ELEGIA XII

Posthumum amicum suum, qui avaritia et praedae cupiditate captus (vid. Horat. Carm. II, 14), cum Aelio Gallo in Arabiam militatum abierat (circa illud enim tempus haec suavissima elegia scripta est, vid. not. ad II, 10, 13; et Vit. Prop. Chronol. ad A. V. DCCXXXI) duritiei crimine accusat Propertius, quod Gallam uxorem fidam et castam relinquere potuerit. Nec tamen illa, inquit, par pari referet, securus eas, eris alter Vlysses. Vlyssis vero mentione facta, poëta in errores eius evagatur, et Penelopes Vlyssis uxoris castae fidem Aeliam Gallam victuram ac superaturam esse, Posthumo pro certo pollicetur atque confirmat. Caet. compara eleg. 3, lib. 4, quae sub Arethusae, id est Gallae nomine ad Lycotam, id est ad hunc ipsum Posthumum scripta est.

1-8. *Fortia signa*, Siegesfahnen, castra militibus fortibus et strenuis plena, *fortes rates* II, 34, 62. - *spoliati*, pro spoliandi, vid. II, 13, 49; III, 5, 15; et Argum. ad eleg. 5 huius libri. -- *ne faceres*, pro ne eam linqueres, sic *facere* saepius legitur, ut referendum sit ad ea, quae praecesserunt, vid. Ovid. Am. I, 3, 11; Heroidd. XX, 55; Tibull. I, 9, 21. – *fas*, δυνατὸν, I, 12, 19; ita *nefas*, ἀδύνατον, de eo quod fieri non potest, Horat. Carm. I, 24, 20; ubi vid. Lambin. et ad Carm. IV, 4, 22. -- *pariter*, simul et eodem leti genere.

Et quisquis fido praetulit arma toro.
Tu tamen iniecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
Ferreus aurato neu cataphractus equo.
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla;
Moribus his alia coniuge dignus eras.

— *avari*, praedae cupidi eleg. 5, 3, 13. — *toro*, pro coniuge, ut Ovid. Heroid. VIII, 26; Prop. II, 6, 23. — *lacerna*, breve indumentum, pallium fimbriatum, quod pectus et brachia tegebat, quo milites inprimis utebantur, vid. Ferrar. R. V. IV, 4, P. 2; lib. I, c. 1 et 6 seq.; Ruben. R. V. I, 6; schol. Pers. Sat. I, 54; Salmas. ad Tertull. de Pallio p. 81 seqq. — *Potabis - aquam*, pro simplici, militabis adversus Parthos, ornate dixit *Araxis* (Persiae fluvii, vid. Plin. VI, 9; Curt. V, 5, 7; Cellar. Geogr. tom. II, p. 680). — *galea potabis aquam*, ut Tibull. II, 6, 7: *erit hic quoque miles, Ipse levem galea qui sibi portet aquam.* Significanter autem, militiae labores designans, addit noster: *fessus* potabis.

9-14. Licet nomen gloriamque consequaris, Galla tamen, quia haec tua virtus te quotidianis periculis exponit, fama inani tabescet, curis et aegritudine animi confecta, metuens ne etc. sic *flere* II, 7, 2 seq. *fiat amara tibi*, magno tibi constet, tibi vulnera vel mortem pariat. — 11. *Medae sagittae*, pro Parthicae, ut eleg. 9, 25. — *laetentur caede sagittae*, poëtice, pro te transfigant. Similis locutio apud Virg. Aen. XI, 804, de hasta: *Virgineumque alte bibit acta cruorem.* Idem vero verbum *laetari* repetendum vs. 12, et proprio sensu capiendum. — *cataphractus ferreus*, eques Parthorum ferro munitus, vid. Stewech. ad Veget. III, 22, pag. 259 seq. — *neu* laetetur *aurato equo* tuo, eleganter cataphractus ferreus, ipse ferro munitus et equum similiter munitum habens, opponitur *aurato*, id est aureis bullis, ephippiis et sim. ornato Posthumi equo, eoque capto laetari dicitur; vid. interpp. ad Callim. hymn. Dian. vs. 111 seqq.; Oudendorp. Obss. Miscell. Vol. IX, tom. 1, pag. 93. — 13. In urna referebantur cineres peregre mortuorum; Ovid. Trist. III, 3, 65. Itaque *aliquid de te* significat cineres; vid. ad eleg. 7, 64.

15-18. Propertius Posthumum reprehendens, quod tam egregiam coniugem relinquere, et arma fido toro praeferre potuerit, pro reliquis Gallae virtutibus cunctis castitatem illius commemorat, eamque naturali ac facili idearum nexu in sequentibus cum Penelope fida et casta Vlyssis uxore comparat. — *moribus his*, hac tua indole, quum tu tam duris mo-

Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sit luxuriae Roma magistra suae?
Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocunque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda coniuge Vlyxes;
Non illi longae tot nocuere morae:
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta,
Exustaeque tuae mox, Polypheme, genae.
Et Circae fraudes, lotosque herbaeque tenaces,

ribus sis, alia coniux, neque adeo casta tibi esse debebat. — 17. *Quid faciet*, facere potest Romae puella, nullo munita timore (scilicet custodis, coll. II, 23, 14), quum Roma sit luxuriae magistra. — *puella* non ad Gallam referendum, sed ad foeminam quamvis aliam; et *puella*, ut νύμφη, vid. schol. ad Eurip. Hec. 323, dicitur etiam quae matrimonio iuncta est, vel uterum fert, vel etiam peperit; vid. Horat. Carm. III, 22, 2; add. interpp. ad Plaut. Cistellar. II, 3, 77; *quid faciet*, nonne peccabit, fidem fallet, luxuriaeque se tradet? — *quum — suae*, quum Roma suas puellas luxuriam doceat, eas corrumpat, sit quasi lena.

19—27. Sed Gallam tuam probam castamque nihil corrumpere poterit, *securus eas;* non ulciscetur te, qui fidam coniugem potuisti linquere plorantem. — 24. Cf. II, 9, 6. *illi*, Vlyssi. — *tot morae*, reditus in patriam, quae singulatim et poëtice in sequentibus afferuntur. — *non nocuere*, castitatem servavit Penelope. — *Castra* etc., scilicet non nocuere. — *Ciconum mons*, ut vulgo legitur, est Ismarus in Thracia, Virg. Ecl. VI, 30, ubi quoque *Ismara* urbs Ciconum fuit. Cicones enim populi Thraciae, quos Vlysses post Troiam captam, ventis ad eos appellere coactus, debellavit et oppidum Ismara expugnavit; vid. Homer. Odyss. I, 38 sqq.; Plin. H. N. IV, 11; interpp. ad Tibull. IV, 1, 54; Berkel. ad Stephan. Byz. Ἴσμαρος et Barth. ad Stat. Theb. VI, 108. Sed haud dubie legendum est *Ciconum manus*, ut apud Tibull. l. c. — *Ismara capta*, vulgaris lectio: pro *Ism.*, *Calpe*, qui mons Hispaniae Baeticae erat, ad fretum Gaditanum sive Herculeum, hodie Gibraltaricum, vid. interpp. ad Sil. Ital. I, 141; cuius montis veteres Vlyssis errores describentes nullam mentionem fecerunt; conf. Obss. — *mox*, id est paullo post. Nempe paullo post civitatem Ciconum captam, vino enim Ismario Vlysses Polyphemum consopivit, oculumque eius exussit; vid. ad II, 33, 32.

27—30. *Circae fraudes*, II, 1, 53, ad eam Vlysses quoque delatus fuit in suis erroribus, ea socios ipsius in sues aliasque bestias immutavit, sed Vlysse deprecante, pristinae eosdem formae restituit; vid. Homer. Odyss. K, 133 seqq. Tibull. IV, 1, 61: *Solum* (Vlyssem) *nec doctae verterunt*

Scyllaque, et alternas scissa Charybdis aquas.
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuvencos,
( Paverat hos Phoebo filia Lampetie)
Et thalamum Aeaeae flentis fugisse puellae,
Totque hiemis noctes, totque natasse dies.
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum;
Sirenum surdo remige adisse lacus.

*pocula Circes*, *Quamvis illa foret Solis genus*, *apta vel herbis*, *Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.* -- Per *lotos* et *herbas tenaces*, innuit Vlyssis iter ad Lotophagos, qui sociis eius dulcissimam oblivionis herbam lotum gustandam dederunt, qua inescati, reditus cogitationem deposuerunt, et illic se detineri passi sunt, (unde non sine causa *herbas tenaces* vocat) ita ut Vlysses ad classem eos vi retrahere cogeretur; vid. Homer. Odyss. I, 92 seqq. Burm. ad. Tibull. IV, 1, 55; Virg. Culic. 124; Wesseling. ad Diod. Sic. tom. I, pag. 40. -- *Scyllaque - Charybdis* vide ad II, 26, 53; Homer. Odyss. M, 245; Tibull. IV, 1, 71. -- *scissa aquas alternas*, cuius aquae alternis vicibus scinduntur et dividuntur; Ovid. Heroidd. XII, 123; Met. XIII, 730; Drakenb. ad Sil. II, 307. -- 29. Homer. Odyss. M, 395: *Εἷρπον μὲν ῥινοί, κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει, Ὀπταλέα τε καὶ ὠμά· βοῶν δ' ὡς γίνετο φωνή.* Tibull. IV, 1, 76: *Non violata vagi sileantur pascua Solis.* Tradunt nimirum, boves sacros, quos Soli pascebat filia eius Lampetie, a sociis Vlyssis, fame pressis, eoque absente, *verubus Ithacis*, id est Vlyssis Ithaci, affixos, dum assarentur, mugitus edidisse; vid. Apollon. Rhod. IV, 971 sqq. Hygin. fab. 125.

31-34. *Aeaeae puellae*, Aeaea ab Aea, urbe Colchidis, unde per Aeaeam puellam intelligi posset Circe, quae ita quoque vocatur Ovid. Met. IV, 205; Virg. Aen. III, 386; sed Circes iam in antecedentibus mentio facta est. Itaque rectius h. l. intelligitur Calypso, *Aeaea puella* dicta, vel ab Aeaea insula circa Siciliam, quam Calypso habitasse dicitur, (Homer. Ogygiam illam insulam vocat) vid. Mela II, 7; Hygin. fab. 125, vel ab eadem urbe Colchidis Aea, quoniam Calypso a quibusdam pro sorore Circes et Aeetae Colchici regis habetur, quos Propertius sequi h. l. potuit; vid. Munker. ad Hygin. l. c.; Heyne Exc. I ad Virg. Aen. VII; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 540. Quod rem ipsam attinet, vid. not. ad I, 15, 9. -- *hiemis noctes* nominat ut longissimas et infestissimas. -- *natare*, verbum de naufragis proprium, Prop. IV, 1, 116; vid. Burm. ad Ovid. Heroid. XIX, 186. Vlysses autem saepius naufragium fecit, vid. Homer. Odyss. E, M. Sed *natare* ponitur et pro navigare, ut Tibull. IV, 1, 70: utraque notio h. l. coniungenda, ut apud Iuvenal. X, 257: *cui fas Ithacum lugere natantem*, id est decem annos per maria iactatum et tristi errore vagantem, ac saepe naufragum. -- 33. Conf. Odyss. A, 15 sqq. Tibull. IV, 1, 67; Hygin. fab. 125. *nigrantes*, obscuros, nigros, epith. solemne et perpetuum rerum inferorum. -- *animarum silentum*, Virg. Aen. VI, 264: *umbrae silentes*, coll. 493. -- *Sirenes*, monstra marina,

Et veteres arcus leto renovasse procorum,
  Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra; quia casta domi persederat uxor.
  Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.

## ELEGIA XIII

### DE AVARITIA PVELLARVM

Quaeritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
  Et Venere exhaustae damna querantur opes?

quae inter Italiam et Siciliam non longe a Capreis in Paestano sinu tres petras (νήσους Σειρηνούσας) adversus promontorium Surrentinum incolebant, et cantu suo blandissimo navigantes in naufragium ad scopulos alliciebant; vid. Orpheus Argon. 1268 sqq.; Apollon. Rhod. IV, 892 seqq. Bochart. Hieroz. P. II, lib. 6, c. 8; Apollod. I, 3, 4; Heyne ad Virg. Aen. V, 864; Spanhem. de V. et P. Numis. tom. I, pag. 254, et Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 113. Vlysses cera obturavit aures sociorum, ne Sirenum dulcissimis cantibus pellecti, retinerentur; vid. Homer. Odys. M, 173 sqq. — *surdo remige*, sociis ad remos non audientibus. — *lacus Sirenum*, ita vocat eam maris Siculi partem, quae scopulos Sirenum ambiebat. — *Lacus* enim et de fluviis et de mari dicitur.

35–38. *veteres arcus*, quibus olim usus erat, domum redux renovavit, acriusque tetendit, et procos inter convivii pocula sagittis interfecit. Homer. Odyss. X, 34 sqq. Vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 541. — *modum*, Tibull. IV, 1, 78: *finis errorum*. — 37. *nec frustra*, scil. haec omnia pertulit.

Elegia XIII

Acerbe conqueritur de foeminarum sui temporis avaritia, levitate et luxuria; et quo gravius eas reprehendat et carpat, pluribus praedicat Indarum foeminarum fidem et sanctitatem, atque copiose et suaviter describit aetatis aureae simplicitatem ac pietatem. Illam ipsam autem auri cupidinem, quae tam multis seriori aetate exitio fuerit, ipsi Romae quoque exitio fore, vaticinatur ut vates. Tractationis simplicitate non minus quam naturali orationis venustate hoc carmen insigne.

1–8. Cur *avidae*, opibus inhiantes, avarae puellae noctem magno vendant. — *pretiosa*, id est *muneribus* emenda *beatis* coll. II, 20, 25. — *Et–opes*, elegans prosopopoeia, opes Venere exhaustae conqueruntur damna, pro quaeritis, cur profusi in Venerem et hoc modo opibus emuncti, rei familiaris iacturam querantur. Aeque elegans prosopopoeia apud Horat. Carm.

Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.

III, 1, 30. – *ruinis*, nempe fortunarum. – *luxuriae*, de luxu inprimis intelligendum, non exclusa tamen libidine. De luxuriae licentia, quae tum temporis Romae invaluerat, saepius queritur noster, ut supra el. 12, 18. Iam quatuor luxuriae genera pro reliquis cunctis poeta enumerat, nempe aurum, gemmas, purpuram, unguenta. – *Inda* etc. alludit ad fabulam, quam Plin. memorat H. N. XI, 36: *Indicae formicae – aurum ex cavernis egerunt terrae, in regione septemtrionalium Indorum, qui Dardae vocantur. Ipsis color felium, magnitudo Aegypti luporum. Erutum hoc ab iis tempore hiberno, Indi furantur aestivo fervore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis* etc. Add. Arrian. Rer. Indic. pag. 329, ed. Gronov.; et conf. Wesseling. ad Herod. III, 102, §. 86. – *cavis metallis*, ex *cavernis terrae*, ut Plin. loquitur. – *mittit* eleganter pro e formicae cavernis effoditur, et Romam transportatur. *Mittere*, verbum prop. de mercibus externis, vid. Burm. ad Ovid. A. A. III, 2, 13; Met. II, 366. – 6. *concha*, bacca, quae est in concha, unio. Vid. Burm. ad Ovid. A. A. III, 124. – *concha Erycina*, quae Veneri Erycinae dicata est, quoniam ipsa scilicet concha vecta ad Cythera appulit. Vid. Schottus Obss. III, 21. Venus autem Erycina dicitur, quod in Eryce, Siciliae monte, hodie San Iuliano, templum habebat donis opulentum. Vid. Cic. Verr. II, 8; Aelian. H. V. I, 15; Heyne Exc. II ad Virg. Aen. V; Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 2, 33. Epitheton *Erycina* longius petitum, sed huius generis epitheta poëtis haud insolentia sunt. Vid. Serv. et Burm. ad Virg. Aen. VI, 398. – 7. *Tyros Cadmea*, a Cadmo, Agenoris, Phoenicum regis, filio. Floruit Tyros inprimis purpurae tinctura et mercatura; unde *ostrinos colores*, id est purpureos memorat. Vid. I, 14, 20; Tibull. IV, 2, 15. – 8. *Et Arabs pastor*, qui Nomadum vivendi rationem sequitur, *cinnamon multi odoris* scil. praebet; hinc Seneca Oedip. 117 *beatos cinnami silvis Arabes* dixit.

9–12. Compara Tibull. II, 4, 33, ibique Heynii Obss. Possunt, inquit poëta, haec arma, haec munera, etiam maxime pudicas foeminas vincere; sed ut hanc sententiam illuminaret, docte et eleganter nominavit Penelopen, quae et aliis in locis tanquam summae castitatis exemplum proponitur. Nam *Icariotis* est Penelope, ab Icario patre ita dicta, vid. Apollod. III, 10, 6. – *Quaeque* referendum ad arma, et *quaeque* e graecismo positum pro *haecque*, ut I, 19, 15; *quarum* pro *harum*. Verbum *terere*

Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi:
Aut, si qua est, pretio tollitur ista mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos aurora suis rubra colorat equis.
Namque, ubi mortifero iacta est fax ultima lecto,

notat deterere, minuere, mitigare, *fastus*, ferociam, severitatem tuam. Alii minus recte explicant: expugnant pudicas et eas, quae *terunt*, obterunt, vincunt, superant castitate Penelopen, quae castitatem Penelopes despicatui habent prae sua, et pedibus quasi conculcant. – 11. *incedit*, ornate, pro est; verbo *incedere* notio fastus inest, vid. Broukhus. ad Tibull. II, 3, 52. – *census*, divitias, opes, quia bona civium romanorum in censum deferebantur. Sensus: puella amata matronali incessu procedit, ornata toto patrimonio filiorum nepotumque, quod homines luxu perditi in eam contulere. Conf. Ovid. A. A. III, 172. Alii per *nepotes* generatim homines dissolutos (vid. IV, 8, 23) intelligunt. Male. Seneca de vita beata cap. 17: *quare uxor tua locupletis domus censum in auribus gerit.* — *spolia opprobrii*, pro spolia probrosa, exuvias amatorum turpiter partas, opes eorum. – *per ora*, pro ante, praeter, iuxta ora, ut ap. Liv. V, 46: *transeundum per hostium custodias erat.* Gr. παρὰ, vid. Abresch. Annott. ad loca N. T. pag. 553 ad calcem animadvv. ad Aeschyl. tom. I, et dilucc. Thucydd. pag. 60; Xen. Cyr. I, 6, 19: παρὰ πόλιν–ἄγειν, *praeter urbem – ducere agmen.* — *trahit*, cum dilectu; ob syrma et vestem longam; est vero etiam verbum triumphale. Iustin. XVI, extr.: *captivos in triumphi modum per ora civium trahit.* Add. Sallust. Iug. XXXI, 10: *sed incedunt per ora vestra magnifice – pars triumphos suos ostentantes.* Vbi vid. Cortius. Add. Ovid. Trist. IV, 2, 48.

13–18. Passeratius, quae vs. 13 leguntur, explicat de rapacitate impudicarum, munera et pretia flagitantium, ac de profusione amantium, et illas *poscendi*, hos vero *dandi* modum excedere. Verum enimvero huic interpretationi ea, quae vs. 14 leguntur, favere non videntur. Rectius Broukhus. notavit *poscere* et *dare* esse verba amoris. - *poscere*, ad stuprum compellare. – *reverentia*, pudor et modus. - *pretio tollitur mora*, viso pretio statim est parata puella, amatori copiam sui praebet. – 15. Quo gravius et acerbius petulantiam libidinemque romanarum foeminarum carpat poëta, commemorat Indarum foeminarum fidem et sanctitatem, cum defuncto marito sese cremantium. – *felix una*, id est unice felix, praeclarissima lex. — *quos – equis*, Indos, quos nimius ardor solis *colorat*, fuscat. Tibull. II, 3, 55: *quos India torret, Solis et admotis inficit ignis equis.* Vid. et notata ad II, 18, 10. – *fax ultima*, taeda rogalis, quae nuptiali opponitur; et omnino quidquid ad mortem pertinet, ultimum atque extremum vocatur. Vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 466. —

Vxorum positis stat pia turba comis;
Et certamen habent leti, quae viva sequatur
Coniugium: pudor est, non licuisse mori.
Ardent victrices, et flammae pectora praebent,
Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata iuventus,
Divitiae quorum messis, et arbor erant.

*positis comis*, in luctu tonderi, solemne orientis populis. Vid. interpp. ad Curt. X, 5, 17; Scheffer. et Perizon. ad Aelian. H. V. VII, 7. – *pia*, fida et sancta *turba uxorum* quia plures uni solent esse nuptae. Val. Max. II, 1.

19–22. *Et certamen h. l.*, de morte obeunda certant. Sic *certamen adulandi* apud Senec. de Benef. VI, 30; *certamen amoris* Ovid. Pont. II, 2, 89. De hac Indarum mulierum pietate audiendus Cic. Tusc. V, 27: *Mulieres vero in India, quum est cuiusvis earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit. Plures enim singulis solent esse nuptae. Quae est victrix, ea laeta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur: illa victa, moesta discedit.* Valer. Max. II, 6: *Respiciantur Indorum foeminae, quae quum more patrio complures eidem nuptae esse soleant, mortuo marito, in certamen iudiciumque veniunt, quam ex iis maxime dilexerit: victrix gaudio exsultans, deductaque a necessariis, laetum praeferens vultum, coniugis se flammis superiacit, et cum eo tanquam felicissima crematur: superatae cum tristitia et moerore in vita remanent.* Add. Serv. ad Virg. Aen. V, 95; Davis. ad Cic. l. c. interpp. ad Aelian. et Val. Max. l. c. – *Coniugium*, pro coniuge, ut apud Virg. Aen. II, 579; Iuvenal. VIII, 218. – 21 sqq. Gradatio his versibus inest, et brevior versus flagrantissimum amorem depingit. – *Ardent*, nec flammae sese subtrahunt, sed *flammae pectora praebent*, ultro ei pectora praebent, et defunctos maritos exosculantur, *ora* iam *perusta imponunt*, admovent virorum oribus.

23–32. *Hic*, Romae. – *nulla puella*, tam fida est ac pia, quam *Evadne* (vid. I, 15, 20) et *Penelope* fuerunt. – 25. Pulcherrimus locus. Laudat simplicitatem aetatis priscae, qua pagani rusticanis munusculis ac floribus amicas nulla luxuria corruptas sibi conciliabant. – *pacata iuventus*, in pace, otio et tranquillitate vivens. *Pacatus* ponitur non tantum de rebus et personis antea commotis ac turbatis, paci et tranquillitati redditis, sed et eo sensu adhibetur, ut sit omnino, tranquillus. Catull. LXVIII, 103 sqq.: *Ne Paris abducta gavisus libera moecha Otia pacato degeret in thalamo.* Add. Cic. pro Ligar. cap. 2; Phil. V, 9. – *quorum*, referri debet ad *iuventus*, cuiusmodi generis et numeri permutatio poëtis frequens, ut Claudian. Praef. ad lib. I in Rufin. 17, praecedente *caterva* sequitur

Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis:
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
Lilia, vimineos lucida per calathos:
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
Oscula silvicolis emta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro.

*qui.* Add. Sil. Ital. XV, 503; XVI, 462. Vid. Burm. ad Ovid. Met. I, 162; et Claudian. loco citato 27. — *Illis pompa fuit*, intelliguntur munera ex agris vel arboribus ad amorum illecebras conciliandas ab amatoribus puellis rusticis missa. Compara Ovid. Met. X, 260 sq. Eleganter autem usus est noster voc. *pompa*, non munus vel sim. voc. quia munera illa palam et cum ostentatione portabantur, respiciens simul ea, quae vs. 11 seq. leguntur. Talem *pompam* missionem (gr. πομπὴ Eurip. Herc. Fur. 580, Phoenn. 1060) *munerum* commemorat quoque Tibull. III, 1, 3 sq. – *Cydonia*, scil. mala, nobilissima, ita dicta ab urbe Cretae insulae, Cydone vel Cydonia, unde primum in Italiam fuerunt advecta. Vid. Ovid. Art. III, 705; Colum. V, 10, 9; Cellar. Geogr. Ant. tom. I, pag. 1268. Caet. compara Prop. II, 34, 69 sqq. – *puniceis rubis*, rubus, gr. βάτος, nostris Brombeerstaude; intelliguntur autem h. l. mora, rubi fructus, decerpta, vid. Burm. ad Ovid. Met. I, 105. Add. IV, 127: *puniceo tinguit pendentia mora colore.* Sic et Lucret. V, 939, et 963, *arbuta* pro ipso fructu posuit. – 29. *tondere*, decerpere. – *mixta* violis lilia. - *referre*, pro simpl. ferre. Vid. ad I, 17, 11. – *lucida*, pellucentia, ob viminea intervalla. His autem calathis vimineis flores frugesque ferebantur a rusticis, vid. Virg. Ecl. II, 45; Martial. III, 58. — 31. *suis vestitas frondibus*, tectas adhuc pampinis. Vvae autem quoque in amatoriis muneribus, Ovid. Met. XIII, 813. — *variam avem*, maculis variis distinctam, cui diversorum colorum plumae inductae sunt, vid. de hoc usu voc. *varius* Bentlei. ad Horat. A. P. 2; Cannegiet. ad Avien. f. 15, pag. 106: sic *variae columbae* Ovidius Heroidd. XV, 37: *picta perdix* Martial. III, 58. Intelligunt autem h. l. columbam, vel perdicem, vel picam, quae in eiusmodi munusculis amatoriis rusticis, vid. Ovid. Met. XIII, 831; A. A. II, 269; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 445; Muncker. ad Hygin. fab. 233.

33–40. *blanditiis*, docte pro muneribus. – *furtiva per antra*, furtis et amoribus convenientia. Compara Tibull. II, 3, 69 sqq. – *Hinnulei*, sive hinnuli, sunt damarum, cervorum et caprearum foetus. Pellibus autem prisci homines vestiebantur, iisque lectum sternebant, vid. Iuvenal. VI, 6. – *totos operibat*, utrosque plane tegebat, quum iacebant una. – *nativ*

Pinus et incumbens latas circumdabat umbras,
  Nec fuerat nudas poena videre deas.
Corniger Idaei vacuam pastoris in aulam
  Dux aries saturas ipse reduxit oves.
Dîque deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
  Praebebant vestris verba secunda focis.
Et leporem, quicunque venis, venaberis, hospes,

*toro*, pro naturali, nulla arte composito, ut apud Senec. Hippol. 538; Ovid. Met. III, 160; Prop. I, 2, 13. Vid. Drakenb. ad Liv. II, 5, 4. — 37. *latas circumdabat umbras*, circumcirca praebebat, ob patulos et longe diffusos ramos. Theocrit. Idyl. V, 48: *καὶ ἁ σκιὰ οὐδὲν ὁμοία Τᾷ παρὰ τίν· βάλλει δὲ καὶ ἁ πίτυς ὑψόθε κώνους.* – *Nec fuerat*, erat, *poena* aurea illa aetate ob morum simplicitatem et probitatem, impune; sine ultionis metu licebat deas nudas videre. Catull. LXIV, 17 sqq., 385 sq.; Prop. eleg. seqq., vs. 19. Respexit poëta ad poenam, quam luit Actaeon, vid. Ovid. Met. III, 138 sqq.; Hygin. fab. 180; Tiresias, Prop. IV, 9, 67. — *poena*, pro ultione, vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. – 39. *Corniger aries Idaei pastoris*, Idaeus pastor est Paris, in Ida monte inter pastores educatus. Horat. Carm. I, 15, 1. — *vacuam*, epith. ornans. - *in aulam*, id est in stabulum, more Graecorum, vid. Theocrit. Id. XI, 12; XXV, 99; XXVII, 36. – *ipse*, quia aries dux gregis, ut ap. Virg. Ecl. VII, 7: *Vir gregis ipse caper deerraverat.* Sed *dux gregis* perpetuum arietis, vel hirci, vel tauri epitheton, vid. Heyne ad Tibull. I, 10, 10.

41–46. Virg. Georg. I, 21: *Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri.* – 42. *praebebant verba*, ut *dare verba* apud Virg. Aen. VIII, 541; X, 600, pro affari, loqui. – *vestris focis*, agrestes alloquitur; in vestris aris et fanis dii vos praesentes alloquebantur vobis faventes; quod omnino poëtice dictum est pro vobis favebant, vestra vota ac preces felici eventu ornabant. Aetate enim aurea deos ipsos apparuisse et sacris interfuisse statuebant. Vid. Catull. LXIV, 385 seqq.; Virg. Ecl. IV, 15, ubi vid. Cerda. – 43. vid. Obss. Exemplo illustrat quae vs. 42 dicta leguntur. Pana, coll. vs. 45, rusticanos illius aetatis homines alloquentem inducit. Comparavit cum his versibus Salmasius ad Solin. tom. II, pag. 1088 ed. Paris. duo epigrammata graeca, alterum Leonidae Tarentini: Εὐάγρει, λαγόθηρα, καὶ εἰ πετεεινὰ διώκειν Ἰξευτὴς ἥκεις τοῦθ' ὑπὸ δισσὸν ὄρος. Κἀμὲ τὸν ὑλήωρον ἀπὸ κρημνοῖο Βόασον Πᾶνα, συναγρεύσω καὶ κυσὶ, καὶ καλάμοις, id est, Grotio interprete, *Sis felix, seu tu leporem, sive aëre praedam Quaeris, ad haec montis qui iuga bina venis. Et me Pana tibi summa de rupe vocato: Et calamis opifer sum bonus et canibus.* Alterum Satyri poëtae: Εἴτε σύγ' ὀρνεόφοιτον ὑπὲρ καλαμῖδα παλύνας Ἰξῷ ὀρειβατέεις, εἴτε λαγοκτενέεις, Πανα κάλει· κυνὶ Πὰν λασίου ποδὸς ἴχνια φαίνει, Σύνθεσιν ἀκλινέων Πὰν ἀνάγει καλάμων. Grotius vertit: *Seu leporem captas, seu per iuga devia montis Viscato calamo fallere quaeris avem, Pana voca: Pan*

Et si fortè meo tramite quaeris avem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petas calamo praemia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura:
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei.

*hirta cani vestigia monstrat, Pan facit, ut tacita crescat arundo manu.* Add. Erycii epigr. Anthol. Gr. lib. IV, tit. 12, epigr. 84, pag. 476, ed. Obsop. – *venis*, huc accedis. – *meo tramite*, via, silva, cui praesideo. – *de rupe*, ibi enim Pan versatur ut plurimum, vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Dian. 87 seqq. – *calamo*, aucupatorio II, 19, 24; IV, 2, 33 sqq.; Gronov. Obss. III, 17, pag. 439. – *petas praemia*, ut Tibull. I, 1, 34. Vid. Heyne ad Tib. I, 2, 26. — *praemia*, insidiarum structarum mercedem, praedam. Ovid. Rem. Am. 208: *Lenius est studium, studium tamen, alite capta, Aut lino aut calamis praemia parva sequi.*

47–50. *Cessant sacraria*, vacua iacent, II, 9, 35 sqq. – *sacraria*, interiores silvarum recessus, diis agrestibus, ut Pani, Fauno, Dianae sacri, ut apud Calpurn. Ecl. I, 15. – *desertis lucis*, postquam non amplius agrestes silvas colunt, nec antra pro domiciliis habent: postquam non amplius sunt silvicolae vers. 34, vel: vacua iacent sacraria, id est sacella in lucis desertis. – 48. Aristoph. Plut. 146: Απαντα τῷ πλουτεῖν γὰρ ἔσθ' ὑπήκοα. Anacr. Od. XLVI, 7, 8: Σοφίη, τρόπος πατεῖται, Μόνον ἄργυρον βλέπουσιν. — *victa pietate*, graviter dictum pro spreta, neglecta. Ovid. Met. I, 149, *victa iacet pietas*. XV, 173: *ne pietas sit victa cupidine ventris*. Catull. LXIV, 387: *nondum spreta pietate*. – 50. *sine lege pudor*, lege sublata ipse pudor lege solvitur, id est omnis respectus ad aequum et bonum, qui nonnunquam instar legis est.

51–54. Affert iam exempla pietatis victae, pudoris sublati, et fidei pulsae, atque ita accuratius demonstrat, quantopere a simplicitate et probitate aetatis aureae abhorruerint sequentia tempora. – *Brennum*, vid. not. ad II, 31, 13. – *torrida limina*, Brennum in ipso Apollinis templo impietatis poenas luisse refert Valer. Max. I, 1. Propertius igitur h. l. significare mihi videtur, ipsum templi limen, vel templum ipsum fulmine percussum fuisse (hoc quidem veteres hanc historiam describentes non memorant, sed Prop. et h. l. ut saepius auctores alios, qui non ad nostram aetatem pervenerunt, secutus est) atque hoc modo Brennum in templo interiisse. Ornate ergo et poëtice templum fulmine tactum et flammis undique cinctum neque tamen combustum, *torrida limina* dixisset poëta. Pausanias saltem X, 23, expeditionem illam Brenni describens, praeter terrae mo-

At mons laurigero concussus vertice diras
  Gallica Parnasus sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
  Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyle, lacertos,
  Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex:
  Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides; neque enim Ilia quondam
  Verax Pergameis Maenas habenda malis.

tum, nivem, grandinem et frigus, diserte quoque βροντὰς καὶ κεραυνοὺς commemorat. – *intonsi*, perpetuam Apollinis iuventutem designat, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 21, 2. – *regna* eleganter dicitur ipsum templum Apollinis Pythii seu Delphici (urbs enim Python, postea Delphi dicta) in monte Parnaso. Vocabulum enim *regnum* latius haud raro de possessione quavis usurpatur, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 2, 9; III, 16, 30. – 58 sqq. Iustinus XXIV, 7, 8: *praesentiam dei et ipsi statim sensere; nam et terrae motu portio montis abrupta Gallorum stravit exercitum. Insecuta deinde tempestas est, quae grandine et frigore saucios ex vulneribus absumsit.* – *laurigero.* Plin. H. N. XV, extr.: *laurus spectatissima in monte Parnaso;* unde ap. Virg., *Parnasia laurus* Georg. II, 18. – *diras*, horrendas nives. Horat. Carm. I, 2, 1, *dirae grandinis* dixit.

55–60. *Polydorus*, Priami filius, quem sub initium belli Troiani ad Polymestorem, Thraciae regem, educandum miserat pater. Virg. Aen. III, 49 sqq.: *Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno Infelix Priamus furtim mandarat alendum Threïcio regi – Ille, ut opes fractae Teucrum et Fortuna recessit – Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, et auro Vi potitur.* Vid. ibi Heyne Excurs. III. – *scelus Thracis Polymestoris*, pro Thrax Polymestor scelestus, ut *scelus viri* Plaut. Truc. II, 7, 60. *scelus pueri es* Id. Pers. II, 2, 10. – *hospitio non pio*, impio, nefando. – 57. *Eriphyla*, *Amphiaraus*, vid. notata ad II, 16, 29. – *dilapsis equis*, qui hausti terrae hiatu evanuerunt. – *nusquam est*, evanuit, interiit, Gr. οὐκέτι οὐδαμοῦ ἐστί. Vid. nos ad Cydonium de contemnenda morte 16, 2, pag. 101. – *proloqui*, praedicere, vaticinari, προφητεύειν. – *sim vanus aruspex.* Heliod. II, pag. 85, ed. Bourdel.: πλὴν ἀλλ' ἔσω γε ἀληθὴς μᾶλλον ἢ τὸ ἕτερον - ἐγὼ δὲ ψευδόμαντις ἀποφανθείην. Add. Stat. Theb. IX, 629. – *frangitur*, ad interitum vergit, perit. — *suis bonis*, opibus nimiis, nimio luxu. Liv. Praefat.: *Iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt.* Horat. Epod. XVI, 2: *Suis et ipsa Roma viribus ruit.*

61–66. *Neque–malis.* Sensus: neque Cassandrae creditum est olim, quum tot mala patriae vaticinaretur. – *Ilia*, pro Iliensis vel Iliaca, ut Horat. Carm. Sec. 37. – *Maenas*, intelligitur Cassandra, dicitur *furens* Virg.

Sola Parin Phrygiae fatum componere, sola
  Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti.
  Experta est veros irrita lingua deos.

Aen. II, 345; sed *vates Cassandra* dicitur Aen. III, 187; V, 536, et h. l. ut Senec. Agam. 715, *Maenas*, est fatidica. Quum enim Bacchus excelsioris enthusiasmi auctor perhibeatur, hinc de iis, quorum animus sublimium phantasmatum vi ac copia conturbatus est, ita, ut excelsiore spiritu incensus, furentis instar extra se rapiatur, adeoque de vatibus et poëtis (vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. III, 4, 5; 25, 1) usurpantur verba ἐκβακχεύειν. Plato in Phaedr. pag. 245, μαίνεσθαι, vid. Hemsterhus. ad Lucian. tom. II, pag. 346. – *insania*, Horat. Carm. III, 4, 5, et h. l. *Maenas*. Nonius in *Bacchari*: *Quidquid vehementius commovetur, bacchari voluerunt.* Vid. Cuperus Obss. III, 12, et Perizon. ad Ael. H. V. III, 9. — *Pergameis malis*, intelligitur expugnatio et destructio urbis et regni Troianorum. — *verax habenda*, id est haberi debebat, fatale ei erat semper vaticinari, nunquam credi. Apollo enim aegre ferens Cassandrae repulsam, effecit, ut, etsi vera praediceret Cassandra, nemo tamen ei fidem haberet. Vid. Apollod. III, 11, 5; Hygin. fab. 93, 108; Servius ad Virg. Aen. II, 246; intpp. ad Lycophr. Cassandr. Minus recte alii *habenda* capiunt pro habita, ut apud Cic. Offic. I, 1, *habendis praeceptis*, pro habitis. – 63. *Sola*, vid. Virg. Aen. III, 183. – *fatum componere*, docte pro perniciem et exitium afferre. — *serpere*, eleganter pro ire, ut ἕρπειν saepius eodem sensu legitur, vid. Cuper. Obss. I, 2 extr.; Valcken. ad Theocrit. pag. 399; C. Ernesti ad Callim. hymn. in Pallad. 3. – *fuit*, pro fuisset, si nempe Troiani credidissent. – *parenti*, Priamo. – *irrita lingua*, Cassandrae non credita. — *experta est veros deos*, verum (id est veridicum, ut apud Terent. Andr. II, 5, 12. V. Salmas. ad Plaut. Mil. Glor. IV, 8, 57) deum (Apollinem) habuit, vaticinata est vera, et eventu comprobata.

## ELEGIA XIV

### AD SPARTEN DE LVDIS LACONICIS

Multa tuae, Sparte, miramur iura palaestrae,
  Sed mage virginei tot bona gymnasii:
Quod non infames exercet corpore ludos
  Inter luctantes nuda puella viros:
Quum pila veloci fallit per brachia iactu,
  Increpat et versi clavis adunca trochi.

Elegia XIV

Criminaturus asperitatem et superbiam romanarum puellarum, quae nonnisi insigni comitum custodumque caterva stipatae in publicum prodibant, praedicat Lacaenarum puellarum simplicitatem et morem, gymnasticen sine ulla infamiae nota cum viris publice exercentium, idque Romae pariter non licere lascive conqueritur. Videtur haec elegia scripta esse in Peloponneso, quum iter Athenas faceret, adeoque post vicesimam primam collocanda, quam, ut iam Broukhusius suspicatus est, Brundisii scriptam fuisse probabile est. Conf. I, 17 Argum.

1–4. *Sparte*, ut apud Ovid. Met. XV, 426; Heroidd. I, 67 etc., ipsam civitatem Spartanam eleganter alloquitur. — *iura palaestrae*, mores, consuetudines, instituta, rationes praescriptas, ad quas certamina instituuntur. Lucan. IV, 614: *Olympiacae servato more palaestrae.* — *bona*, commoda, amantibus inprimis, coll. v. 21, 34: *gymnasium, palaestra, stadium* coniunctim quoque commemorantur apud Catull. LXIII, 60. – 3. *exercet ludos*, ut Virg. Aen. III, 281, dixit: Exercent *patrias oleo labente palaestras Nudati socii.* Apud *Lacaenas virgines palaestra*, *Eurotas*, *Sol*, *pulvis*, *labos et militia in studio erat*, ut vetus poëta dixit apud Cic. Tusc. II, 14. Ludi illi, qui non dedecori erant puellis gymnicis, dicuntur *non infames*, quia eos non libidinis causa, sed corporis et virium confirmandarum causa exercebant, et nudatio illa non turpis erat, quum verecundia adesset, petulantia abesset, et subligaculis περὶ τὰ αἰδοῖα tectae essent, ut athletae tali cingulo apud Graecos utebantur, vid. Schol. et interpp. ad Thucyd. I, 6; Fabrum Agonist. II, 2, 3; Schrader. ad Musaeum c. 10, pag. 199. – *Nudas* autem Spartanas puellas cum viris luctatas fuisse, vel Plutarchi classicus locus docet in vit. Lycurg. pag. 47 F.; Ovid. Heroidd. XVI, 149 sqq. de Helena Paris: *More tuae gentis nitida dum nuda palaestra Ludis, et es nudis femina mixta viris.* Add. Eurip. Andromach. 595, ubi vid. Barnes. et Cragius de Republ. Laced. lib. III, tab. 9, §. 4.

5–8. Iam varia exercitationum gymnicarum genera afferuntur. – *fallit p. v. i. per brachia*, tam velociter pila iacta inter manus effugit, ut oculis

Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
  Et patitur duro vulnera pancratio.
Nunc ligat ad caestum gaudentia brachia loris,
  Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

vix sequi possis. – *fallit*, vix conspicitur, λανθάνει. Sic fere Virg. Aen. IX, 572: *Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta*, ubi *fallens* est, quae occulto ferit, ut Val. Fl. III, 182: *fallere nervo ausus*. De pila vid. Mercurialis Art. Gymn. II, 5. – *trochus*, circulus grandis aeneus, rotae similis, in quo annuli ferrei dispositi erant, qui, trocho circumrotato, sonitum edebant, vid. Horat. A. P. 380; Ovid. Trist. III, 12, 20; Martial. XI, 22; Mercurialis III, 13, 2; et Schefferus de re vehic. I, 6, pag. 58, ubi trochi imaginem e Mercuriali apposuit. Male confundunt plerumque trochum cum *turbine*, βέμβικι, ligno illo conico, quod scutica impellebatur, vid. Virg. Aen. VII, 378; Tibull. I, 5, 3. — *Increpat*, sonitum edit, λίγγει Homer. Il. Δ, 125. Add. Prop. IV, 3, 66: saepius autem *increpare* construitur cum casu quarto, ut Prop. I, 17, 6 al. nam *adunca* est casus quartus, et per *adunca trochi* intelliguntur annuli illi ferrei per trochum dispositi. — *clavis*, est ansa, qua apprehensus trochus tenebatur et circumvolvebatur. – 7. Cursum significat; *stat* pulvere conspersa *ad extremas metas*, cursu confecto, foemina. – *pancratium*, παγκράτιον, certamen erat e pugillatu et lucta compositum, in quo non tantum pugnorum, sed et aliorum membrorum vires experiebantur, calcibus, genibus, dentibus etiam certabant. Vid. Cerda ad Virg. Aen. V, 379; Scaliger. Poët. I, 22, pag. 84; interpp. ad Gell. XIII, 26; et ad Senec. de Benef. V, 3. Sed Seneca l. c. scribit: *Lacedaemonii vetant suos pancratio, aut caestu decernere.* Itaque aut cum Broukhusio dicendum, Propertium pro libertate poëtica h. l. plusculum sibi indulsisse; aut statuendum, Senecae verba non indicare, Spartanis nunquam pancratii usum concessum fuisse, sed hoc sibi velle, hunc ludum, utpote crudeliorem, postea apud eos vetitum.

9–12. *Gaudentia brachia*, poëtice pro ipsa gaudens, ut apud Val. Fl. I, 109: *humeris gaudentibus arcus Gestat Hylas.* Vid. Struchtmeyer Animadvv. Crit. II, 2, pag. 101. – *loris ligat ad caestum*, nam caestus facti erant e corio bubulo, insuto plumbo ferroque, et loris circa brachia religabantur. Conf. Virg. Aen. V, 374, 405 seqq., 425. Formam eius, ut et disci, vid. apud Mercurial. de art. Gymn. lib. II, cap. 12, pag. 155, 167. Add. Gudii Inscriptt. Ant. pag. 109, Inscr. 8. – *disci pondus*, pro discum ponderosum. Martial. XIV, 164: *Splendida quum volitent Spartani pondera disci.* Discus erat magni ponderis orbis, ex aere, ferro, aut lapide, et vel sursum manu emittebatur, vel ad limitem constitutum proiiciebatur. Vid. Stat. Theb. VI, 646; Achill. II, 439. Fuit autem discobolia inter antiquissima exercitationis genera, vid. Homer. Il. Ψ, 826 seqq.; Odyss. Θ, 186, δισκοβόλοι etiam in monumentis antiquis expressi, vid. Quinctil. Inst. II, 13; Lippert. Dact. Mill. II, P. 2, 466. – *in orbe rotat*, torquet, librat, agitat, ut maiore vi et celeritate volet. Virg. Aen. X, 773, ubi: *telum quod*

Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit aere caput.
Et modo Taygeti, crines adspersa pruina,
Sectatur patrios per iuga longa canes.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis,
Thermodonteis turma vagatur agris.
Qualis et Eurotae Pollux et Castor arenis,

*missile libro*, et 421: *ferro quod missile libro.* Sed *missile* dicitur omne id quod procul mittitur, et eo sensu h. l. disci pondus *missile* vocatur. — 11. *Gyrus*, proprie in equitatione, Virg. Aen. X, 884: *volatque Ingenti gyro.* Sed *gyrum pulsat equis* paullo insolentius dictum, pro pulsando cogit in gyrum, vel *in gyrum compellit*, ut loquitur Cic. de Orat. III, 19. — *revincit*, id est *laterique accommodat ensem* Virg. Aen. II, 393. – *cavo aere*, galea aerea, ut apud Ovid. Met. VIII, 32; Prop. II, 18, 25.

13–16. *Et modo Taygeti* etc. Male hoc distichon in plerisque codd. et editt. ante Scaligerum sequenti postponitur. Vid. Obss. Spartanas virgines per iuga Taygeti venantes cum Amazonibus ad fluvium Thermodonta venantibus comparat. – *Taygetus*, mons Laconices, Spartae et Amyclis imminens, vid. Virg. Georg. II, 488; III, 44; Pausan. Lacon. cap. 20; Cellar. Geogr. Ant. II, 13, tom. 1, pag. 1208. – *adspersa pruina*, studio venationis nocturnae. – *sectatur canes*, id est praecurrentes sequitur. Solent enim venatores canes suos praemittere, ut feras latitantes investigent, quas deinde ipsi interficiant. Sophocl. Ai. 5: δέδορκά σε Πάλαι κυνηγετοῦντα, καὶ μετρούμενον 6. Ἴχνη τὰ κείνου νεοχάραχθ᾽ – εὖ δέ σ᾽ ἐκφέρει 8. Κυνὸς Λακαίνης ὥ τις εὔρινος βάσις. *Genus est audax avidumque ferae* de canibus Spartanis Senec. Hippol. 35. Conf. Varro II, 9, 6; Meursius Misc. Lacon. III, 1; Callim. hymn. in Dian. 94, ibique Schol. – 15. *Amazonidum*, vid. III, 11, 13; IV, 3, 43; Iustin. II, 4; Heyne ad Virg. Aen. XI, 659. – *Thermodon*, Θερμώδων, fluvius Ponti in mare Euxinum prolabens, iuxta quem Amazones habitabant. Curt. VI, 5, 24; Interpp. ad Virgil. Aen. XI, 659; Claud. R. P. II, 66; Ovid. Met. II, 249; Val. Fl. IV, 601; Senec. Herc. fur. 246; Cellar. Geogr. ant. III, 8, tom. II, pag. 323; Callim. fragm. p. 397, n. LVI, ed. Ern., unde *Amazonius Thermodon* dicitur Sil. Ital. VIII, 430. – *nudatis mammis*, pectore nudo, apposite, comparat enim Amazonas cum puellis Spartanis, quas antea vs. 4 dixerat *nudas*. Verbum *vagari* venatoribus proprium. Ovid. Met. X, 535: *Per iuga, per silvas, dumosaque saxa vagatur, Nuda genas, vestem ritu succincta Dianae.*

17–20. Quum ad *Eurotam* fluvium Spartam alluentem (Virgil. Aen. I, 502; Cellar. Geogr. Ant. II, 13, tom. 1, pag. 1195) exercitia palaestrae Laconicae instituerentur, vid. Barth. ad Stat. Theb. VIII, 432: praeclare cum puellis Spartanis ea ibi instituentibus comparat poëta Helenam, Pollucem et Castora, qui ibi quoque quondam gymnicos ludos exercuerant. – *arenis*, in arenis, in litore, ripa ut saepius

Hic victor pugnis, ille futurus equis.
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triviis ad latus esse suae.
Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae,
Nec gravis austeri poena cavenda viri.
Nullo praemisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis: longae nulla repulsa morae.
Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt,

apud nostrum arena occurrit. Vid. I, 8, 11. – *Hic*, Pollux, πὺξ ἀγαθὸς, *ille*, Castor, ἱππόδαμος Homer. Il. Γ, 237; Horat. Sat. II, 1, 26: *Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem Pugnis.* Recurrit oratio, vid. ad II, 1, 38; Ovid. Met. VIII, 301 seqq.: *Tyndaridae gemini, spectatus caestibus alter, Alter equo.* Equi vero intelliguntur currui iungendi, ita ut generatim bellandi ars et peritia indicetur, vid. Apollod. III, 10, 6. — *Helena*, Castor et Pollux, Iovem patrem habuerunt sub cycni specie, matrem Ledam, Tyndarei Laconiae regis uxorem. Conf. Ovid. Fast. V, 709; interpp. ad Virg. Aen. I, 654; VI, 121; Heyne ad Apollod. l. c. – *capere Fertur*, pro cepisse, etiamsi sequatur *erubuisse*, vid. Bentlei. ad Horat. I, 16, 14. – *nec erubuisse*, coll. supra v. 3, 4. – *deos*, κατ' ἐξοχὴν Castor et Pollux *dii fratres* dicebantur, vid. Sueton. vit. Calig. 22. Sic *Castori et Polluci diis magnis* in inscriptione ap. Gruter. pag. 98, 9 sqq.

21–28. Affert poëta causam, cur iura et bona Spartanae palaestrae miretur, laudet et probet. - *in triviis*, pro palam simpl., publice lateri amicae adhaerere. – *Nec timor*, non sunt custodes amatoribus timendi, patet his aditus ad puellas Lacaenas. Sic *timor* simpliciter legitur supra el. 12, 17. Add. II, 23, 14. – *clausae puellae*, el. 3, 49, el. 13, 9. - *austeri*, difficilis, *jaloux*, ut Tibull. I, 2, 7. – *poena*, ultio, vid. ad el. 13, 38. – 25. *Nullo praemisso*, non ante misso internuntio, vel puero tuo, vel alio quopiam adventus tui nuntio, qui de aditu sciscitetur, cuius ope amor puellae concilietur. Vid. Tibull. I, 3, 89. – *tute*, tu ipse, vid. Priscian. lib. XII, pag. 947: Putsch. — *de rebus tuis*, de amoribus tuis. – *longae n. r. morae*, Passeratius: si dare non vult, saltem cito negatur, non ducitur promissis amator, repulsa non est longae morae, non cruciat amantes mora. Sed praefero Vulpii interpretationem: licebit tibi sermonem longius continuare, ac diutius puellae lateri adhaerere, neque ipsa repellente, neque ullo alio prohibente. – 27. Non *Tyriae vestes* (II, 16, 17) earum splendor, perstringit oculorum tuorum aciem, animum tuum ita perturbat, ut tibi desint verba, ut non invenias quae sint verba rogandi. Est ergo *errantia lumina*, oculos dubio motu fluctuantes, graphice dictum, pro te timidum, qui nescias, quo oculos coniicias. Minus recte, ut vi-

Est neque odoratae cura molesta comae.
At nostra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec quae sint facies, nec quae sint verba rogandi,
Invenias: caecum versat amator iter.
Quod si iura fores, pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

detur, Vulpius et alii explicant: fallunt errantia lumina, dum vitia corporis absconduut. — 28. Nec comae odorandae et eleganter pectendae studium tibi moram affert, vel te repellit. Horat. Carm. II, 11, 23: *in comtum Lacaenae More comam religata nodum.*

29–34. Opponere pergit mores romanos Laconum moribus, et quae vs. 29 sqq. leguntur, respiciunt inprimis ea, quae vs. 21, 22 legebantur. At nostrae foeminae vadunt tanto comitum grege stipatae, adeo pressae in triviis incedunt, ut digitum quidem interserere, digito contingere euntem non sit, non liceat. Poëtice rem exaggerat. — *nec est*, pro nec licet, datur; Graecorum more. — 31. Nec facile invenias, quomodo eam accurate videas, adspicias, nedum quomodo eam rogare, ad amorem sollicitare possis. — *facies*, numero plurali dixit, ad vultus corporisque species varias indicandas. — *rogare*, verbum amatorium, ad amores sollicitare, I, 5, 32. — *caecum*, apposite, quum praecesserit: *nec quae sint facies invenias.* Sensus: caeca sors, casus fortuitus in amore valet.

# ELEGIA XV

## AD CYNTHIAM DE LYCINNA

Sic ego non ullos iam norim in amore tumultus,
 Nec veniat sine te nox vigilanda mihi:
Vt mihi praetextae pudor est elatus amictu,
 Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
 Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.

Elegia XV

Cynthia, cui nuntiatum erat, Lycinnam famulam suam pellicem esse Propertii, eam hanc ipsam ob causam durius tractare solebat. Propertius igitur pro Lycinna deprecator intercedit. Confitetur, se amoris rudem, a Lycinna virum esse factum, sed affirmat quoque, se inde ab eo tempore, quo Cynthiam amare coepisset, illi prorsus valedixisse; et cohortatur Cynthiam, ne Lycinnam immerentem torqueat, pro foeminarum more et ingenio, quae puellas rivales crudelius et acerbius tractare soleant; quod proposito Dirces exemplo demonstrat, quae tamen ipsa Iovi crudelitatis suae poenas dederit. Quibus Dirces poenis descriptis, amicam obtestatur, ne, hoc exemplo deterrita, vago et sinistro de suis et Lycinnae amoribus rumori aures nimium credulas praebeat.

1–6. Quae vs. 1, 2 leguntur, ea praemisit poëta, quo certius ac facilius Cynthia verbis ipsius fidem haberet. Etenim *sic* in obtestationibus solemne est. Sensus et cohaerentia: Quam certo opto, ut nullos experiar, *norim in amore tumultus*, rixas, discidia, et ut nulla nox *veniat*, sit, sine te mihi vigilanda; tam certa sunt quae tibi narrabo: Postquam ex ephebis excessi, animumque ad puellarum amorem, custode tandem remoto, appellere licuit, Lycinna me, amoris rudem, non invita erudivit; postquam vero te amare coepi, postquam tui amoris compos factus sum, neque cum Lycinna, neque cum alia ulla foemina rem habui. — *praetextae amictu*, pro, cum toga praetexta puerili. — *pudor elatus*, eleganter dictum pro postquam posui cum praetexta pudorem. — *Efferre*, verbum funebre, sic *extinctus pudor* Virg. Aen. IV, 322; *periit pudor* Plautus in Bacchid. III, 3, 81; et hoc loco paullo post sequitur *sepelivit* vs. 9. — *et – iter*. Ovid. Fast. III, 778: *vestis quoque libera per te Sumitur, et vitae liberioris iter*. Terent. Andr. I, 1, 25: *Nam is, postquam excessit ex ephebis, Sosia, ac liberius vivendi fuit potestas*. — 5. *rudes animos*, me imperitum rei venereae, tironem, rudem amoris, I, 9, 8. — *conscia* amoris et Veneris gaudiorum. — *per noctes primas*, pro simpl. prima. — *Imbuit*.

Tertius, haud multo minus est, quum ducitur annus:
  Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor: nec femina post te
  Vlla dedit collo dulcia vincla meo.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam:
  Nescit vestra ruens ira referre pedem.

initiavit, ἐκαίνισε. virum fecit. *Imbui* dicitur de personis et rebus, quae primo usui accommodantur. Videat. Ruhnken. ad Callim. Fragm. a Bentl. collect. 119, pag. 487 Ern. Graev. Lectt. Hesiod. cap. 15 extr. Martial. X, 79: *Ergo Suburranae tironem trade magistrae, Illa virum faciet.* — *heu*, admirantis, ut II, 29, 30. Comparat enim tecte animum Lycinnae liberalem cum Cynthiae avaro aurique cupido. – *datis*, pro muneribus, ut apud Ovid. Met. VI, 463; Plaut. Pseud. I, 3, 71. Sic *rogatis*, pro petitionibus, Ovid. Fast. V, 193. *optatis*, pro votis in Ibide vs. 68; vid. Burm. ad Ovid. Met. XI, 106.

7–14. *nobis*, mihi et Lycinnae. – *cuncta t. sepelivit amor*, amorem illum ex animo meo delevit meus erga te amor. Ovid. Heroidd. X, 76: *Femina periuri fraude sepulta viri*, id est oblivioni tradita. Cic. Tusc. II, 13: *Amittenda fortitudo est, aut sepeliendus dolor.* — 10. *dedit c. v.*, circumdedit collum meum, me amplexa est. — 11. *At tu*, etc. Hoc distichon vulgo legitur post vers. 42: *Paeana Amphion*, etc., sed illud in hunc locum transponendum esse, recte indicarunt Vulp. et Burm. Vid. Obss. – *immeritam - Lycinnam*, innocentem vexare et male habere desinas. – *ira ruens*, praeceps ira, quae omnem vim suam exercet. Ira eleganter in personam mutata est, unde additur *referre pedem*, redire, *nescit*, pro, vos foeminae puellis rivalibus iratae, irae modum ponere nescitis. Hanc ipsam vero sententiam, mulierum adversus pellices iram vehementissimam et acerrimam esse, iam Dirces exemplo accuratius demonstrat. Quod fabulam ipsam hoc loco allatam attinet, haec tenenda sunt: *Antiope* Nyctei (genit. gr. *Nycteos*) regis in Boeotia filia (Homer. Od. Λ, 259, eam facit Asopi filiam, de quo dissensu vid. Pausan. Corinth. pag. 124; Schol. Apollon. Rhod. I, 735; Burm. ad Ovid. Met. II, 592; omninoque Valcken. Diatrib. pag. 58), primo *Lyci* Thebanorum regis uxor fuerat, hic vero eam ab Epopeo per dolum stupratam repudiavit, et *Dircen* in matrimonium duxit, quae tamen, quum ipsi nuntiatum esset, Lycum clam cum Antiope consuescere, eam carceri inclusit, et crudeliter tractavit, vs. 13-18. Iniuriae impatiens Antiope, catenis ruptis, in montem Cithaeronem fugit, vs. 23-26; ibi Zethus matrem (ex Iove enim Antiope Zethum et Amphiona susceperat) ignorans fugitivam, stabulis suis non recepit, vs. 30, sed cognito errore per senem pastorem, qui Zethum et Amphiona, gemellos expositos, clam educaverat, fratres matrem edocti, ad ulciscendas iniurias matri factas, Lyco interfecto, tauro indomito Dircen alligatam, per agrum Thebanum tractam necarunt, vs. 35-42. Conf. Apollod. III, 5, 5, ibique Heyne; Casaub.

Testis erit Dirce, tam vero crimine saeva,
  Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quoties pulcros vulsit regina capillos,
  Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah quoties famulam pensis oneravit iniquis,
  Et caput in dura ponere iussit humo!
Saepe illam immundis passa est habitare tenebris:
  Vilem ieiunae saepe negavit aquam.
Iupiter, Antiopae nusquam succurris habenti
  Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe, tuam servire puellam.
  Invocet Antiope quem, nisi, vincta, Iovem?
Sola tamen, quaecunque aderant in corpore vires,
  Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cithaeronis timido pede currit in arces,
  Nox erat, et sparso triste cubile gelu.

ad Pers. Sat. I, pag. 119; Pausan. II, 6; Hygin. fab. 7; Schol. Stat. ad Theb. IX, 523; Ach. II, 66. – *Testis erit*, esse potest, mulierum adversus foeminas rivales irae. – *vero crimine*, opponit suo crimini, quod a Cynthia fingebatur tantum. – *accubuisse*, in lecto una cubuisse, rem habuisse, ut Tibull. I, 9, 76; Prop. II, 3, 29.

15-26. *regina*, Dirce. – *vulsit capillos*, vulgo *ussit*, vid. Obss. – *molliaque-manus.* Propert. IV, 8, 57: *Phyllidos iratos in vultum conicit ungues.* – 17. *famulam*, Antiopen. – *pensis o. iniquis*, pensa in lanificio graviora dedit, quum reliquis ancillis, *famulas* enim, quas herae duriter habebant, *velleribus fatigare* solebant, ut loquitur Val. Fl. II, 138: eiusmodi pensa *graviora* dicit Prop. IV, 7, 41; *grandia pensa* Ovid. Heroidd. X, 90; *gravia* Tibull. I, 3, 86. – *immundis tenebris*, de carcere foedo et tenebris horrido cogitandum. – 21. Elegans orationis conversio ad Iovem. *habenti tot mala*, Graecorum more, pro ferenti, sustinenti tot mala. Sic ἔχειν pro πάσχειν saepius. Lucian. Hermotimo tom. I, pag. 741: πόνον ἔχειν; sed pag. 476: πόνους ἀνέχεσθαι. Soph. Philoct 187: ἀνήκεστα μεριμνήματ' ἔχων. — *nusquam*, pro non. — *tuam puellam*, a te amatam. — 25. Per se sola, non adiuta a Iove, ruptis catenis, Antiope aufugit. – *quaecunque*, quantulaecunque, quia vires illius attritae erant inedia et vinculis. — *manicas regales*, catenas, quibus manus reginae vinctae erant.

27-32. *Cithaeronis*, vid. III, 2, 5. — *in arces*, τὰ ἄκρα, pro monte simpl.; sic *arces*, id est colles, montes, Iuvenal. III, 192; Sil. Ital. XII, 608. — *triste cubile*, durum et frigidum, ipsa terra dicitur. — *sparso*

Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
  Credebat dominae pone venire pedes.
Et durum Zethum, et lacrymis Amphiona mollem
  Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos quum ponunt aequora motus,
  Eurus in adversos desinit ire notos,
Litore si tacito sonitus rarescit arenae:
  Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera tamen pietas; natis est cognitus error,
  Digne Iovis natos qui tueare senex.
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
  Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.
Antiope cognosce Iovem: tibi gloria Dirce
  Ducitur, in multis mortem habitura locis.

*gelu*, sparsa nive, sic *gelu* pro nive, Stat. Theb. V, 302; Virg. Georg. III, 355. — *Asopus*, Boeotiae fluvius, Thebas praeterfluens, e monte Cithaerone ortus, vid. schol Apollon. Rhod. I, 117; Rittershus. ad Oppian. Cyneg. vs. 25; Strabo lib. VIII, pag. 582 B. — *pone venire pedes*, credebat dominam, Dircen, a tergo venire. — 31. *durum*, Zethum, *trucem* vocat Senec. Herc. Fur. 917. — *lacrymis mollem*, ἀρίδακρυν, facile aliorum casibus illacrymantem, cuiusmodi homines *mollissima corda* Iuvenal. dixit Sat. XV, 131. — *abacta*, Zethus enim eam fugitivam esse opinabatur. Hygin fab. 8.

33–42. Praeclara comparatio, desumta a re penitus diversa; Antiopae deficientis casum et lapsum comparat cum fluctibus et ventis, qui fracti ac fessi cadunt, desinente tempestate. — *ire*, quasi proelio congredi. Horat. Carm. I, 9, 10: *qui simul Stravere ventos aequore fervido Deproeliantes.* — 36. *sic cadit*, languore et deliquio animi. — *puella*, vid. ad 12, 17. — *Sera tamen pietas*, pietas tamen filiorum, etsi sera, apparuit. — *qui tueare*, educes et custodias. Convertit orationem ad senem illum bubulcum, qui Zethum et Amphiona, materni avi iussu expositos, sustulerat et educaverat. — *sub ora*, id est ad cervicem. Hygin. fab. 7: *qui postquam matrem agnoverunt, Dircen ad taurum indomitum deligatam vita privarunt; ex cuius corpore fons in Cithaerone natus est, qui Dircaeus est appellatus.* — 41. *cognosce Iovem*, vim Iovis et opem agnosce. — *tibi gloria ducitur*, in ultionem iniuriae tibi illatae rapitur, quod tibi gloriae est. — *Ducere*, pro rapere, trahere, ut Iuvenal. X, 66: *Seianus ducitur unco.* Apposite vero noster usus est verbo *ducere*, quum proprium sit de iis, qui ad supplicium et in triumphum ducuntur. — *in multis m. h. locis*, de lacero corpore Dirces multis loco sparso intelligendum. Sic de Absyrto a Medea dissecto, Ovid. Trist. III, 9, 28: *divisaque*

Prata cruentantur Zethi, victorque canebat
  Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures,
  Te solam et lignis funeris ustus amem.

## ELEGIA XVI

### DE IMPERIO AMICAE

Nox media, et dominae mihi venit epistola nostrae:
  Tibure me missa iussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,

*membra per agros Dissipat, in multis invenienda locis.*

43–46. *Zethi prata*, in quibus armenta sua pascere solebat ad montem Cithaerona Zethus, cuius inprimis iussu Dirce ibi tracta fuit, dum Amphion laetum paeana in Aracyntho canebat. Seneca Hippol. 1093: *Late cruentat arva.* — 44. Apostrophe ad Aracynthum montem in finibus Boeotiae et Atticae situm. Steph. Byz.: Ἀράκυνθος, ὄρος Βοιωτίας, ἀφ' οὗ Ἀθηνᾶ Ἀρακυνθία. Sextus adv. Grammat. I, 12, pag. 240: Ἀράκυνθος τῆς Ἀττικῆς ἐστιν ὄρος. Vid. Heyne ad Virg. Ecl. II, 23. Sed conf. Obss. — *concitet*, commoveat, ne aures faciles praebeas sinistris aliorum sermonibus et fabulis. — *ustus lignis funeris*, mortuus, rogo consumtus te amabo, II, 13, 31: *ubi cinerem me fecerit ardor.*

#### Elegia XVI

Tibur ab amica, quae ibi degebat, per epistolam de media nocte evocatus, dubitat et haesitat quid sibi sit faciendum; sed cogitatio illa, amantes sub Veneris et Amoris tutela ab insidiis tutos esse, animum poëtae titubantem confirmat; et vel in amore mori pulchrum et decorum esse affirmat. Mortis vero suae mentione facta, funus quoque, quod optet, accuratius describit.

1–4. *Tibure*, vid. ad II, 32, 5. — *missa mora*, pro omissa. *Mittere*, saepius pro omittere, dimittere, Virgil. Aen. VI, 85. — *Candida-turres*, Passeratius laudans locum Iuvenal. Sat. XIV, 86 seqq.: *Aedificator erat Centronius: et modo curvo Litore Caietae, summa nunc Tiburis arce, Nunc Praenestinis in montibus alta parabat Culmina villarum, Graecis longeque petitis Marmoribus:* intelligit Tiburis arcem, eminentem geminis candidisque turribus. Sed *arx* ibi est mons, collis, vid. Ruperti ad Iuvenal. III, 190. Equidem mallem *culmina* eo sensu capere, ut significentur aedes, domus, ut apud Valer. Fl. V, 446; Senec. Hippol. 1128, qua,

Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Vt timeam audaces in mea membra manus?
At, si haec distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum:
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes:
Scironis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat equis: demonstrant astra salebras:

ubi candidae aedes ostendunt geminas turres; situm loci describit poëta. – *Nympha Aniena*, vid. ad I, 20, 8, id est ipse fluvius Anio. – *cadit*, nam prope Tibur de scopulis Anio cadit. Ovid. Amor. III, 6, 45: *qui per cava saxa volutus Tiburis Argei pomifer arva rigas.* Add. Stat. Silv. I, 3, 21. — *patulos lacus*, intelligitur lacuna magna, ubi aqua continetur. Strabo lib. V, cuius locum Broukhus. attulit: Ἀνίων ἀφ' ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν.

5–14. Compara Ovid. Am. I, 6, 9. – *Vt timeam*, ita ut timeam, ut mihi formidandi sint latrones. – 7. At si prae timore distulero imperiosae Cynthiae mandata, *fletus*, nempe a me instituendus; sed fletus hoc loco pro causa fletus, Cynthiae ira. – *nocturno hoste*, periphrasis latronum noctu grassantium. – *pulsus*, exclusus. – *totum in annum*, de longo tempore explicandum, ut *nox annua*, pro instar anni longa, Ovid. Heroidd. XI, 29; *annus* Id. ib. XVIII, 25; add. Virg. Ecl. VII, 43; Tibull. II, 5, 109; Propert. I, 1, 7. – *In-manus*, in me manu saevit, me crudeliter tractat, el. 8, 4; I, 5, 8. – 11. Amantes sub Veneris atque Amoris tutela, adeoque ubivis terrarum tuti sunt, nihil est iis timendum. Haec egregie exornavit atque amplificavit poëta. Conf. cum his Tibull. I, 2, 27 seqq. Pro via quavis maxime periculosa memorat *Scironis viam* et iter in Scythiam per gentes maxime barbaras. *Sciron*, notus latro, obsidens viam, quae ab Isthmo in Atticam ducebat, viatores spoliatos in mare praecipites agens, quem Theseus interemit. Vid. Plutarch. vit. Thes. 10; Heyne ad Apoll. pag. 872; add. Bottiger in den Vasengemalden l. fasc. II, pag. 138 seqq., ab eo *Scironia* saxa nomen habebant in Attica iuxta mare, ubi via tam angusta erat, ut in multis partibus viatori praecipitium minaretur. Ovid. Met. VII, 444 seqq.: *sparsique latronis Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda: Quae iactata diu fertur durasse vetustas In scopulos: scopulis nomen Scironis inhaeret.* Add. Ovid. Heroidd. II, 69; VII, 444. — *sic*, quum sis amans, et ad amicam eas.

15–20. Suavis imago: *luna* amatori

Ipse Amor accensas praecutit ante faces.
Saeva canum rabies morsus avertit hiantes.
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

noctu iter facienti *lumen praebet eunti* (Ovid. Heroidd. XVIII, 59) *equis*; et Cupido cum facibus praevolat. — *Luna m. e.*, vid. ad II, 22, 35; Stat. Theb. VII, 752: *Ipse sedens telis pariterque ministrat habenis*; ubi vid. Barth. Virg. Aen. VI, 302: *Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat*; X, 218: *Aeneas - Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat.* Gratian. Cyneg. vs. 314: *vitiisque ministrant.* — 16. *praecutit*, subit ministerium illius, qui in tenebris facem praefert. — 17. *canum rabies*, pro canes rabidi, excubantes ad limina puellarum custodiae causa, vid. IV, 5, 71. — *morsus avertit hiantes*, ora hiantia, et ium morsura alio confert. — *huic generi*, amantium. - 19. *Sanguine tam parvo*, nam amator *pallet* I, 1, 22; est *toto corpore nullus* I, 5, 22; *manus ossa attingit* I, 9, 29; est *tenuis umbra* II, 12, 20; conf. Obss. Ovid. Met. VII, 315 de Medea veterem arietem iugulante: *Exiguo maculavit sanguine ferrum.* Martial. Epigr. I, 23: *Quid nunc saeva fugis placidi, lepus, ora leonis? Frangere tam parvas non didicere feras. Servantur magnis isti cervicibus ungues; Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.* Sensus hoc loco est: amantes sunt sacri et inviolabiles, ad amicas, etiam nocturno tempore, sub Amoris tutela eunt, non iis sunt metuendi latrones, nec rabiosae canes ad limina puellae excubantes, harum ora hiantia et iam morsura Venus amantium comes avertit, alio convertit (vid. Hom. Il. Δ, 129), et amanti vel ab ipsa amica excluso ianuam aperit, hoc est *exclusis fit comes ipsa Venus.*

21–24. *casus*, pericula, Cic. Senect. 19; Virg. Aen. IV, 560; Liv. XXII, 32, nempe itineris mei nocturni. — *talis mors*, quam amicae causa subeo. — *pretio* maximo mihi emenda; *pretio emere* dixit quoque Cic. Verr. III, 79. - *huc*, incerti loci: ubicunque moriar. — *adferet*, nempe Cynthia. — *unguenta - sertisque*, veteres enim lapides sepulcrales pretiosis liquoribus ungere et sertis ornare solebant, Anacr. Od. IV, 11 seqq.; Auctor Copae vs. 35 seqq.: *Quid cineri ingrato serva bene olentia serta? Anne coronato vis lapide ista tegi?* Prudentius Cathem. hymn. X, 169 seqq.: *Nos tecta fovebimus ossa Violis et fronde frequenti, Titulumque et frigida saxa Liquido spargemus odore.* Vid. Kirchman. de fun. Rom. IV, 2, et not. ad IV, 7, 43. — *custos*, tanquam custos sedens. Alludit ad custodes sepulcrorum divitum, quorum inter alia erat annuam mortuorum me-

Dii faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
  Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
  Me tegat arborea devia terra coma.
Aut humet ignotae cumulus vallatus arenae.
  Non iuvat in media nomen habere via.

moriam renovare, monumenta ungere et coronare. Vid. Petron. Satyr. cap. 71; Gutherius de iure Manium II, 31; Iunii Comment. de custodibus sepulcrorum apud Romanos. Lips. 1744, 4.

25–30. Sepulcrum nimis splendidum, omnibusque conspicuum deprecatur. Coll. II, 13, 19 seqq. – *infamantur*, traducuntur, fiunt fabula vulgi. – *arborea coma*, pro arbor simpl. – *coma*, de frondibus arboris frequens, Catull. IV, 22 al. Compara II, 13, 33 seqq. – *tumulus vallatus* est ὀγκωτὸς τάφος in epigr. Statyllii Flacci Anal. tom. II, pag. 264; tumulus ex aggesta in collis altitudinem humo, quorum tumulorum genus antiquissimum apud omnes fere veteres populos. Vid. Heyne ad Virg. Aen. XI, 849. De verbo *vallare* vid. interpp. ad Ovid. Heroidd. IV, 159; Heins. ad Claudian. de laud. Stilic. II, 247.

# ELEGIA XVII

## AD BACCHVM

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris;
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te solvuntur amantes.
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.

### Elegia XVII

A Cynthia exclusus, vers. 3, 41, quum desertus in lecto coelibe molli requiescere somno (Catull. LXVIII, 4) non posset, vs. 12, 14, 42, amoris curas vino diluere, vs. 6, et ita somnum sibi arcessere, vs. 14, studuisse, atque inter bibendum, vs. 13, hoc carmen composuisse Propertius videtur. Itaque ad propulsandas amoris curas et sollicitudines, somnumque arcessendum, Bacchi opem implorat. Quod si, pergit poëta, his precibus meis locum concesseris, si tuis, Bacche, donis arcessitus mihi fuerit somnus, vs. 14, si me servitio superbo vacuum praestiteris, vs. 41, et ita insanae Veneris fastus compescueris, vs. 3, ipse seram tibi vites, vs. 15, quod superest vitae per te et tua cornua vivam, tuus totus ero, vs. 19, et laudes atque res tuas gestas carminibus sublimioribus celebrabo, vs. 20, 39. Orationis hoc in carmine ornatum, doctrinam, elegantiam et suavitatem vel paullo obtusior facile animadvertet.

1–8. Compara Tibull. III, 6; Horat. Carm. II, 19. – *da mihi vela secunda*, metaphora satis frequens, a navigatione desumta, cursum vitae meae dirige, sis mihi propitius, auxilio. Tibull. loco citato simplic.: *Candide Liber ades! – vela secunda*, quae ventis secundis aguntur. Imitatus est nostrum Ovid. Fast. III, 790: *Mitte, pater, caput huc pacataque cornua vertas: Et des ingenio vela secunda meo.* – *pater*, vid. ad III, 3, 29. – *mihi pacato*, pro pacando, ut pacatus fiam. – *insanae Veneris*, ita Cynthia h. l. vocatur, coll. vs. 41; add. I, 1, 33. Sic Cynthia dicitur quoque *furibunda* IV, 8, 51; *insana puella* I, 4, 17. – *compescere fastus*, coërcere superbiam, vacuum me sistere servitio superbo, ita ut Cynthiam non amplius curem, ut amor, qui inter nos intercedit, solvatur. Tibull. I, 2, 1: *vinoque novos compesce dolores – infelix dum requiescit amor.* Ovid. Heroidd. XVI, 229: *Saepe mero volui flammam compescere.* – 6. *vitium*, hanc vitiosam curam, hunc amorem, qui mihi exitio est. Quaevis enim affectio, πάθος, est vitium, morbus animi, nam ea consumitur, exeditur animus. Hinc animus, ita affectus, vitiosus, et ipsae

Te quoque enim non esse rudem, testatur in astris
  Lyncibus in coelum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
  Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
  Spesque timorque animum versat utroque meum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
  Arcessitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles,

affectiones, v. c. amor, cupiditates, docte *vitiosae* dicuntur, ut *vitiosa libido*, Horat. Epp. I, 1, 85. – *dilue*, ablue quasi et absterge hanc animi aegritudinem. – 7. Tu enim ipse amasti, adeoque eo facilius amatori auxilium tuum imploranti opem ferre debes. Similes loci I, 17, 25 seqq.; Ovid. Heroidd. XVIII, 61 seqq. – 7. *rudem*, ita dicitur is, qui sacris Veneris nondum initiatus est, ut el. 15, 5. – *in astris – in coelum*, οἷς τὸ αὐτό. et ita loqui amat Propertius, ut I, 11, 11 seq. al.: de industria autem addidit *in astris*, respiciens simul Ariadnes coronam auream inter sidera relatam. Vid. Horat. Carm. II, 19, 13; Ovid. Heroidd. X; Metam. VIII, 177 seq.; Hygin. Poët. Astronom. II, 5. – *in coelum vecta*, quam uxorem duxisti, et in concilium deorum introduxisti. Ovid. Fast. III, 509, de Ariadna in coelum vecta: *Occupat amplexu, lacrymasque per oscula siccat: Et, pariter coeli summa petamus, ait. Tu mihi iuncta toro, mihi iuncta vocabula sume; Iam tibi mutatae Liberae nomen erit.* Caeterum *lynces* hoc loco a poëta Bacchi currui iunguntur, ut ab Ovid. Met. XIII, 413; aliis in locis *tigres* Bacchi currui iunctae memorantur, v. c. Ovid. A. A. I, 550.

9–14. Huic malo, quod in ossibus servat inclusos inveteratos amores, huic malo, quod vulnus alit venis, ita ut caeco carpar igni (Virg. Aen. IV, 2), non nisi mors aut tuum vinum mederi potest. — *veteres ignes*, amorem, qui me iam dudum cruciat. Virg. Aen. IV, 23: *veteres vestigia flammae.* Catull. XCVI, 3: *veteres renovamus amores.* – 11. Me enim exclusum, omnesque *amantes vacuos* (ita dicuntur qui soli cubant, vid. II, 9, 19) *torquet*, exercet *nox sobria*, id est vini expers, *nox non ebria* Martial. X, 47. – *utroque*, pro utrimque, ab utraque parte, hinc, illinc, Ovid. Heroidd. X, 19. – *tuis donis*, pro vino, δῶρα Διωνύσου Hesiod. Ἔργ. 614; *munera Liberi* Horat. Carm. I, 18, 7. – *fervida tempora*, ex usu poëtarum loquendi solemni; illa enim pars capitis, vino largiter hausto, maxime incalescit, et acriores pulsus facit. Tibull. I, 2, 3: *multo perfusum tempora Baccho*; ubi vid. Heyne. Ib. I, 7, 50: *multo tempora funde mero.* Horat. Carm. I, 7, 22: *uda Lyaeo tempora.* – 14. *arcessitus*, vino paratus; *arcessitus somnus* eleganter dicitur, arte quaesitus, ut hoc loco vino. Vid. Burm. ad Petron. 37.

15–20. Se vinearum cultorem fore pollicetur. – *Serere*, de vitibus et arboribus solemne. Tibull. I, 1, 7;

Quos carpant nullae, me vigilante, ferae:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitae, per te et tua cornua vivam,
Virtutisque tuae, Bacche, poëta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris:
Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum;

intp. ad Nemes. II, 51. – *pangam colles*, nempe vitibus; *pangere vitiaria malleolis*. Colum. XI, 2, 18: *spument mihi dolia*. Virg. Georg. II, 6: *spumat plenis vindemia labris*. Columella de Re Rust. lib. X extr.: *Ferveat ut lacus et multo completa Falerno Exudent pingui spumantia dolia musto.* – 18. *inquinet*, eleganter uvae pedes prementis eas inquinare dicuntur, quia earum pressura pedes sordidos reddit, unde *autumnus calcatis sordidus uvis* dicitur Ovid. Fast. IV, 897, Met. II, 29. — 19 seq. Per reliquum vitae meae tempus vitam tuam et gesta tua, Bacche, carminibus meis celebrabo. Poëtice in seqq. Bacchi praecipua facinora singulatim afferuntur. – *Per te et tua cornua*, per te cornutum vivam, te unice colam. De Bacchi cornibus (antiquissimo roboris atque potentiae symbolo) res nota, vid. Sphanhem. de Vsu et Praest. Numism. Diss. 7, tom. I, pag. 392 seq. — *ferar*, celebrabor, eo laudum tuarum et beneficentiae tuae praeco.

21–24. De fulmine, quo Semele, Bacchi mater, vid. II, 30, 29, conflagravit, vid. Ovid. Met. III, 253 seq. – *Aetnaeo fulmine*, per fulmen, opera fulminis, quod in Aetna Cyclopes fabricare dicuntur. – *maternos partus*, Ovid. loco cit. vs. 309: (Semele) *donisque iugalibus arsit. Imperfectus adhuc infans* (Bacchus) *genetricis ab alvo Eripitur, patrioque tener* (*si credere dignum*) *Insuitur femori, maternaque tempora complet.* Eurip. Bacch. 3 seq. – 22. *Indica arma*, de Bacchi expeditione Indica, cuius frequens apud poëtas mentio, vid. Nonni Dionysiaca, et Diod. Sic. IV; Ovid. Met. IV, 20 seq. – *Nysaeis choris*, id est Bacchicis, Satyrorum Silenorumque et Maenadum comitum Bacchi choris; vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 19, 3. Nysa enim urbs et mons Indiae, ubi Nyseides Nymphae Bacchum in antris educarunt, qui hanc ipsam ob caussam Nysaeus dicitur. Vid. Ovid. Met. IV, 13; Curt. VIII, 10, 11; Hygin. fab. 182; Apollodor. III, 4, 3, ibique Heyne. – 23. *Lycurgus*, Edonum in Thracia rex, cuius impietas et poena varie a poëtis narratur. Nempe ob pulsas e regno suo Bacchas a Iove excaecatus dicitur Homer. Il. Z, 130 seq. Secundum alios vero, quos Propertius secutus est, ob vites excisas a Baccho in furorem actus est, quo et filium interfecit, et sibi ipse crura amputavit. Vid. Hygin. fab. 132; Diod. Sic. III, 64; Plutarch. de aud. poët. pag. 6 ed. Krebs. Delrius ad Senec. Oedip. vs. 471; Barth. ad Stat. Theb. IV, 386; Heyne ad Apollod. III, 5, pag. 575; Epigr. Leonidae

Pentheos in triplices funera grata greges:
Curvaque Tyrrhenos Delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate.
Et tibi per mediam bene olenti flumine Naxon,
(Vnde tuum potant Naxia turba merum:)
Candida laxatis onerato colla corymbis

Anthol. Gr. I, 20, 5. – *vesanum in vite*, pro in vitem. Plura de hac enallage monuerunt Burm. ad Ovid. Met. IX, 472; Quinctil. Decl. XV, 6; Cerda ad Virg. Aen. II, 541; Periz. ad Val. Max. IV, 1, 10. – *nequicquam*, quia sibi, non viti nocuit. — *Pentheos - greges*, Pentheus, Thebarum rex, Bacchi contemtor, a matre Agave et huius sororibus, Inone atque Autonoe a Baccho in furorem actis, Baccharum choros ducentibus, laceratus est. Vid. Eurip. Bacch. 1023 seq.; Ovid. Met. III, 515 seq.; Apollod. III, 5, 2, ibique Heyne; unde hoc loco legitur *funera grata in triplices greges*, pro triplicibus gregibus.

25–30. Fabulam de Tyrrhenis nautis, Bacchum dormientem e litore auferentibus, et alio, quam in insulam Naxon, ut iusserat, devehentibus, sed ad tigres iis obiectas consternatis, in fluctus se praecipitantibus, et mox in delphinos mutatis, vid. ap. Ovid. Met. III, 629 seq.; add. Hygin. fab. 134; Oppian. Halieut. I, 649 seqq.; Eurip, Cycl. 11; Homer. h. in Bacch. Senec. Oedip. 449, ubi vid. Delrius et Barth. ad Stat. Achill. I, 56. — *curva*, perpetuum epith. apud poëtas de delphinibus, vid. Ovid. Heroidd. XVIII, 131; Met. II, 265; ubi vid. Gierig. et Bentl. ad Lucan. V, 552. Dorsa enim eorum repanda sunt, Plin. H. N. IX, 8: ab Anacr. LI, 27 dicuntur χορὸς ἰχθύων κυρτός. – *Corpora delphinum*, pro delphines. – *pampinea rate*, Hygin. loco cit.: *Liber - remos in thyrsos commutavit, vela in pampinos.* Ovid. Metam. III, 664 seq.: *Impediunt hederae remos, nexuque recurvo Serpunt; et gravidis distringunt vela corymbis.* – 27. *tibi onerato* coniungendum cum *cinget*, quod poëtice et ornate dictum pro dicam, quomodo tibi cingat etc., id est dicam, canam tuum in insula Naxo (quae et Dia dicebatur) adventum, Ovid. Met. III, 690. – *Naxos*, insula Baccho sacra, ut notum. – *bene olenti flumine - merum.* Fingebat nimirum antiquitas, Baccho apparente, omnia ipsius adspectu efflorescere, terramque ubertate quasi intumescere, nominatim lactis et vini fontes e terra scaturire. Vid. Eurip. Bacch. 142 seq.; Senec. Oed. 491; Horat. Carm. II, 19, 10; ubi vid. Mitscherlich. Hermann Handbuch der Mythologie B. II, pag. 245. Hinc et hoc loco quum de Bacchi adventu in insula Naxo, et sacris Bacchi, orgiis ibi celebratis sermo sit, commemoratur prodigiosus vini torrens per insulam fluens. *bene olenti flumine*, ibi existente, insignem. Ablat. absol. De vini odore, vid. Ern. ad Hom. hymn. Bacch., vs. 34 seqq. – *Naxia turba*, incolae illius insulae, ut *turba togata*, id est Quirites, IV, 2, 56. – *Candida colla*, κατὰ, *corymbis*, id est corona hederacea, ut II, 30, 39; Tibull. I, 7, 42; coll. vs. 52. – *laxatis*, vagis-

Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Laevis odorato cervix manabit olivo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae:
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero iuxta dea magna Cybebe

pendentibus. Collo serta gerere mos quoque erat in compotationibus et epulis hilarioribus. Tibull. I, 7, 52: *Et capite et collo mollia serta gerat.* Ovid. Fast. II, 739: *Ecce nurum regis fusus per colla coronis.* Adde Horat. Sat. II, 3, 256. - 30. *Bassaricas comas*, id est Bacchi ipsius, tuas. Bacchus autem dicebatur *Bassareus* a voce Thracia vel Afra, Βασσαρίς. Etenim non tantum hinnulorum, sed et vulpium pelles gestabant Bacchae. V. Meurs. ad Lycophr. p. 342. Hesych. Βάσσαραι· χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι· Βάκχαι· Βασσαρίς, ἀλώπηξ. vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 18, 11, et quos ibi laudavit. - *Lydia mitra*, fascia capitis, unde μιτρηφόρος dicitur, Lucian. D. D. 18, 1: μίτρᾳ τὴν κόμην ἀναδεδεμένος. Vid. Barth. ad Stat. Achill. II, 41. *Lydia*, nam Bacchus mitratus erat, ut mollis: Lydi vero in genere molles fuerunt et deliciis dediti, ut vel Herodoto constat, et mitra ordinarie erat muliebris capitis ornamentum, quo significatu occurrit apud Aristoph. Thesm. 264, ubi cum κεκρυφάλῳ iungitur. Seneca Oedip. 413 Tyriam mitram vocat, ob colorem purpureum.

31-36. *Laevis cervix*, vid. II, 3, 13. - *odorato olivo*, multi et suavis odoris; periphrasis unguenti. Olivum unguentis componendis adhibetur, vid. Virg. Georg. II, 466; Ecl. V, 68; Plin. H. N. XII, 2; Pers. Sat. III, 44. Caet. huc pertinet locus Callim. hymn. Apoll. 38 seqq.: Αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια. Οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι, Ἀλλ' αὐτὴν πανάκειαν. - *Et - pedes.* Similiter Valerius Flaccus I, 385: *puniceo cui circumfusa cothurno Palla imos ferit alta pedes.* Vbi vid. Burm. - 33. Sacra tua canam. — *Thebas*, Boeotiae urbem, *Dircaeas* a Dirce fonte (in quem Dirce, vid. III, 15, 11, conversa fingitur) ita dictas, commemorat, ante oculos habens Eurip. locum in Bacch. 20 sqq., ubi Bacchus loquens inducitur: Εἰς τήνδε (Θήβας) πρῶτον ἦλθον Ἑλλήνων πόλιν. Κἀκεῖ χορεύσας, καὶ καταστήσας ἐμὰς Τελετάς, ἵν' εἴην ἐμφανὴς δαίμων βροτοῖς. - *tympana*, vid. III, 3, 28. - *Capripedes Panes*, iidem qui Satyri, comites Bacchi perpetui, vs. 22. - *hiante*, ut Lucret. IV, 592, de Pane: *Vnco saepe labro calamos percurrit hiantes.* - 35. Et Cybeben una tecum sacra celebrantem canam, canam et Cybebes sacra. - *Iuxta*, nam sacra Bacchi et Cybebes communia multa habebant, unde et Bacchus apud Eurip. Bacch. 58 sqq.: Αἴρεσθε τἀπιχώρι' ἐν πόλει Φρυγῶν Τύμπανα, Ῥέας τε μητρὸς, ἐμά θ' εὑρήματα. Add. Arnaldus de diis paredris pag. 163. - *vertice turrigero*, pingebatur enim corona murali; hinc et ap. Ovid. Fast. IV, 224: *turrigera dea* Cybebe dicitur, quia nempe Phrygiis urbibus turres dedit, vid. ibi Burm. Sed Lucret. II, 606: *Mu-*

Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

*ralique caput summum cinxere corona, Eximiis munita locis quod sustinet urbes.* A Prop. IV, 11, 52, *dea turrita* dicitur. Add. de origine *turrigeri* Cybebes *verticis* Arnob. lib. V, pag. 159, 165, ibique Stewech. – *Cybebe,* de varia huius vocis scribendae ratione, ex qua penultima modo producitur, modo corripitur, vid. Drakenb. ad Sil. It. VIII, 363; XVII, 8; Spanhem. ad Callim. Lav. Pall. 3; Heyne ad Virg. Aen. III, 111; X, 220; Graev. ad Lucian. tom. II, pag. 895; interpp. ad Phaedr. III, 17, 4; Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, p. 30. Dicitur et *magna mater,* et *Rhea.* — *Cymbala*, non minus quam tympana in sacris Cybebes in usu erant, vid. Catull. LXIII, 9, 21 sqq. Cultus Cybebes in monte Phrygiae Ida notissimus, vid. Catull. loco citato, v. 30; unde h. l. *Idaei chori* commemorantur, hoc est chori Corybantum, sacerdotum Cybebes ad tympana pulsata saltantium.

37–42. In his tuis sacris, nam *in tua sacra* positum pro in tuis sacris. – *crater antistitis*, id est sacerdotis tui; *auro* pro crater aureus, ut II, 31, 11. – *fundens*, scil. sit, id est fundet; *crater fundens* poëtice, pro antistes fundet ex cratere aureo. – *Libatum,* pro libandum. Virg. Aen. V, 77: *Hic duo rite mero libans carchesia Baccho Fundit humi.* – 39. *non humili cothurno*, carmine grandiloquo, sublimiori, vid. ad II, 34, 41; 10, 12. – *tonat*, vid. II, 1, 40. – *sollicitum caput*, me curis confectum. – *vince sopore*, doma et opprime, ut et aliis in locis *ocelli victi somno* dicuntur, v. c. Ovid. Fast. III, 19; Tibull. I, 2, 1; Apollon. Rhod. II, 419: Οὐ κνέφας ἤδυμος ὕπνος ἀναιδέα δάμναται ὄσσε· ubi δαμνάω est domo, somno obruo,

## ELEGIA XVIII

### DEFLETVR MORS MARCELLI

Clausus ab umbroso qua ludit Pontus Averno,
  Fumida Baiarum stagna tepentis aquae,
Qua iacet et Troiae tubicen Misenus arena,
  Et sonat Herculeo structa labore via:

Elegia XVIII

Marcelli, Octaviae sororis Augusti filii, et Iuliae Augusti filiae unicae sponsi, viginti annorum adolescentis, A. V. DCCXXXI aquis Baianis extincti, mortem praematuram deflet. Gravis tunc Augusti et totius populi luctus erat. Vid. Dio LIII, 30. De hoc enim praeclarissimo adolescente splendidas satis et magnificas spes conceperant omnes, Dio Cass. l. c.; Vellei. II, 93, et vulgo Augusto imperii heres destinabatur. Mortem illius praeter Propertium pulcherrimis quoque versibus ornavit Virg. Aen. VI, 861 sqq., ubi vid. Heyne. Marcellum autem in sinu Baiano submersum fuisse, praeter Propertium a nullo veterum tradi, notavit Scaliger, et ab Augusti medico, Antonio Musa, aquarum frigidarum lotionibus, sive ψυχρολουσίαις, post balnei usum fuisse enectum, e Dion. Cass. loco citato, pag. 725 ed. Reim. docet, sed Propertium hoc in gratiam Liviae Augustae immutasse, quae Marcellum, cuius virtutibus et laudibus invideret, hoc clandestino mortis genere de medio tolli curaverit; maluisse ergo poëtam famam mendacem sequi, quam verum dicendo sibi periculum creare. Plura de huius Marcelli morte notavit Burm. ad Virg. Ecl. IV init. Add. Lipsius ad Tacit. Ann. I, 3.

1–6. Poëtica circumlocutione locum, ubi Marcellus occubuit, describit, nempe describit Baiarum situm, atque designat Averno, Misena et via Herculea. – *Avernus*, lacus Campaniae prope Baias, dicitur *umbrosus* ob arbusta in ripa, vid. Heyne ad Virg. Aen. III, 442; Georg. II, 161; Ruperti ad Sil. XII, 122: iunctus erat Lucrinus lacus portu Iulio ab Augusto cum lacu Averno, vid. Heyne ad Virg. Georg. loco citato; Cluver. Ital. ant. IV, 2, pag. 1121; Prop. I, 11, 10. – *Clausus*, apposite, nam *claudi* proprie talia loca dicuntur, obiectis contra vim maris molibus. Cf. Burm. ad Rutil. I, 247; Lucan. I, 421. — *ludit*, pro alludit, nempe stagna tepentis aquae Baiarum. – *Fumida*, vaporifera. Ovid. A. A. I, 256: *Quid referam Baias, praetextaque litora velis, Et quae de calido sulfure fumat, aquam.* Stat. Silv. III, 2, 17: *Baianosque sinus et foeta tepentibus undis Litora.* – 3. *Misenus – Herculeo labore*, vid. ad I, 11, 1 sqq. De Miseni, primum Hectoris, deinde Aeneae tubicinis, fato, vid. Virg. Aen. VI, 162, 212 seqq. Per *viam Herculeo labore structam* intelliguntur aggeres, quibus a lacu Lucrino (et Averno) mare ar-

Hic ubi, mortalis dextra quum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere Deo:
At nunc invisae magno cum crimine Baiae,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas;
Errat et in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, et amplexo Caesaris esse focos?

cebatur, ab Hercule facti, vid. I, 11, 3. – *sonat*, equorum ungulis; nam via erat lapidibus strata. - 5. *mortalis*, quum adhuc mortalis, inter homines esset Hercules. Nam *Thebanus deus* est Hercules; duo enim numina Thebanorum praecipua, Bacchus et Hercules. — *quaereret*, acquireret, occuparet, *dextra*, vi et armis. Sallust. Iug. 4: *populus romanus quascunque urbes et agros manu ceperat.* Vid. Homer. Il. II, 56; Servius ad Virg. Aen. VII, 662, qui ibi tradit Herculem Pompeiis, Campaniae civitate, triumphasse. Expugnavit ergo isto in tractu urbes. Et sic in Phlegraeis campis Gigantas superavit, et urbi ab ipso expugnatae, Pompeios inter et Neapolin, Herculanii nomen inditum fuit. Vid. Cluver. Ital. Antiq. IV, 3, pag. 1154 sqq. – *Hic ubi*, in hoc Campaniae tractu Hercules cymbalis crepitantibus colebatur.

7–12. *Invisae*, antea ob amoenitatem locorum et multitudinem thermarum iucundissimae, nunc *magno cum crimine* propter Marcelli obitum *nvisae* factae. – *Quis deus h. c.*, quod numen, infestum Romanis, consedit in aquis Baianis ad perimendum Marcellum? – 9. *his*, undis Baianis, *pressus*, oppressus, nempe Marcellus, quem poëta non nominat, utpote qui tunc temporis Romae ab omnibus lugeretur. – *Stygias d. v. in undas*, alludit ad Avernales aquas lacus proximi Baiis. Sil. XII, 121: *Ille, olim populis dictum Styga, nomine verso Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Avernum. Tum, tristi nemore atque umbris nigrantibus horrens, Et formidatus volucri, letale vomebat Subfuso virus coelo, Stygiaque per urbes Religione sacer saevum retinebat honorem.* Silius ergo ibi Stygem in Averno quaerit. – *demersit*, Ovid. Am. III, 9, 27 *submersit*. Theocrit. Id. I, 140: *χὼ Δάφνις ἔβα ῥόον, ἔκλυσε δίνα Τὸν Μώσαις φίλον ἄνδρα, τὸν οὐ Νύμφαισιν ἀπεχθῆ.* – *spiritus*, pro anima vel umbra, vid. Burm. ad Lotich. III, 7, 83. — 11. Generis splendor, virtus, vita laudabiliter transacta, etiam aliis poëtarum in locis tanquam avertendae mortis momenta adferuntur, vid. Ovid. Amor. III, 9, 21; Senec. Oct. 285; Horat. Carm. IV, 7, 23. – *Mater*, Octavia, soror Augusti. – *amplexo*, pro amplexum, eleganti graecismo. Ovid. Heroidd. XIV, 64: *Quo mihi commisso non licet esse piae?* ubi vid. Heinsius et Fischerus Animadvv. ad Weller. Vol. III, P. II, pag. 11. — *Amplexus* autem erat *Augusti focos* Marcellus, non tantum adoptione in familiam Iuliam, quae ante focos, sive lares domesticos fiebat; sed etiam

Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, et misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra iuvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus usta dabis.
Sed tamen huc omnes: huc primus et ultimus ordo

sponsaliis ante deos penates cum Iulia, Augusti filia, celebratis.

13--16. Marcellus, aedilis, iussit theatra et forum velis laxis contra solis calorem obumbrari, vid. Plin. H. N. XIX, 2. -- *pleno theatro*, referto turba spectatorum. -- *fluitantia*, pendentia, laxa, adeoque vento facile agitanda; *sinuosa* dicuntur infra IV, 1, 15. -- *Et-manus*, ab Octavia matre omnia optime administrata, quum ei Marcellus, valetudine adversa laborans, aedilitatis suae administrationem commisisset. Vid. Plut. vit. Marcell. Adiiciuntur haec, quoniam praecessit *optima mater*. -- 15. *steterat*, pro erat simpl. ut saepius. -- *parvo in orbe clausit*, inclusit, circumscripsit, tam parvo annorum spatio.

17-20. Eleganter Marcellum ipsum, in medio felicitatis cursu morte immatura abreptum, poëta alloquitur, atque ostendit, nulli fortunae, nullis opibus, nullis bonis esse fidendum. - *I nunc* etc., imitatus est hunc locum Ovid. Heroidd. IX, 105: *I nunc, tolle animos, et fortia facta recense.* - *tolle animos*, scil. spe magnarum rerum; sis fortis, laetus. — *stantia theatra*, in theatris enim consurgentes plaudebant. Phaedr. V, 7, 28: *Laetare incolumis Roma, salvo Principe In plausus consurrectum est.* Vid. Mercer. ad Aristaenet. I, ep. 26. — *iuvent*, te delectent. – 19. Alludit ad aedilitatem Marcelli. Vid. vs. 13. *Attalicas vestes*, id est Attalica aulaea, vid. II, 32, 12; 13, 22, splendidissima, auro interstincta. Aulaeorum autem, sive velorum pictorum usus quoque in theatris erat. Ovid. Met. III, 111: *Sic, ubi tolluntur festis aulaea theatris.* Itaque sensus: orna theatra aulaeis, ipsis Attalicis pretiosioribus. - *gemmea*, pro gemmata, gemmis variata et distincta, ὑπερβολή. — *ludis magnis*, Circensibus Romanis. Vid. Servius ad Virg. Aen. VIII, 636. Aediles autem ludos curabant. Vid. Cic. Verr. V, 14. -- *ignibus*, nempe rogalibus; *ignibus usta*, urenda, *dabis*, ornate, pro ignes rogales haec omnia tibi auferent. Conf. II, 11, 3. Locutio vero ipsa, quae proverbium redolet, inde petita videtur, quod, quae vivis inprimis cara, cum iis cremari solebant, vid. II, 13, 26.

21-26. Sententiam illam satis tritam, de moriendi necessitatem omnibus communi et fatali, praeclaro ornatu instruxit poëta. — *huc omnes*, scil. imus, tendimus; quae ellipsis animo poëtae commoto apprime convenit. — *primus et ultimus ordo*, Barthius ad h. l. senatorium et plebe-

Est mala, sed cunctis ista terenda via.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, et aere,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Sic olim ignaros luctus populavit Achivos,

ium intelligit, sed significantur simpliciter potentes et pauperes. Conf. Horat. Carm. II, 3, 21 sqq.; XIV, 11 sqq. — *mala via*, quae ad mortem ducit, vid. Ovid. Am. II, 11, 1. Vt clarius patescat, quaenam via terenda sit, addit poëta: *exoranda — colla*, permulcendus Cerberus triceps, ne allatret; pios inprimis eum permulcere posse, superstitio veterum credebat. Stat. Silv. V, 1, 249 sqq.: *Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat Latratus? tacet ille piis.* Add. Prop. IV, 5, 4. — *publica cymba*, Charontis, quae omnibus patet, κοινὴ ἄκκατος vocatur in fragmento Hermesianactis ap. Athenaeum XIII, p. 597: Ενθα Χάρων κοινὴν ἕλκεται εἰς ἄκατον Ψυχὰς οἰχομένων. — *torvi senis*, σκυθρωποῦ, *avidae trux navita cymbae* dicitur Stat. Silv. II, 1, 186. — *Ille*, incertae personae; ille, quicunque est. — *ferro se condat et aere*, alludit ad cataphractum ferreum, vid. el. 12, 12. Facit huc locus Sallustii Histor. Fragm. in Orat. M. Lepidi pag. 940, edit. Cortii: *Quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro septis statuit.*

27—30. *Nireus*, rex Naxi, Graecorum omnium, qui ad Troiam fuere, pulcherrimus, ita ut nomen eius fere in proverbium abierit. Horat. Epod. XV, 22; Carm. III, 20, 15; Homer. Il. B, 673: Νιρεύς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε. Add. Ovid. A. A. II, 109; Pont. IV, 13, 15. — *Croesum - Pactoli*, vid. ad II, 26, 23. — 29. Conf. Obss. Excidisse nonnulla videntur. Albinovanus ad Liviam vs. 65, de Augusto Marcelli mortem lugente: *Vidimus erepta moerentem stirpe sororis, Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.* Achillis mentione facta, luctum populi romani de morte Marcelli et iacturam maximam, quam in eo respublica fecerat, comparat cum Graecorum luctu et calamitate illa maxima, quam iis intulerat Agamemnonis amor. Cf. Homer. Il. A, 8 sqq. — *ignaros luctus*, quia nesciebant, cur pestilentia exercitum invasisset, antequam edocti essent a Calchante. Vsus autem est hac formula noster, quoniam supra vers. 8 respectu Marcelli dixerat: *Quis deus in vestra c. h. aqua?* — *populavit amor Achivos*, maximo iis detrimento fuit, fecit, ut Achivorum copiae maxima clade afficerentur; *populare* activa forma dixit quoque Virg. Geor. I, 185; Aen. IV, 403 — *magno stetit Atridae amor*, amor Chryseidis, qui ei ingenti damno fuit, quem magno emit, tot suorum gravi pestilentia amissis. — *magno stare*, nempe pretio, ut apud Ovid. Heroidd. VII, 47: Lucan. IX, 404; Iuvenal. III, 166; Ovid. Met. XII, 68; VI, 468; X, 547. — *alter amor*, nempe Chryseidis, nam

Atridae magno quum stetit alter amor.
At tibi, nauta, pias hominum qui traiicis umbras,
Huc animae portes corpus inane suae:
Qua Siculae victor telluris Claudius, et qua
Caesar ab humana cessit in astra via.

olim amarat Argynnum puerum, cuius amoris Propertius mentionem fecit supra el. 7, 22. Non ergo de Briseide hoc loco cum aliis cogitandum.

31–34. Excellentissimi versus, quorum sensus: Transfer, o Charon, Marcellum in campos Elysios, *in quos pias umbras traiicis*, et in eum locum, unde Claudius et Caesar in coelum concesserunt. – *tibi* redundat, ut saepius. – *traiicere*, verbum nauticum, πορθμεύειν, διαπορθμεύειν, vid. Guellius ad Virg. Aen. VI, 536. – *animae*, vitae, *corpus inane*, nempe Marcelli umbram. Ovid. Met. XIII, 488: *Quae corpus complexa animae tam fortis inane.* Heroidd. III, 60: *Sanguinis atque animi pectus inane.* Virg. Aen. VI, 390: *Vmbrarum hic locus est – Corpora viva nefas Stygia vectare carina.* Vid. Obss. – *qua cessit in astra.* De hac via, quae probos et virtute praeditos in coelum duceret, Cic. Tusc. I, 9: *Mortem*, ait, *non interitum esse omnia tollentem, atque delentem, sed quandam quasi migrationem, commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in coelum soleret esse.* Lactantii quoque locus, VI, 3, ad verba nostra illustranda facit: *duae sunt viae, per quas humanam vitam progredi necesse est, una quae in coelum ferat*, etc. — *Claudius*, M. Claudius Marcellus memoratur, quod Marcellus adolescens, cuius mortem noster luget, ex ea gente natus fuerat; ille autem Claudius tertio consulatu missus in Siciliam, Syracusas Hannibali Poenisque faventes et Archimedis industria defensas triennii obsidione cepit, et captis Syracusis Siciliam domuit. Dio Cass. LXI, 17; Liv. XXIV; Plutarch. vit. Marcelli: unde hoc loco *Siculae telluris victor* vocatur. – *in astra*, exquisite pro in coelum. Persuasio enim vulgi tum erat, stellam crinitam, quae inter ludos D. Iulio Caesari ab Augusto habitos apparuerat, vid. Plin. H. N. II, 23, animam Caesaris in coelum recepti esse, vid. Suet. Caes. 88; Heine ad Virg. Ecl. IX, 46. Praeclare igitur poëta Marcellum e gente Claudia natum, et adoptione in gentem Iuliam receptum, Claudio et Iulio Caesari sociat, quo maxime Augustum, Romanosque, quorum delicias eum fuisse constat, feriri et oblectari oportebat. – *ab humana via*, id est a via per quam homo, per quam vita illius, ut cum Lactantio loquamur, progressa erat. – *cessit*, concessit, in coelum adscendit.

## ELEGIA XIX

### DE INCONTINENTIA MVLIERVM

Obiicitur toties a te mihi nostra libido;
  Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contemti rupistis fraena pudoris,
  Nescitis captae mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedaret aristas,
  Fluminaque ad fontis sint reditura caput;
Et placidum Syrtes portum, et bona litora nautis
  Praebeat hospitio saeva Malea suo:
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
  Et rabidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa iuvenci,

ELEGIA XIX

Virorum libidinem longe a muliebri superari, veterum historiarum exemplis testatur. VVLP.

1–10. *a te*, Cynthia, vid. II, 29, 30 seq. – *nostra*, mea et reliquorum virorum. – *vobis i. i. magis.* Ovid. A. A. I, 341 seqq.: *Omnia feminea sunt ista libidine mota: Acrior est nostra, plusque furoris habet.* – *contemti pudoris*, neglecti, *praeteritus pudor* dicitur Ovid. Trist. II, 410. – *captae mentis*, scilicet amore, libidine. Ovid. Met. IV, 62: *captis ardebant mentibus ambo;* de Pyramo et Thisbe. – 5. *sedaret*, scilicet vim, ut apud Virgil. Aen. VII, 27: *Venti posuere*, nempe vim, ut plenius dixit Virgil. Aeneid. V, 681: *Sed non idcirco flammae atque incendia vires Indomitas posuere.* Id. Aen. X, 103: *Tum Zephyri posuere.* Georg. I, 333: *Ingeminant austri.* Plaut. Mil. Glor. II, 6, 100: *Dum hae consilescunt turbae atque irae leniunt.* – 6. Conf. II, 15, 33. – *Syrtes*, vid. ad II, 9, 33. Seneca Hippol. 304: *Ignibus iunges aquas, Et amica ratibus ante promittet vada Incerta Syrtis.* Ovid. Met. VIII, 120: *inhospita Syrtis.* Sil. Ital. II, 63: *infidae litora Syrtis.* Id. XVII, 634: *naufraga Syrtis.* – 8. *Malea*, promontorium Laconiae navigantibus periculosum, vid. interp. ad Virg. Aen. V, 193; Ovid. Am. II, 11, 19. – *reprehendere*, id est retro prehendere, retrahere, compescere, ut Liv. XXXIV, 14; Plaut. Mil. I, 1, 60; Most. IV, 1, 6; Cic. Acad. IV, 45; Lucret. VI, 568. – *cursus*, pro impetum, eleganter, quum antea de navigantibus fuerit sermo. – *stimulos frangere nequitiae*, id est *sedare*

Induit abiegnae cornua falsa bovis;
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit, patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam, quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor?
Quidve Clytaemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?

*indomitam rabiem*, ut loquitur Horat. Epod. XII, 9, domare, frangere aculeos libidinis.

11–16. Sententiam propositam exemplis illustrat et confirmat. Testis Pasiphaë, Minois Cretensis uxor, *quae passa fastus Cret. iuv.*, quam fastidiebat taurus, quo urebatur. – *induit*, in vacca lignea, *abiegna*, corio inducta, quam Daedalus fecerat, cum tauro Cretaeo concubuit. Vid. II, 28, 52; Hygin. fab. 40; Heyne ad Virg. VI, 26. Hanc eandem fabulam et hoc totum de mulierum nefanda libidine argumentum persecutus quoque est Ovid. A. A. I, 281 sqq. – 14. Intelligitur Tyro, Salmonei filia, a Neptuno, adscita Enipei fluminis forma, unde *liquidum deum* vocat, compressa, vid. ad I, 13, 21. – *voluit subire*, pro subiit, e graecismo, nam et θέλειν saepius alii verbo iunctum redundat, vid. Gatacker. ad M. Anton. X, 8, pag. 356; Palairet. Obss. Philol. pag. 85, et 273. Add. Ovid. Heroidd. XXI, 139: *si tibi coniugium volui promittere nostrum*, pro si tibi promisi coniugium. *subire* Ovid. Heroidd. XVII, 94: *Velle sub amplexus ire puella tuos.* – 15. *Crimen et illa*, criminosa, scelesta fuit et illa. – *patria succensa senecta*, flagrans amore patris senis Cinyrae, *Myrrha*, quae deinde, quum ipsam pater cognito nefando stupro persequeretur, per Arabiam fugiens, in arborem sui nominis mutata est, vid. Hygin. fab. 58; Ovid. Met. X, 298 sqq., et quos ibi laudavit Gierig. — *condita*, eleganter, tanquam in sepulcro. Sic *condit* de mutatione in arborem Ovid. Met. IX, 362.

17–20. *Medeae*, nempe crimen, quod vocabulum e vs. 15 subintelligendum. Conf. III, 11, 9; II, 16, 30; 21, 12. – *Iram* conceptam ex Creusa, quam Iason repudiata Medea duxerat. – *natorum caede*, quum Iason Creusam duxisset, filios suos ex Iasone interfecit Medea, vid. Apollod. I, 9, 28. – *piavit*, piaculo satiavit iram. – *matris – amor.* Virgil. Ecl. VIII, 47: *Saevus Amor docuit gnatorum sanguine matrem Commaculare manus.* Ovid. Trist. II, 387 seqq.: *Tingeret ut ferrum natorum sanguine mater, Concitus a laeso fecit amore dolor.* – 19. *Clytaemnestrae*, ea enim per insidias cum Aegistho, cui per adulterium se dediderat, Agamemnonem, maritum suum, e Troiano bello reversum, sustulit, vid. II, 14, 5. – *propter quam*, per eam, cuius ob libidinem, tota domus Pelopea, quae Mycenis floruit, diffamata est.

Tuque o Minoa venumdata, Scylla, figura,
  Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
  Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas:
  Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci.
  Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

21–28. Subintell. infamis. – *venumdata figura*, capta pulchritudine et dignitate Minois. Nempe Scylla, filia Nisi Megarensium regis, Minoa, contra patrem Nisum pugnantem, amavit, et crinem patris purpureum, a quo et ipsius et urbis salus pendebat, resectum, in hostilia castra pertulit, seque simul ipsam Minoi tradidit. Vid. Hygin. fab. 198; Schol. Eurip. Hippol. 35, 1200; Ovid. Met. VIII, 5 sqq. *tondens* respondet verbo *κείρειν*, quod et *tondere* et *devastare* notat, Homer. Odyss. Σ, 142: est ergo concise dictum, pro cum patris coma purpurea regnum simul ipsum tondens et excidens, sive tondendo purpuream comam paterna regna hostibus devastanda tradens. — 25. *felicius urite taedas*, laetioribus auspiciis nubite. Ovid. Heroidd. XI, 105: *Nubite felices, Parca meliore, sorores.* – 26. *Pendet – rate*, etenim a Minoe, tam impiam proditionem aversante, ex navi suspensa, et quidem gubernaculo alligata, indeque in Cirin avem mutata est. Vid. Pseudo-Virgil. in Cir. 389 seqq.; ibique Heyne et ad Argum. Cir. nec non ad Apollod. III, 15, 8. – *aequus in hoste*, pro in hostem, vid. ad el. 17, 23. *aequus*, severe enim ultus Nisi, licet hostis, proditi vicem.

## ELEGIA XX

### AD AMICAM

Credis eum iam posse tuae meminisse figurae,
  Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus qui lucro potuit mutare puellam.
  Tantine ut lacrymes Africa tota fuit?
At tu, stulta, deos tu fingis, inania verba;
  Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
  Splendidaque a docto fama refulget avo.

### Elegia XX

Est haud dubie haec elegia annumeranda iis, quas poëta ante reliquas omnes, etiam libri primi, scripsit. Cynthiae, ab amatore suo relictae, qui in Africam, ut videtur, ob mercaturae quaestum navigarat, novi amoris mutua foedera et sanctiones proponit, eique fidem atque constantiam promittit et spondet. Hoc argumentum docte, vivide et eleganter pertractavit poëta.

1—10. Nimium credula es, si credis, amatorem tuum, qui te reliquit lucri causa, corporis (*figurae*, formae I, 2, 7) animique (v. 6) virtutum tuarum memorem fore, *posse tuae meminisse figurae*, nondum oblitum esse tui. — *posse* redundat, ut Gr. δύνασθαι, vid. Fischer. animadv. ad Weller. Spec. III, P. II, p. 40. — *a lecto*, qui vix, modo, de lecto tuo surrexit. — *lucro mutare puellam*, lucrum malle, quam puellam, lucrum praeferre puellae formosae. — 4. An tanti erant omnes Africae reditus, ut tu vel unam lacrymulam profunderes? ita optime Marklandus haec verba explicuit. Vid. Obss. coll. el. 12, 1-4. — *stulta*, nimium credula, *deos tu fingis*, perfidiae ultores, servaturos tibi illum constantem et fidelem. — *inania verba*, non ulciscuntur perfidi illius amatoris perfidiam, nec tibi fidum servabunt, coll. v. 21 seqq. Horat. Epist. I, 17, 41: *Aut virtus nomen inane est.* 6, 31: *Virtutem verba putes.* Add. Propert. III, 1, 17; I, 6, 8. Alii, *deos fingis*, persuades tibi, illum timere deos, quos fallere nunquam audeat. — *inania verba*, nempe sunt illi. — *alio — terit*, comparant Callim. Epigr. 26: Νῦν δ' ὁ μὲν ἄλλης δὴ θέρεται πυρί· explicant: alterius amore contabescit. Equidem tamen mallem haec verba graphice dicta esse, pectus pectore premens, arctius amplectitur aliam, pro aliam amat. — 7. Cynthiae formae pulchritudinem, animi dotes et generis gloriam laudat. — *forma potens*, vid. II, 5, 28. — *castae Palladis artes*, vid. I, 2, 27 sqq. — *avo*, intelligitur Ho-

Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero; in nostros curre, puella, sinus.
Tu quoque qui aestivos spatiosius exigis ignes,
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.
Nox mihi prima venit; primae data tempora noctis
Longius in primo, Luna, morare toro.
Foedera sunt ponenda prius, signandaque iura,
Et scribenda mihi lex in amore novo,
(Haec Amor ipse suo constringet pignora signo:
Testes sidereae tota corona deae.)

stius, belli Istrici scriptor, quod opus versibus constitisse patet ex fragmentis a Macrob. Saturn VI, 3 et 5 productis, et a Festo in voce *Tesqua*. — 10. *in nostros curre sinus.* Tibull. IV, 3, 24: *Et celer in nostros ipse recurre sinus.* Opposita formula Prop. I, 8, 38: *Non tamen illa meos fugit avara sinus.*

11–15. Elegans apostrophe ad Solem, quem rogat, ut diem faciat breviorem, et ad Lunam, quam rogat, ut noctem faciat longiorem, quo diutius ipse frui possit primis Cynthiae amplexibus. — *spatiosius exigis ignes*, hoc ipso tempore aestivo maiori spatio agis, ducis, ignes tuos, maius curriculum conficis. — *moraturae*, quae mihi tardius ire videbitur. - *venit*, instat. — *data tempora*, concessa, promissa. Casus quartus, qui a *morare* pendet. — *in primo toro*, quum mihi sit primus torus, prima nox. Sic λέχος, *lectus* v. 21 saepius dicitur pro nuptiis, ut ap. Eurip. Phoen. 49, 415; Soph. Trachin. 29, 164; Moschum Idyl. II, 160, et ipsam quoque συνουσίαν ac μίξιν notat. Vide Suidas h. v. — 15. Propertius, qui vs. 10 dixerat, *fidus ero*, vult coniugis sibi loco esse Cynthiam videri, saltem loco certae et stabilis concubinae. Itaque ad ritus nuptiales respiciens, *foedera*, *iura* et *legem* in amore novo commemorat, omninoque praeclare exornat et illuminat sententiam hanc: *irrupta copula*, irruptum amoris vinculum, nos coniunctos *teneat* Horat. Carm. I, 13, 18.

15–22. *Foedera - novo*, cohaerent haec verbis v. 19 *Quam multae* etc. — *Prius* sequente *quam ante*, pro antequam, priusquam, ut II, 25, 25; Tibull. I, 3, 9. — *ponenda*, componenda, Virg. Aen. X, 15, pangenda, facienda. — *signanda*, signo imposito firmanda. Metaphora a tabulis nuptialibus deducta. Vid. schol. ad Iuvenal. Sat. II, 119; III, 82; Petron. 109. - *lex* pro conditionibus, ut saepius. — 17. Exquisita fictione suum cum Cynthia pactum nuptiale, Cupidine signatore, et testibus Sideribus, Lunae velut ministris, confirmatum, dicit. Omnino autem solemne poëtis, *noctem*, *lunam*, *sidera*, in testimonium rei, noctu, absque consciis gestae, advocare. Vid. Mitscherlich. ad Horat. Epod. XV, 1. Sic et noctem atque lucernam appositam lusibus arcanis testes invocat Meleager Epig. 71: Νὺξ ἱερὴ, καὶ λύ-

Quam multae ante meis cedant sermonibus horae,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus.
Namque ubi non certo vincitur foedere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda deos.
Et quibus imposuit, solvit mox vincla libido.
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo qui tactas in foedera ruperit aras,
Pollueritque novo sacra marita toro;
Illi sint, quicunque solent in amore dolores,
Et caput argutae praebeat historiae.

*χνι, συνίϛορας οὔτινας ἄλλους Ορκους, ἀλλ' ὑμέας, εἰλόμεθ' ἀμφότεροι.* Vid. Iacobs Animadvv. ad Anthol. Gr. T. I, P. I, p. 87. – *Corona* proprie significat multitudinem, quae circumstat et cingit aliquem, Virg. Aen. IX, 508: h. l. ita dicuntur astra, quae currum *sidereae deae*, i. e. Noctis, comitantur et cingunt. Vid. Tibull. II, 1, 87; Theocr. Id. II, 165 sqq. *Qualibus adsurgens Nox aurea cingitur astris* Val. Fl. I, 43. – *quam ante cedant*, consumantur, vid. II, 15, 3. – *dulcia quam*, antequam *arma concitet*, IV, 1, 137; III, 10, 30. – *vincitur lectus*, nuptiae conficiuntur, amores iunguntur. – *certo foedere*, certis conditionibus, ut Tibull. IV, 13, 2. – *vigilanda* pro vigilata, nempe ab amante deserto et prodito. – *non habet deos ultores*, Venerem et Cupidinem 17, 20, quippe non sunt testes advocati ad amorem firmandum.

23–26. Quos coniunxit libido, non verus amor constrinxit, eadem eosdem statim separat ac dirimit. Passerat. – *contineant fidem*, teneant, servent stabilem perpetuamque reddant et firment. – *omina prima*, nam omina in nuptiis captabantur et auspices adhibebantur; unde *omina* etiam pro ipsis nuptiis, vel amore ponuntur, vid. Heyne ad Virg. Aen. I, 345 ubi legitur: *primisque iugarat ominibus*. Sic et h. l. Primi amores meam tibi fidem servabunt, i. e. quum tu prima me ocellis tuis ceperis I, 1, 1, tibi fidus ero v. 10. – 25. *rumpere aras*, eas violare. Vsus autem est hoc verbo poëta, quia praecessit *foedus*, quod proprie rumpi dicitur. – *tactas aras*, quia matrimonia contrahentes sacrificabant, et iurantes aram tangebant, Virg. Aen. XII, 200 sqq. Stat. Silv. III, 1, 184. Vid. Interpp. ad Iustin. XXIV, 2. – *tactas in foedera*, in, saepius finem et causam rei notat, ut h. l. vid. Heins. ad Claudian. in Rufin. I, 152.; Gronov. Obss. I, 9; Oudendorp. ad Lucan. II, 151. Sed *rumpere seu violâre aras in foedera tactas*, dictum est pro violare foedera in aris tactis pacta, sancita. – *pollueritque*, exquisite pro violaverit, nam usus est voc. *toro*: sed *novo toro* est h. l. novis nuptiis, amoribus. – *sacra marita*, maritalia, foedera pacta.

27–30. Iam utrique violati et rupti foederis poena constituitur; et v. quidem 27, 28 Cynthiae, vs. vero sqq. Propertio. – *praebeat caput*, se offerat, praebeat, sit ita infelix in

Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae.
Semper amet, fructu semper amoris egens.

## ELEGIA XXI

### AD CYNTHIAM

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas;
Vt me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellae.
Inde alimenta sibi maxima praebet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacunque fugari
Possit: at ex omni me premit ille deus.
Vix tamen aut semel admittit, quum saepe negavit:
Seu venit, extremo dormit amicta toro.

amore, ut argumentum praebeat fabulae, qua sub ficto nomine palam traducatur. - *argutae historiae*, fabulae venustae, lepidae. -29. *flenti* et excluso. -*Semper-egens.* Ovid. Metam. III, 405: *Sic amet ipse licet, sic non potiatur amato.* Semper sitiat, nunquam sitim amoris extinguat, sit *invenustus* (cuius amori non respondeatur, Terent. Andr. I, 5, 10) ἀναφρόδιτος. Anacr. XLVI, 4: Χαλεπώτερον δὲ πάντων Ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα.

ELEGIA XXI

Athenas profecturus, ut mutatione loci, studiorum varietate, adversos habens in amore deos (I, 1, 8) amorem obstinatum depellat, patriae, amicis, et Cynthiae valedicit. Conf. Argum. ad. I, 17, et III, 14.

1-8. *doctas Athenas*, ut I, 6, 13 — *crescit-puellae*, vid. I, 9, 27. — *cura*, amor, ut saepius. - *inde*, nempe spectando. Ovid. Met. I, 496: *sterilem sperando nutrit amorem.* Musaeus v. 94: Οφθαλμὸς δ' ὁδός ἐςιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων Κάλλος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει. —*quacunque* via vel ratione, quocunque modo. — *ex omni*, nempe parte. — *premit*, urget, mihi tanquam hostis instat, *ille deus*, Cupido. — *admittit*, nempe puella, *vix* me domum suam recipit, (sic *admittere* legitur I, 16, 19; Ovid. Am. I, 6, 72; A. A. III, 605 al.) — *aut semel*, postquam saepe exclusit. — *seu*, aut si *venit*, i. e. sui copiam dat, nihil amplius. Vid. ad II, 14, 20. — *extremo toro*, i. e. *extrema in sponda*, ut loquitur Horat. Epod. III, 22: diversa lecti parte extrema cubat, longe a me discumbit in lecto. — *amicta*, II, 15, 6. 17: exprimitur in universum sententia haec: lenta iacet, aspera est et frigida.

Vnum erit auxilium: mutatis, Cynthia, terris,
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
Remorumque pares ducite sorte vices;
Iungiteque extremo felicia lintea malo:
Iam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanae turres, et vos valeatis amici,
Qualiscunque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar aequoris hospes,
Cogar et undisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus, quum fessa Lechaeo
Sedarit placida vela phaselus aqua:

9-16. Aristaenetus I, ep. 12: φίλος τοσοῦτον, ὅσον ὁρᾷ τις ἐναντίον. Iam nautas impellit, ut navem in aequora propellant: *remorumque — vices*, per sortem divisi ad officia remigandi, pariter per pares vices remigate, alii aliis succedentes, vid. Virg. Aen. III, 510, ibique Servius. — 13. *iungite felicia vela*, i. e. quae aguntur ventis secundis; el. 17, 2, *vela secunda* dicuntur. - *extremo*, summo, *malo*. Ovid. Met. XI, 470: *Vela tamen spectat summo fluitantia malo.* — 14. *liquidum iter*, exquisite pro iter, cursum maritimum, navigationem, ὑγρὰ κέλευθα Homero. -- *aura secundat*, felicem praebet navigationem. Ovid. Heroidd. XIII, 136: *Blandaque compositas aura secundet aquas.* Iustin. XXVI, 3, 4: *quum secundante vento celeriter Cyrenas advolasset.* — 15. Vid. IV, 4, 35. *qualiscunque*, licet sis formosa, aspera tamen etiam et dura.

17-22. *Ergo*, indignantis, ut II, 8, 13. — *rudis hospes*, imperitus navigationis. — *undisonos deos*, ita vocantur dii marini praesertim quum in tempestate invocantur, ad imitationem Graecorum, quibus Neptunus ἁλίδουπος et βαρύκτυπος dicitur, vid. Dorvill. Obss. Miscell. T. II, p. 74. - 19-22. Sensus: maritimo itinere usque ad Lechaeum promontorium confecto, quod superest viae, pedibus absolvam. — *Ionium* saepe simpl. ponitur non addito vocabulo *mare*, ut el. 11, 72. Vid. Rutgers. Lect. Venus. c. 10. - *vectus phaselus*, dicitur ita navicula longior et angustior, mira velocitate insignis, vid. Vossius ad Catull. IV, 1. — *fessa vela*, longo itinere, ventorum impetu paene fracta; eleganter, quasi vela sentiant laborem: eodem modo Virg. Aen. I, 168 dixit *fessas naves*. — *Lechaeum*, portus et promontorium in sinu Corinthiaco. Vid. Callim. h. in Del. 271; Stat. Theb. VII, 97; Silv. II, 2, 35; Cellar. Geogr. Ant. II, 13, T. I, p. 1173 sqq. — *sedarit vela placida aqua*, quiescere fecerit in portu. — 21. *Quod superest*, viam reliquam per Isthmum faciendam, sufferte o pedes! *properate laborem*, laborantes properate. — *Isthmos*, Corinthiacus; dicitur autem isthmos, terra angusta inter duo maria. *Corinthus* im-

Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
  Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piraei capient me litora portus,
  Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic vel spatiis animum emendare Platonis
  Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis.
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,

ter duo maria, Aegaeum et Ionium, sita erat, unde *bimares terras* vocat Senec. Oed. 282. Add. Ovid. Fast. IV, 501; Horat. Carm. I, 7, 2; Mela II, 3.

23-28. Indicant hi versus Propertium iterum navigium conscendisse, quo Piraeum et Athenas contendit. - *Piraei*, Piraeus, Πειραιεύς, portus et emporium Athenarum, Cellar. Not. O. A. II, 13, T. I, p. 1150. - *litora*, Catull. LXIV, 74: *Egressus curvis e litoribus Piraei*, ubi *litora* pro portu, ut saepius. - *Theseae brachia longa viae*, significantur muri longi, a Themistocle exstructi, quia stadiorum 40 longitudine instar brachiorum Athenas Piraeo iungebant, et a Piraeo ad Athenas ducebant, vid. Strabo IX, p. 606 Almel.; Meursius in Piraeo c. 2; Iustin. V, 8. *Thesea via* dicitur, quod per Theseum a latronibus illa via purgata et liberata fuit, vid. el. 16, 12. -- *Illic vel* etc. ostendit literarum studia, *illic*, Athenis, sibi perfugium ac solatium praebitura esse, his tanquam armis se *deum illum* v. 6, Amorem, fugaturum esse. -- *spatiis Platonis*, Platonis schola erat in nemore, quod *silvas Academi* vocavit Horat. Epist. II, 2, 45: *Atque inter silvas Academi* (ambulando) *quaerere verum*. Respexit Horat. locum Eupolidis, laudatum a Toup. in Addenda ad Theocritum Wart. pag. 400: Ἐν *εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ*, hoc est ambulationibus. Timaeus: *δρόμοι· ἡ περίπατος*, ubi vid. Ruhnken. Fuerunt ergo in Academia *ambulationes*, grata arborum umbra amoenae, in his autem frondeis porticibus Plato cum discipulis inter ambulandum disputare solitus erat, et quum Platonis summa esset auctoritas, hinc factum, ut illae ipsae *academicae ambulationes* omnium ore celebrarentur, et οἱ τοῦ Πλάτωνος περίπατοι vulgo appellarentur. -- *Spatium*, de ambulatione, legitur Cic. Or. I, 7; de loco ubi ambulatur Cic. Fin. V, 1; Leg. I, 4; Stat. Silv. III, 5, 90; Conf. Obss. -- 26. *hortis tuis*, Epicurus Athenis in horto docere solebat, unde per hortum Epicuri saepius secta et disciplina ipsius declarari solet, v. Barth. Advers. XX, 20; Schrader. Emendatt. p. 31 seq. Senec. ep. 21; Plin. XIX, 4; Diog. Laërt. in vit. Epicuri. - *docte*, eodem nomine Epicurus insignitur a Petron. c. 132, neque hoc epitheton ad eruditionem referendum est, ab eruditione enim apud veteres non laudatur Epicurus, vid. Cic. pro Sext. 10; ad Div. XIII, 1; Pison. 29; de Fin. I, 7, sed ad illud philosophiae genus, quod sectabatur, ut quisque in sua arte *doctus* dicitur. -- 27. *Persequar* pro sequar, v. Graev. ad Cic. Offic. II, 24. - *studium linguae*,

Librorumque tuos, munde Menandre, sales.
Aut certae tabulae capient mea lumina pictae:
Sive ebore exactae, seu magis aere manus.
Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi,
Lenibunt tacito vulnera nostra situ.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore.
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

eloquentiam, per appositionem, *Demosthenis arma* vocat. Petron. c. 5: *ingentis quatiat Demosthenis arma.* – 28. *tuos librorum sales*, pro sales librorum tuorum, i. e. comoediarum; hypallage, poëtis inprimis, satis frequens. Sales Menandri, poëtae comici, Atheniensis, ita veteribus laudati fuerunt, ut dicerentur tincti et inundati esse eodem mari, ex quo Venus orta fuit, teste Plutarcho in Comparat. Aristophanis et Menandri. Ovid. Am. I, 15, 18: *Dum fallax servus, durus pater, improba lena Vivent, dum meretrix blanda, Menandrus erit.*

29–34. Saltem me spectantem delectabunt picturae et statuae nobilissimorum artificum. – *Manus*, de picturis et signis ex ebore vel aere factis frequenter occurrit, ut h. l. Stat. Silv. I, 3, 47 – 50: eodem sensu usurpatur quoque voc. χεὶρ, vid. interpp. ad Petron. 83; Cuper. Obss. II, 19; Salmas. Exercitt. Plin. in Solin. T. I, p. 372. – *profundi*, maris. – *tacito*, lento *situ*. Ovid. Pont. III, 7, 25 sqq.: *Curando fieri quaedam peiora videmus Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.* II, 2, 59: *Vulneris id genus est, quod quum sanabile non sit, Non contrectari tutius esse putem.* Trist. V, 12, 2: *Ne pereant turpi pectora nostra situ.* Dicitur autem *situs* de omnibus, quae tractu annorum paulatim minuuntur vel deteruntur. – 33. *Seu* aut si. – *fato*, repet. moriar, naturali necessitate.

# ELEGIA XXII

## AD TVLLVM

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindymus, et sacrae fabricata iuvenca Cybebae,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos.

### Elegia XXII

Tullum Cyzici amoenitate captum, diutius ibi commorantem, invitat, ut Romam redire velit. Et quo prius ac certius eum commoveat, in laudes Romae atque Italiae digreditur, ac pluribus demonstrat, hanc urbem, hanc regionem, reliquis urbibus et regionibus cunctis longe maximeque esse anteponendam. Praeterea in memoriam ei revocat, Romam, hanc sedem pulcherrimam, esse ipsius patriam, ubi vitam agere possit honestissime et suavissime. Caeterum hunc eundem de laudibus Italiae locum egregie quoque tractavit Virgil. Georg. II, 136 sq. Add. Horat. Epistt. I, 11.

1-4. *Cyzicus*, urbs Mysiae minoris ad Propontidem i. e. partem maris inter Hellespontum et Bosporum Thracium, in insula duobus pontibus continenti iuncta. Magnitudine, splendore, incolarumque frequentia quondam cum primis Asiae urbibus de principatu contendit, vid. Plin. H N. V, 32; Mela I, 19; Strabo XII, p. 861; Flor. III, 5; Apollon. I, 936. — *frigida* vocatur propter maris vicinitatem, unde aurae et spiritus frigidiores. — *Isthmos* intelligitur fretum illud, quo dividitur a continenti Cyzicus, pontibus tamen coniuncta. Ovid. Trist. I, 10, 29: *Inde Propontiacis haerentem Cyzicon oris, Cyzicon Haemoniae nobile gentis opus.* - 3. *Dindymus*, auctore Strabone XII, p. 862 Almel., mons Cyzico imminens. Plin. VI, 32: *Cyzicum, alio nomine Dindymis, cuius a vertice mons Dindymus.* Vossius, *sacrae fabricata iuvenca Cyb.* de iuvenca marmorea exponit, quae visebatur in sacello Matris deûm Cybebae, quod erat in antro montis Cyziceni, ἄρκτον ὄρος a Strabone dicti, in quo Magnae Matri et Attini fiebant taurobolia, vid. Voss. ad Catull. p. 161; Burm. Anthol. Lat. T. I, p. 32 sqq. Omnino signis et picturis Cyzicum nobilissimum fuisse declarat Cic. Verr. IV, 60. Caeterum ad *Dindymus* subintell. *qua*, vel *ubi est*. - 4. Respicitur ad Proserpinam, a Plutone, seu Dite raptam, cui Cyzicus sacra erat, vid. Lus. ep. 77 Anthol. Lat. T. II, p. 550. Et Vulpio monente, innuit Propertius, abreptam quidem e Trinacria Proserpinam, sed latam super mare usque ad Cyzicenam regionem; ibique terrae hiatu receptam, venerationem sui incolis reliquisse. Cui sententiae favet Orpheus in Argonaut. cuius verba attulit Natalis Comes Mythol. III, 16: Ἁρπάξας δ' ἔφερεν διὰ κύματος ἀτρυγέτοιο.

Si te forte iuvant Helles Athamantidos urbes,
Nec desiderio, Tulle, movere meo:
Tu licet adspicias coelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Gerionae stabula, et luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique, Hesperidumque choros;
Tuque tuo Colchon propellas remige Phasim,

5-10. Elegans et numeri plena oratio. Sensum bene constituit Burm. licet Hellesponti urbes, Atlanta, Gorgonas insulas, Gerionae habitationem etc. perlustres, tamen nihil invenies, quod Romae comparari possit, coll. v. 17. - *Helles Atham. urbes*, sunt urbes Hellesponti, nam Hellespontus ab Helle Athamantis filia nomen obtinuit, vid. not. ad II, 26, 5. – *Atlas*, Mauritaniae Tingitanae mons, cacumine nubes superans, ut coelum non modo attingere, sed et sustinere videretur, Herodot. III, 2. Vid. Heyne ad Virg. Aen. IV, 246. - *Sectaque-manu*, poëtice significantur ipsae insulae Gorgades, vid. Mela III, 9; Heyne ad Apollod. II, 4, 2, p. 302, ubi Gorgones habitarunt et Perseus Medusae, Phorci filiae, *ora*, i. e. caput amputavit, vid. ad II, 2, 8; 30, 4. Plin. V, 1: *Ibi regia Antaei, certamenque cum Hercule, et Hesperidum horti – per Autololum gentem iter est ad montem Africae vel fabulosissimum Atlantem – haec celebrari auctores prodidere, praeter Herculi et Perseo laborata ibi.* – 9. *Gerionae stabula*, intelligitur insula *Erythia*, Ἐρύθεια, Hispano litori ad Oceanum proxima, inter Gades et continentem sita, ubi Gerion imperasse dicitur, cuius armenta Hercules diripuisse et in Italiam abduxisse fertur, vid. Sil. Ital. VI, 629, et quos ibi laudavit Ruperti. Prop. IV, 9, 2, 17; Hesiod. Theog. 289; Apollod. II, 5, 10, ibique Heyne p. 385 sqq. -*et - Antaeique*, Antaeus gigas, cuius regia Irassa ad paludem Tritonidem, in Cyrenaica, qui hospites ad luctam provocavit, et tactu terrae, matris suae, novas vires collegit, ab Hercule vero in lucta superatus est, vid. Pind. Pyth. IX, 185; Lucan. IV, 590 sqq. Apollod. II, 5, 11, ibique Heyne p. 417 seq. Per *signa* autem, ut recte animadvertit Passeratius, indicantur vestigia luctae, velut in pulvere exstantia impressis pedibus, et toto utriusque corpore. Stat. Theb. VI, 899 de hac ipsa pugna: *Tandem pressus humi, pronamque extensus in alvum Sternitur, et longo moestus post tempore surgit Turpia signata linquens vestigia terra.* — *Hesperidumque choros*, de Hesperidibus, earumque hortis in Africa Cyrenaica, et aureis pomis, quae Hercules occiso pervigili dracone, Eurystheo ita iubente, abstulit, vid. Spanhem. ad Callim. hym. in Cer. 11; Hesiod. Th. 333 sqq. Apollon. IV, 1396; Heyne ad Virg. Aeneid. IV, 484; ad Apollod. II, 5, 11, p. 406-413. Per *Hesperidum choros* h. l. intelligitur regio, in qua habitarunt Hesperides, locus, ubi cecinerunt et saltarunt, choros duxerunt. Cecinisse eas ait schol. ad Apollon. l. c. et ab Hesiodo Theog. 275, λιγύφωνοι dicuntur.

11-16. Tu licet totum conficias iter,

Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae:
Et si qua Gygaei visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias:
Omnia Romanae cedent miracula terrae:
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxae:
Famam, Roma, tuae non pudet historiae.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat illa manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Vmbro

quod confecerunt quondam Iason et Argonautae, vid. notata ad I, 20, 17. – *tuo remige*, cum tuis sociis, vid. el. 12, 34; 21, 11. — *Peliacaeque trabis*, Catull. LXIV, 1: *Peliaco quondam prognatae vertice pinus*, intelligitur Argo navis, fabricata ex arboribus in Pelio Thessaliae monte, ubi silva erat pinifera, natis. -- *qua natat*, ubi natavit. – *columba*, scilicet cum columba, quae dux itineris fuit. Vid. ad II, 26, 39. – *pinus*, nempe arbor rudis antea. — *redacta in faciem*, i. e. formam novae prorae, sive, navigii novi. — 15. *visenda est*, nempe a te. – *Gygaei Caystri*, conf. Obss. *Cayster* sive *Caystrus*, fluvius Lydiae, *Gygaeus* dicitur a Gyge Lydorum rege haud ignoto, a quo etiam dicta in eo Lydiae tractu *Gygaea palus*, vid. III, 11, 18, cuius Homerus meminit Il. B, 865, et auctore Strabone XIII, p. 626, non procul ab eadem palude erat Caystrus fluvius, imo eiusdem Caystri ortus. Vid. Spanhem. ad Callim. hym. in Dian. 257. – *Et-vias*, Nilus significatur, vid. II, 1, 32. – *temperat*, fluvius, Nilus, quem *magnum* copiose *fluentem* dixit Virg. Georg. III, 28: in septem vias seu alveos divisus, cursum suum moderatur, et minus rapidum reddit.

17–26. Ovid. A. A. I, 56 de Roma: *Haec habet, ut dicas, quidquid in orbe fuit.* Cic. N. D. III, 6: *Nihil est mundo melius in rerum natura: ne in terris quidem urbe nostra.* — 19. Bellicosa, victrix, Roma, neque tamen gentibus devictis funesta, eas non delet. Hanc horum verborum explicationem ipse poëta offert v. 21. – *commoda noxae*, damno inferendo. Supra el. 11, 33: *Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus.* — 20. Non erubescit fama, quum res a te gestas praedicat. – *stamus* pro sumus, ut saepius; quantum ferro, tantum pietate, clementia valemus. – *illa*, nempe pietas, quae vi armatae opponitur. – *temperat*, moderatur, cohibet. — 23. Apostrophe ad Anienem. -- *hic*, in Italia. – *Anio*, sive *Anien*, *Tiburne*. Anio enim sive Anien prope Tibur de scopulis cadit, Ovid. Amor. III, 6, 45, per Tiburtinorum agrum decurrit atque in Tiberim defluit, vid. I, 20, 8. – *Clitumnus* fluit, vid. II,

Tramite, et aeternum Marcius humor opus.
Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis nympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastae,
Itala portentis nec furit unda novis.
Non hic Andromedae resonant pro matre catenae,
Nec tremis Ausonias, Phoebe fugate, dapes.
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,

19, 25. — *Marcius humor*, vid. ad III, 2, 11. — *Albanus lacus-ab unda*, in nemore Albano est lacus Albanus dictus; Virg. Aeneid. IX, 387: prope hunc est alius lacus, qui a poëta *Nemorensis* dicitur, propter nemus Aricinum Dianae consecratum, vid. not. ad II, 32, 10. Albanus autem et Nemorensis ab iisdem fontibus, unde *socii Nemorensis ab unda* nempe fluit. Vid. Strabo V, p. 366 sq. Almel. — *potaque - equo*, intelligit Iuturnam, lacum sive fontem (cuius scaturigines cum aliis fontibus communes sunt lacubus Albano et Nemorensi) *salubrem*, aegris utilem, Varro de L. L. IV, p. 20, apud quem visi sunt Castor et Pollux in bello Latino, suum equorumque sudorem abluentes. Val. Max. I, 8: *Castorem et Pollucem exsubuisse pro populo Romano cognitum est, quum apud lacum Iuturnae suum equorumque sudorem abluisse visi sunt. Iunctaque fonti aedes eorum, nullius hominis manu reserata patuit.* Add. Serv. ad Virg. Aen. XII, 139, ibique Heyne et eiusdem Excurs. III ad lib. VII. Pertinet et huc nummus a Torrentio ad Sueton. Ner. 1 productus, in quo Dioscuri equites hastati ex hoc fonte equos suos refocillant, cf. Vallantius in Num. Antiq. Fam. Rom. T. I, p. 305. Caeterum *Pollux* saepius ponitur pro utroque Dioscuro.

27 – 32. Postquam laudavit commoda et ornamenta, quibus Italia praedita est; recenset quoque mala et incommoda, quibus ea ipsa regio caret. Ornatissimi versus. In Italia, inquit, non adeo immania et terribilia monstra reperiuntur, ut in Aegypto et Africa. Compara Virg. Georg. II, 151 sqq. — *labuntur*, verbum de serpentibus proprium. — *cerastae* pro serpentibus et venenatis reptilibus quibusvis. — *furit unda*, docte pro mare commovetur et concitatur monstris, natantibus, belluis marinis. — *novis*, inusitatis et miris, nondum visis. 29 - 38. Ornate, pro, hic, in Italia, non tot ac tanta commissa sunt scelera et flagitia, quot et quanta aliis in terris commissa, fama tradit; hic, in Italia, pietas regnat. 20 -- 21. — *Andromedae* nomen primo loco posuit, quoniam ea, ut fabula tradit, ob matris Cassiopes superbiam, scopulo alligata, et *monstro marino* exposita fuit, vid. I, 3, 4. — *Nec-dapes*, quemadmodum horruisti Mycenaeas epulas. Respicit coenam Thyesteam; Thyestae filium Atreus socer epulandum apposuerat. Hygin. fab. 86 seq. Ovid. Heroidd. XVI, 205: *Non dabimus certe socerum tibi clara fugantem Lumina, qui trepidos a dape vertat equos.* — 31. Innuit fabulam Meleagri. Venationi apri Calydonii interfuerat quoque Atalanta, virgo Arcadica, cuius amore arsit Me-

Exitium nato matre movente suo.
Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae;
Nec solvit Danaas subdita cerva rates.
Cornua nec valuit curvare in pellice Iuno,
Aut faciem turpi dedecorare bove:
Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis
Saxa, et curvatas in sua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec est pulcherrima sedes.
Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
Spes, et venturae coniugis aptus amor.

leager, qui aprum interfecit, atque exuvias et dentes Atalantae donavit; haec victoriae signa Atalantae eripuerunt, Althaeae, matris Meleagri fratres, eosque Meleager interfecit. Sed Althaea, caede fratrum comperta, stipitem fatalem, cui vita Meleagri obnoxia a Parcis facta, flammis comburit, quo ardente absens Meleager uritur et exstinguitur. Vid. Apollod. I, 8; Anton. Lib. c. 2; Hygin. fab. 174; Homer. Il. I, 539; Callim. hym. in Dian. 216; Ovid. Met. VIII, 260 sqq. -- *absentes ignes*, ut ap. Ovid. Ib. 601: *Natus ut Althaeae flammis absentibus arsit, Sic tuus ardescat stipitis igne rogus.* - *Movere exitium* pro exitii auctorem esse, vid. Drakenb. ad Sil. XIV, 141.

33 -- 42. *Penthea*, vid. el. 17, 24; Theocrit. Id. XXVI, 10 sqq. -- *in arbore*, pro, inter arbores, in silva, ut saepius. -- *Nec - rates*, vid. not. ad el. 7, 24. -- *Cornua nec valuit* etc. vid. II, 28, 17. - *Arboreasque cruces Sinis*, suppl. hic non valuit curvare, ex praeced. *Sinis*, latro famosus, in Isthmo habitans, duabus inflexis pinubus, (*arboreas cruces* noster vocat) homines alligare solebat, (unde πιτυοκάμπτης dictus) quibus subito dimissis, illi foede lacerabantur. Eodem mortis genere affectus est a Theseo, unde h. l. additur: *et curvatas in sua fata trabes*, i. e. in suam ipsius perniciem flexas arbores. Ovid. Met. VII, 440 sqq. *Occidit ille Sinis, magnis male viribus usus; Qui poterat curvare trabes, et agebat ab alto Ad terram late sparsuras corpora pinus.* Vid. Hygin. fabula 38; Apollod. III, 16, 2; Valcken. ad Eurip. Hippol. 977. -- *et non hospita*, inhospitalia ob Scironis feritatem, *Graiis saxa* intelliguntur saxa Scironia, vid. ad el. 16, 12. Caeterum est ἀνακόλουθον in hoc distich. -- 40. Hic tibi ambiendi sunt honores et magistratus capiendi, prout splendor et dignitas gentis tuae postulat. -- 41. *hic tibi ad eloquium cives*, i. e. cives qui tuam eloquentiam audiant, vel quos facundia tua iuvare possis. -- *ampla nepotum spes*, ut ap. Virg. Aen. II, 503: haud raro autem filii et nepotes parentum *spes* dicuntur, vid. Burm. ad Anthol. Lat. T. II, p. 67 sqq. - *aptus amor*, cuius nunquam te poeniteat; contra *ineptus amor* dicitur cuius aliquando nos poeniteat. Tibull. I, 4, 24.

# ELEGIA XXIII

## DE TABVLIS PERDITIS

Ergo tam doctae nobis periere tabellae,
  Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
  Qui non signatas iussit habere fidem.
Illae iam sine me norant placare puellam;
  Et quaedam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum;
  Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescunque mihi semper mansere fideles;
  Semper et effectus promeruere bonos.
Forsitan haec illis fuerant mandata tabellis:

Elegia XXIII

Tabellarum, quas ad Cynthiam miserat, quaeque, quum ab ea remissae essent, perditae fuerunt, iacturam dolet. Compara Ovid. Amor. I, 12.

1–10. *doctae*, ἀγαθαὶ, vid. Fischer. Ind. Aeschin. h. v. disertae, v. 5 sq. – *tabellae*, pugillares, diptycha, vid. Heins. ad Ovid. Am. I, 12, 27; Rutgers. Var. Lect. VI, 18; Iuvenal. IX, 36. – *quibus pariter*, cum quibus una, simul. – *bona*, nempe responsa puellae noctem promittentis, quae infra commemorantur. – 3. Tabellas ceratas non ad unam tantum scriptionem adhibebant; innovabatur nimirum earum area obtusiore stili parte, ut novae scriptioni fieret idonea. Vvlp. Has igitur tabellas, ultro citroque missas, et quibus remissis responsio inscribebatur, adeo detriverat Propertius continuo usu, ut facile intelligeret Cynthia, a quo missae essent, etiamsi poëtae nomen non inscriptum, nec eius signo signatae essent. – 6. Quin illae tabellae visae tantummodo, silentio ipso satis diserte loquebantur, iratam puellam demulcebant, etsi ne verbulum quidem iis inscriptum esset. Minus recte Passeratius: tabellae supplices, quum abessem, didicerant iratam lenire. – 7. Lamellae aureae affixae eas pretiosas non reddiderant. – *sordida*, apposite, quia tabellae longo manuum usu detritae erant, adeoque sordes contraxerant. – *vulgari buxo cera*, tabellae fuerunt ceratae e vili buxo. – – 9. *Qualescunque*, licet viles, tamen mihi semper fideles extiterunt, *et*, nempe fuerunt effectrices voluptatum, et puellam exorarunt. – *effectus bonos*, felices, optatos.

11–18. Iam ipsa verba affert, quae

«Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quae visa est formosior? an tu
Non bene de nobis crimina ficta iacis?»
Aut dixit: «Venias hodie, cessabimus una:
Hospitium tota nocte paravit Amor.»
Et quaecunque volens reperit non stulta puella,
Garrula quum blandis ducitur hora iocis.
Me miserum, his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, et citus haec aliqua propone columna;
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

intabellis remissis, sed deperditis, a Cynthia scripta fuisse existimat. — *mandare* h. l. nuntio, scripto indicare, ut Cic. Catil. III, 2, 4. — *lente*, I, 6, 12. — *nescio quae*, nominare eam dedignatur Cynthia, contemtus causa III, 6, 25; I, 3, 44. — *crimina iacis*, ut verba iacere II, 1, 77 crimina falsa mihi affingis v. II, 29, 31 sqq. — *cessabimus*, otiosi indulgebimus amori, vid. I, 11, 1; Ovid. Amor. II, 18, 3. Similis locus Prop. II, 33, 22. — *hospitium* — *Amor*, sic Venus noctis sacra instituit supra el. 10, 30. — *Et*, repete dixit. — *volens*, i. e. cupiens, parata. *Velle* verbum amatorium; oppos. negare. — *non stulta*, callida. — *reperire* pro excogitare, ut *carmina labore reperta* Lucret. III, 420. Add. Plaut. Pseudol. I, 4, 8. — *garrula hora*, quae garriendo consumitur.

19—24. *his*, nempe tabellis. — *rationem*, scilicet accepti et expensi. — *ephemeris*, commentarius rerum, quas quotidie facimus, diarium, *Iournal*. Mos autem fuit Romanorum, ut singuli rerum suarum tabulas diligentissime conficerent; *diurnos commentarios* vocat Sueton. vit. Aug. 64; Seneca ep. 123: *Quotidie sobrius prodis; sic coenas, tanquam ephemeridem patri approbaturus*. Add. Cic. Quint. 18, h. l. *ephemeridas* vocat poëta commentarios foeneratoris, in quibus summas pecuniae foeneratae perscribit, et lucra et damna computat. Sic Ovid. Am. I, 12, 26: *Inter ephemeridas melius tabulasque iacerent, In quibus absumtas fleret avarus opes*. Caeterum *duras* nominat, in oppositione ad tabellas amatorias, ob avarorum duritiem. — 21. Instar praeconis Propertius proponit mercedem inventori, si quis deperditas tabulas ad se referat, idque columnae, ut moris erat, proponere ac promulgare servum iubet. Laudat hanc in rem Burm. locum Apuleii Met. VI, p. 93. — *divitias* pro auro, praemio indicii. Sic *divitiae* de ornatu sumtuoso Ovid. Fast. IV, 136; de muneribus splendidis Liv. XXVI, 11. — *ligna*, tabellas buxeas. — *Esquiliae*, mons et vicus urbis Romae, ubi habitavit Propertius. Vid. IV, 8, 1.

## ELEGIA XXIV

### AD CYNTHIAM SVPERBIENTEM

Falsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
  Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
  Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi saepe figura;
  Vt, quod non esses, esse putaret amor.
Et color est toties roseo collatus Eoo,
  Quum tibi quaesitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
  Eluere aut vasto Thessala saga mari.

ELEGIA XXIV

Initio huius elegiae ingenuo nitore commendabilis, Cynthiae iratus, se ipsum incusat poëta, quod olim, amore occaecatus, huic puellae nimium versibus suis tribuerit; eamque temere forma et illecebris suis confidere contendit. Gratulatur deinde sibi, quod tandem ab amore Cynthiae insano animum receperit; animique aequitatem et constantiam sibi a Bona Mente expetit.

1–8. *oculis meis*, i. e. oculorum meorum iudicio, quo tuam olim formam probavi. Ovid. Heroidd. XVII, 125: *Contenta est oculis hominum mea forma probari.* – *tales*, tam eximias, vid. Burm. ad Phaedr. III, 9, 6; Petron. 16; Heins. ad Ovid. Fast. V, 460. Sic τοῖος apud Graecos, vid. Spanhem. ad Callim. hym. in Dian. 146. – *pudet*, subint. me. Compara Tibull. I, 9, 47 sqq. – 5. Ordo: laudavi te saepe, tanquam mixtam varia figura: nam pulchritudo e variis componitur partibus; *figura*, forma, pulchritudo. Sensum bene constituit Burm.: amor, puellarum vitia in virtutes convertens, sibi plures in te animi et corporis dotes esse fingebat, et fuco adscito pulchrior videbaris, quam revera eras. Theocrit. Id. VI, 18 seqq. — τῷ γὰρ ἔρωτι Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. – 7. Exemplo rem illustrat. Saepius, inquit, colorem tuum comparavi cum colore orientis Aurorae roseo. – *quaesitus candor*, nempe arte, fuco et pigmentis.

9–12. A quo amore, et sentiendi ratione, nihil me liberare potuit; neque amici, vid. I, 1, 25, neque Thessala saga, I, 5, 6, neque ferrum, ignis etc. Scilicet v. 10, ornatum orationis petiit poëta ab antiqua vulgi superstitione, qua artibus magicis, non tantum amorem inspirandi, sed ab eodem quoque liberandi vim tribuebant, vid. interpp. ad Horat. I, 27, 21. – *vasto mari*, i. e. maxima magicarum aquarum copia; vid. IV, 1, 106; ad expiationem h. l. rem poëta traduxit; et aqua marina sive fluviali

Haec ego non ferro, non igne coactus, et ipsa
  Naufragus Aegaea vera fatebar aqua.
Correptus saevo Veneris torrebar aheno;
  Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae,
  Traiectae Syrtes, anchora iacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
  Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.
Mens Bona, si qua dea es, tua me in sacraria condo.
  Exciderint surdo tot mea vota Iovi.

scelera apud veteres expiandi mos notus est, vid. Manut. ad Cic. Rosc. Amer. 26; Barnes. et Musgrav. ad Eurip. Iphig. Taur. 1193. -- 11. Ad haec fatenda, nempe te non esse pulchram, falsam esse istam tuam fiduciam formae, antea nihil prorsus me cogere potuisset. Hanc sententiam ita exornat poëta, ut enumeret singulas res, quae summum alias terrorem iniicere, et ad delictorum confessionem cogere homines soleant, nempe *ignem* et *ferrum*, tormenta, vid. Tibull. I, 9, 21: et *naufragii periculum*, vid. II, 26, 3; add. I, 17. Similis locus Horat. Sat. I, 1, 39: *quum te neque fervidus aestus Dimoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum.*

13 – 20. Sententia nuda et simplex v. 13 sqq. Adeo amore implicitus eram, ut neutiquam liberum de Cynthia iudicium ferre possem. – *saevo – aheno*, vid. ad el. 6, 39; Ovid. el. de Nuce v. 177: *Si merui, videorque nocens, imponite flammae, Nostraque fumosis urite membra focis.* -- 14. *Vinctus - manus.* Tibull. I, 8, 5: *Ipsa Venus magico religatum brachia nodo Perdocuit multis non sine verberibus.* Vid. ibi Heyne. – 15. Elegans imago, qua ostendit, se post varios casus, post tot discrimina rerum tandem resipuisse, animumque ab insano Cynthiae amore recepisse. -- *coronatae carinae*, pro more nautarum maritimo itinere feliciter decurso, vid. Virg. Georg. I, 304; sed et nautae ipsi tunc coronati apparebant, Suet. vit. Octav. 98. -- *anchora iacta*, stat navis firma in portu, servatus sum. Terent. Andr. III, 1, 21: *ego in portu navigo*, i. e. securus sum. -- *vasto aestu*, ingenti maris agitatione v. 10. *vastum mare* intelligit *aestum amoris*, ut loquitur Ovid. Am. III, 5, 36. – *ad sanum coiere*, idem quod *ad sanitatem venit curatio* ap. Phaedr. V, 6, 12: ita adiectiva neutra, Graecorum more (εἰς ἀναιδὲς pro εἰς ἀναίδειαν, Soph. Philoct. 84) saepius pro substantivis poni solent. – 19. *Mens Bona*, tanquam dea culta, vid. Lips. ad Senec. ep. 10; Casaub. ad Pers. Sat. II, 8; Cuper. Obss. II, 17. – *condo*, verbum sacrorum; *condi* dicuntur res sacrae in sacrariis, ad quae nullus profanis accessus. Gell. Noct. Att. XIX; Plin. XXXIII, 1, 6. — *exciderint*, permissive, non curo tot mea vota hactenus excidisse, a Iove neglecta fuisse, ipse mihi aequum animum parabo et confirmabo Bonae Mentis ope. Sic et supra II, 16, 48, Iupiter *surda negligere aure preces* dicitur.

# ELEGIA XXV

## AD CYNTHIAM

Risus eram positis inter convivia mensis,
  Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:
  Vngue meam morso saepe querere fidem.
Nil moveor lacrymis; ista sum captus ab arte.
  Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum iniuria vincit.
  Tu bene conveniens non sinis ire iugum.
Limina iam nostris valeant lacrymantia verbis,
  Nec tamen irata ianua fracta manu.

### Elegia XXV

Scripta est haec elegia eodem tempore, quo el. 24, et eiusdem est argumenti. Cynthiae valedicit poëta, eique malam senectutem imprecatur.

1-10. Insanus meus Cynthiae amor me amicis, ac toti populo deridendum traducendumque praebuit. — *Risus eram*, pro ridiculus, Graecorum more; sic γέλως pro γελοῖος, γελοῖα, Lucian. Dial. Mort. XIV, 5: ταῦτα γέλως ἦν τοῖς ὁρῶσι. — *positis*, pro appositis, v. Barth. ad Stat. Theb. I, 519; Prop. II, 3, 17. — *mensis*, pro cibis, ut Gr. τράπεζα. — *servire*, ut δουλεύειν, esse verbum de amatoribus proprium, vel pueris notum. — *Vngue morso*, graphice, ungues rodere, gestus dolentium et iratorum, vid. II, 4, 3. — *fidem queri*, i. e. inter querelas testari, querula voce laudare et celebrare. Sensum recte constituit Passeratius: valde tibi dolebit, quod tam fidelem amiseris tua culpa. — 5. *ab arte*, ab redundat, *captus*, deceptus, in fraudem inductus sum. Ovid. Heroidd. II, 51 sqq. *Credidimus lacrymis; an et hae simulare docentur? Hae quoque habent artes, quaque iubentur eunt?* Add. Iuvenal. VI, 273 sqq. — *ab insidiis*, pro ex insidiis, ἐξ ἀπάτης. Sic Cic. ad Div. XI, 10: *a certo sensu et vero iudicare*, pro ex certo, vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. — 7. *Sed fletum iniuria vincit*, iniuria a te mihi illata lacrymas supprimet. Vid. II, 5, 15. — *Tu-iugum* metaphora desumta ab equis pariter in iugo currentibus, vid. ad I, 5, 2. — *nostris lacrymantia verbis*, ad verba nostra, exclusi amatoris misericordia tacta, lacrymantia. Scilicet limina fletu amantis rigata (vid. Ovid. Am. I, 6, 18; Persius V, 167) et ipsa flere videntur ac poëtice dicuntur. *verba nostra*, de carminibus querulis capiendum, de quibus supra I, 16, 10. — *fracta*, nempe securibus et facibus admotis, vid. Theocrit. Id. II, 127; Horat. Carm. III, 26, 7.

At te celatis aetas gravis urgeat annis,
  Et veniat formae ruga sinistra tuae.
Vellere tum cupies albos a stirpe capillos,
  At speculo rugas increpitante tibi.
Exclusa inque vicem fastus patiere superbos,
  Et, quae fecisti, facta quereris, anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
  Eventum formae disce timere tuae.

11–18. *Celatis annis*, tacite adlabentibus, et te subito opprimentibus. Ovid. Fast. VI, 771: *Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis*. Trist. III, 7, 35: *Iniicietque manum formae damnosa senectus; Quae strepitum passu non faciente venit*. – 12. Rufinus Anthol. Graec. VII, ep. 134: Ω ῥυτίδες, καὶ γῆρας ἀνηλεὲς, ἔλθετε θᾶσσον. – 13. Compara Tibull. I, 8, 45 sqq. – *a stirpe vellere*, i. e. funditus evellere, simul cum stirpe, ut Virg. Georg. I, 20. Sed *capillos albos vellere* omnino positum est, pro adscititia elegantia formam adoptare. Annos celare posse cupies, sed speculum rugas tolli nescias tibi exprobrabit. – 15. Ante oculos habuit hunc locum Ov. Art. Am. III, 69: *Tempus erit, quo tu, quae nunc excludis amantem, Frigida deserta nocte iacebis anus* etc. – 17. *fatales diras*, fato tibi destinatas. – *pagina* pro carmine, frequens nostro II, 21, 1; XXXIV, 89; III, 1, 18. – *eventum formae*, quod formae tuae eveniet, rugas intelligit, albosque capillos.

# SEX. AVRELII PROPERTII

# ELEGIARVM

## LIBER QVARTVS

## ELEGIA I

### DE VRBE ROMA

Hoc, quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est,

ELEGIA I

Propertius, qui libro quarto (ab amico quodam post mortem poëtae reliquis elegiarum libris, ut videtur, adiecto, vid. II, 13, 25. Vit. Prop. Chronol. ad A. 731) maximam partem res serias et graves pertractat, videtur Fastorum libros Heroidumque epistolas conscribere voluisse, conf. praeter hanc, eleg. 2, 3, 10, etc. sed postea hoc consilium abiecisse, et illam consilii sui mutationem hac ipsa prima libri quarti elegia declarasse. Nempe eleganter fingit, se Babylonio astrologo, recens urbem ingresso, cuncta demonstrasse, eum historiam, atque res patriae memorabiles docuisse, eique hac occasione aperuisse, se primordia Romae, sacra diesque, et cognomina prisca locorum, carmine persequi velle, ab astrologo vero admonitum esse, ut intra ingenii cancellos consisteret, et elegos tantum scriberet. — Iam quod ipsas carminis huius virtutes attinet, mire inprimis afficit animum simplicitatis vitae priscorum Romanorum descriptio, cui praeclare subtexuit poëta splendoris et luxuriae suorum temporum imaginem, atque nihil in illa ipsa descriptione deprehenditur, quod non ad sensum sive visus, sive auditus accommodatum sit. Praeclare porro servata est ἠθοποιΐα in astrologo, vid. vs. 77, 83, 103, 119, qui ea omnia promit, quae huius generis homines proferre solent, ut se et artem suam tanquam certissimam ac praestantissimam commendent. Caeterum perquam credibile est, Ovidium lectione elegiarum huius lib. IV, quas supra laudavimus, excitatum esse, ut Fastorum libros Heroidumque epistolas conscriberet.

1–4. *Hospes* intelligitur astrologus ille, nuper demum urbem ingressus. — *qua m. R. est*, ubi nunc conspicitur

Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit.
Atque ubi Navali stant sacra palatia Phoebo,
Evandri profugae concubuere boves.
Fictilibus crevere Deis haec aurea templa,
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,

urbs maxima. Ovid. Fast. V, 95 sqq. *Hic, ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbae, Et paucae pecudes, et casa rara fuit.* – *ante Phrygem Aeneam*, ante Aeneae Troiani adventum in Latio. – *collis et herba*, colles herbosi. Nota forma dicendi. – *stant*, ardua conspiciuntur, surgunt. – *sacra Ph. palatia* pro sacrum palatium, significat aedem Apollinis in monte Palatino (vid. Heyne Excurs. I. ad Virg. Aen. VIII) quam Augustus A. V. DCCXXVI, propter navalem ad Actium de Antonio et Cleopatra reportatam victoriam Apollini, cui hanc victoriam tribuebat, (unde *Navalis* dicitur) exstruxerat, vid. Dio Cass. LIII, 1; Prop. II, 31; Gronov. Obss. I, 3. – *Evandri*, Evander, Arcas, Pallantis regis Arcadiae nepos, patria pulsus domesticis seditionibus et intestinis discordiis, in Italiam appulisse dicitur LX annos ante Troiam captam, sub Fauno Latinorum rege. Vid. de eo Liv. I; Ovid. Fast. I, 469 sqq. Heyne l. c. – *profugae boves*, eleganter pro domini profugi boves, actae a domino profugo. Solent autem Graeci aeque ac Latini, quum animantes et bestiae, qua tales spectantur, non qua mares et foeminae, foeminas virili genere appellare, et attributa foeminina adhibere. Sic Hom. Od. Z, 133: ἀγροτέρας ἐλάφους. Pind. Olymp. I, 66: χρυσέαισι ἵπποις. inf. vs. 22: *macrae boves*. Vid. Fischer. Animadv. ad Weller. tom. I, pag. 370; ad Aristoph. Plut. 156; Drakenb. ad Sil. Ital. III, 39; Burm. ad Valer. Fl. VI, 347. – *concubuere*, simul cubuere, ut infra el. 8, 36, eodem sensu *concubitus* legitur.

5–8. Praeclara sequitur priscae Romanorum simplicitatis et frugalitatis descriptio. Compara Ovid. Fast. I, 199 sqq. III, 179 sqq. Horat. I, 12, 40 seqq. Iuvenal. XIV, 160 seqq. Tibull. II, 5, 25. sqq. Fictilibus antea diis exstructa sunt haec aurea templa, quibus olim non opprobrio, non dedecori erat sine arte casa, aedes exigua. Tibull. I, 10, 20: *Stabat in exigua ligneus aede deus.* Ovid. Fast. I, 201: *Iupiter angusta vix stabat totus in aede, Inque Iovis dextra fictile fulmen erat.* Et ut Tibullo *ligneus deus* est statua dei lignea, ita *fictiles dii* sunt Propertio statuae, imagines e luto formatae, Propert. III, 3, 29: *Sileni patris imago Fictilis.* – *aurea*, aurata, multo auro ornata II, 31, 1. Virg. Aen. VIII, 347: *sine arte casa*, de Romuli casa, quam intelligit Burm. vs. demum 9 sermo est: intelliguntur potius aediculae deorum e rudibus lignis exstructae. – 7. *Tarpeiusque pater*, Iupiter arcis Tarpeiae praeses, qui postea Iupiter Capitolinus est dictus. Ex illa rupe tempestates et fulmina oriri credebantur, vid. Barth. ad Claudian. pag. 726. – *nuda de rupe*, inornata, nondum Capitolio ornata. Virg. Aen. VIII, 347: *hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit Aurea nunc*,

Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Qua gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
Vnus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato saepe senatus erant.

*olim silvestribus horrida dumis.* — 8. *Tiberis advena*, ἄποικος, *erat*, sensum bene expressit Knebel: Unsern Stieren floss ferne die Tiber vorbey. Significare nimirum voluit his verbis poëta, angustis limitibus tunc temporis circumscriptum fuisse Romanorum imperium; Tiberim, nunc fluvium urbanum, ab initio extra territorium Rom. fluxisse. — *advena Tibris*, tanquam peregrinus, ut Ovid. Fast. II, 68; III, 524.

9–12. *Qua*, ubi, *ista* δεικτικῶς. — *gradibus*, gradatim, per gradus. — *sustulit*, ἀορίστως pro tollit. — *domus Remi*, intelligitur casa Romuli, quam conservarunt Romani, reficientes quod vel tempestate, vel vetustate collapsum esset, culmis tamen semper et stramine. Vid. Vitruv. II, 1. Ov. Fast. III, 183 sqq. *Quae fuerit nostri si quaeris regia nati, Adspice de canna straminibusque domum.* Seneca Controv. II, 1: *colit etiamnum in Capitolio casam victor omnium gentium populus.* — *Remi* pro Romuli, vid. ad II, 1, 23. Sensus: in ista domo, ad quam per gradus adscendendum est, olim Romulus et Remus una habitarunt. Sed longe ornatius scripsit poëta: *unus focus*, domus, Catull. LXVIII, 102, al. — *fratrum maxima regna*, satis ampla et magnifica duobus fratribus erat possessio (nam *regnum* saepius dicitur pro possessio, Auson. Id. III, 1: *Salve, herediolum, maiorum regna meorum* etc. Vt *regnare* pro possidere, vid. Mitscherl. ad Horat. Carm. III, 16, 32) vel potius, loco amplissimi, maximi regni, quod nunc est Romanum, iis erat tantum communis focus. Similis fere locus I, 2, 24: *Illis satis ampla forma pudicitia.* Passeratius minus recte per *Remi domum* Romam ipsam intelligit. — 11. *praetexto senatu*, i. e. praetextato, praetexta induto, sed magistratus tantum praetextati erant, senatoribus tunica laticlavia propria erat, itaque poëta, ut Ferrarius de re vest. II, 4, pag. 141, monuit, a parte nobiliori senatum appellavit *praetextum*, vel latiori sensu hoc vocabulum est capiendum, de tunica latis clavis purpureis praetexta. — *pellitos patres*, pellibus pro vestibus tectos, ut pastores et aratores, vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. Claudian. locum nostrum respiciens: *Crinigeri sedere patres pellita Getarum Curia*, Bel. Get. 481. — *rustica corda*, appositio; idem quod rusticos, aratores incultos. Caeterum compara locum Lactant. Instit. Divin. II, 6.

13–16. *Cogebat ad verba*, ad concionem vocabat. Dion. Hal. II, p. 83: τοὺς δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς, καὶ ἀθρόοι κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες, ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. — *centum illi* a Romulo lecti patres, vid. Liv. I, 17; Serv. ad Virg. Aen. VIII, 105. — *saepe in prato*, coëuntes, *senatus*

Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,
Pulpita solennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
Quum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,
Qualia nunc curvo lustra novantur equo.

*erant*, constituebant senatum, et de republica consultabant. –15. Ov. Art. Am. I, 103: *Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro: Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.* De velis theatrorum vid. III, 18; 13, 19, ubi *fluitantia vela* dicuntur; Plin. H. N. XIX, 2; Lipsius de Amphith. cap. 16. – *Pulpita*, Gloss. Cyrill. *Pulpitum* λογεῖον τὸ τοῦ θεάτρου· suggestus in theatro, ubi histriones fabulam agere solebant, vid. Scalig. de poët. I, 21, h. l. pro ipso theatro legitur. - *non oluere crocos*, vid. III, 10, 22; intelligendum de croco aqua diluto, et per fistulas latentes in altum emisso, qui roris instar descendens sedilia conspergebat, et populum in theatris reficiebat. Seneca ep. XC: *qui invenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat.* Conf. Martial. IX, 38; XI, 9; Lips. l. c. Oudendorp. ad Lucan. IX, 808: Fabric. descriptio urbis Romae in Thes. Ant. Rom. Graev. tom. III, pag. 438. *oluere crocos* ut Horat. Sat. I, 2, 27, *Pastillos Rufillus olet;* cum ablat. infra el. 7, 32: *Nardo oluere.* Caeterum *solemnes* vocat, quoniam in omnibus spectaculis id fieri consueverat, monente Lipsio l. c.

17-20. Maiores nostri pietate et cultus deorum simplicitate nobis antecellebant, religionis patriae amor florebat, non erant novarum rerum cupidi, neque eorum animi peregrinorum deorum metu coërcendi erant: vs. 18 continet causam sententiae vs. 17 propositae. –*tremeret*, revereretur, verbum hac in re proprium. – *pendula*, nempe patrio sacro; dedita, attenta, ut in formula *pendetque viri narrantis ab ore* Virg. Aen. IV, 79; vel *tremeret pendula*, h. e. ut Passer. explicat: suspensa deorum metu et religione.– 19. *Palilia* s. *Parilia* (utraque scriptura usu firmata, vid. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 721) celebrabantur a. d. XI Kalend. Maii (vid. Taubneri Index in Ovid. Fast. sub h. v.) qui idem dies erat urbis Romae natalis (vid. Prop. IV, 4, 73 sqq.) in honorem Palis, deae pastoritiae, pro felici pabuli proventu et incolumitate pecoris, vid. Festus in *Pales*; Varro L. L. V, 3. Sacris Pali peractis, congestis cum foeno stipulis ignem accendere solebant pastores et coloni, flammasque non modo pecus transilire cogebant, sed et ipsi quoque transiliebant, hoc modo se expiari credentes. Tibull. II, 5, 89 sqq. *Ille levis stipulae solemnes potus acervos Accendet, flammas transilietque sacras.* Adde Prop. IV, 4, 77. Conf. Cerda ad Virg. Aen. VIII, 631; Casaubon. ad Pers. Sat. I, 72, pag. 115, 116. – *Lustra* h. l. vocat Palilia, quia in iis urbs quoque lustrabatur. Sensus: Nulli cura fuit (vs. 17) illis temporibus, per talia tamque magnifica Palilia urbem lustrare, lustrationem urbis quotannis renovare, per qualia nunc id fieri solet; tunc *foeno* tantum

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis:
  Ducebant macrae vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci:
  Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator,

*accenso* lustrabant, nunc *equi curvi* (alludit ad equi immolationem, ut recte observavit Beroaldus, qui curvatus mactabatur) sanguine. Ovid. Fast. IV, 731: *I, pete virginea, populus, suffimen ab ara: Vesta dabit, Vestae munere purus eris. Sanguis equi suffimen erat, vitulique favilla, Tertia res durae culmen inane fabae. Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustrat.*

21–24. *Gaudebat*, contenta erat Vesta, panibus coronari asellum, in memoriam conservatae (clamore aselli, qui ipsam somno oppressam excitarat) pudicitiae, cui Priapus insidiatus fuerat. Vid. Lactant. Instit. Div. I, 21. Ovid. Fast. VI, 311: *Venit in hos annos aliquid de more vetusto, Fert missos Vestae pura patella cibos. Ecce, coronatis panis dependet asellis; Et velant scabras florida serta molas.* Hinc Vestae *delicium est asinus* apud auctor. Copae vs. 26. Vid. Burm. Anthol. Lat. tom. II, pag. 716. — *ducebant*, nempe curru ad templa. — *sacra vilia*, simulacra e vili materia confecta; *fictiles deos* supra vs. 5 vocavit. *Sacra ducere*, ἱερὰ ἄγειν Virg. Aen. VIII, 665: *castae ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus.* — 22. *macrae boves*, cum dilectu, laboribus, aratro attenuatae. — 23. In compitis festa peragebantur *compitalia*, vid. Taubneri Ind. in Ovid. Fast. h. v. immolabantur laribus compitalibus *porci saginati*, non enim aedibus tantum et focis, sed et compitis lares praeesse credebantur. Vid. interpp ad Sueton. vit. Octav. 31; Vulpius ad Tibull. I, 1, 20. — *lustrabant*, expiabant, purgabant. — *Parva compita* dicuntur Barthio, quoniam ipsa sacra Compitalitia parvo sumtu instituebantur et celebrabantur. Ego vero crediderim illa eodem sensu *parva* dicta esse, quo supra vs. 8. Tiberis dicebatur *bubus nostris advena*. — 24. *exta litabat*, litare est, sacrificio facto placare numen, ut ait Macrob. Sat. III, 5; numen vero esse placatum, inde apparebat, si bona exta reperta erant, vid. Gronov. ad Liv. VIII, 9; Schwartius ad Plin. Paneg. pag. 226. Dicitur autem proprie *deos extis sacrificio litare*, sed frequenter quoque occurrit formula *litare sacra*, *sacrificia*, *victimas*. Stat. Theb. X, 332; Lucan. I, 632; Virgil. Aen. IV, 50; Suet. Aug. 97; Oth. 8; h. l. *exta litabat ovis*, ornate pro ovem immolabat. — *ad calamos*, ad fistulam e calamis, Tibull. II, 5, 30: *Garrula silvestri fistula sacra deo;* non ad tibiam, sicuti seriori aetate fiebat.

25–26. *Verbera* etc. innuit Lupercalia, festum Panis, (Liv. I, 5: *nudi iuvenes, Lycaeum Pana venerantes, per lusum atque lasciviam currunt*) quo luperci nudi i. e. pellibus tantum caprinis vestiti (*pellitus arator*) discurrebant, et scuticis, e corio caprinos factis (hinc h. l. *verbera setosa*, sed *verbera* h. l. de ipso verberandi instrumento capiendum, ut Liv. VIII, 28) manus ac terga obviorum percutiebant, maxime mulierum, quae ita fecundas

Vnde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
Miscebant usta proelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lucmo,
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Tities, Ramnesque viri, Luceresque coloni:

fieri credebantur, vid. Ovid. Fast. II, 425; V, 102; Barth. ad Stat. Silv. I, 6, 93; Burm. ad Valer. Flac. III, 50. Taubneri Ind. in Ovid. Fast. v. *Luperci*. – *licens*, protervus, petulans, vid. Barth. Advers. XLIV, 11. – *Fabius sacra Lupercus habet.* Lupercorum duae sodalitates erant, Fabia et Quinctilia. Festus: *Fabiani et Quinctiliani appellabantur Luperci, a Fabio et Quinctilio praepositis suis*, i. e. qui Romuli Remique aetate in Lupercalibus principatum habuerant, praesides fuerant. Sensus: unde etiamnunc Fabius Lupercus in Lupercalibus principatum habet, praesidet Lupercalibus, i. e. unde illius aratoris Fabii exemplo etiamnunc Fabia sodalitas solemnia Panis celebrat. *Fabius*, pro sodalitate Fabia, et haec omnino pro Lupercis: Luperci Panis solemnia celebrant.

27–30. *Nec tum rudis miles*, cui non erat armorum peritia, et disciplinae militaris, *radiabat*, non erat instructus armis politis, auro, argento caelatis. *Radiare*, verbum de armorum splendore proprium, Virgil. Aen. VIII, 616; Sil. Ital. VIII, 467. — *infestis*, epith. ornans. — *Miscebant proelia*, formula de pugnantibus solemnis, Virg. Georg. II, 282; Aen. X, 23 al. *nuda*, i. e. sine iustis armis; hoc sensu *nuda manus* legitur Iuven. XV, 54. *nuda pugna* Stat. Theb. I, 413; eam praeclare adumbravit Virg. Aen. VII, 506 sqq. — *hic torre armatus obusto, Stipitis hic gravidi nodis, quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit.* — 28. *sude usta*, palo acuto, igni durato. Virg. Aen. VII, 523 sqq.: — *non iam certamine agresti, Stipitibus duris agitur sudibusve praeustis.* — 29. *Lucmo*, idem quod Lucumo, vid. ad III, 9, 1; h. l. ut temporis ratio postulat, intelligitur ille Lucumo Tuscus, qui Romulo contra Sabinos auxilio venit; nec audiendus est Vulpius, qui Tarquinium Priscum quintum Romanorum regem intelligit, qui antequam e Tarquiniis, Hetruriae oppido, Romam migraret, Lucumo vocatus est, vid. Liv. I, 34. Haec perite ad h. l. observavit Barthius. Ille vero ipse Lucmo agrestis erat, hinc *galeritus* dicitur a galero, pilei genere, quo, ex pelle lupina confecto, rustici utebantur et caput tegebant, ut Servius notavit ad illa Virgilii: *fulvosque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti*, Aen. VII, 688. – *praetoria*, tentorium ducis. Sensus: primus erat, qui castra quomodo ponenda essent, doceret. – 30. Maxima pars divitiarum Titi Tatii, Sabinorum regis, constabat in ovibus. – *rerum*, facultatum, divitiarum, χρήματα, vid. Cuper. Obss. II, 6. – *inter oves*, pro in ovibus, ut Terent. Eun. IV, 2, 1, *inter vias*, pro in via.

31–32. *Hinc*, a rure et tam parvis initii orti sunt, et a Tatio ac Lucumone nomen duxerunt: – *Tities*, scil. Titienses tribus romanae nomen sub

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii;
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,

rege Romulo, ut et *Ramnes*, seu Ramnenses, et *Luceres*. Servius ad Virg. Aen. VII, 710: *Priscique Quirites* i. e. *Sabini: prisci autem ideo, quia post foedus Titi et Romuli plauit, ut quasi unus de duobus populis fieret.* Varro L. L. IV, 9: *Ager romanus primum divisus in partes tres, a quo tribus appellatae, Tatiensium, Ramnensium, Lucerum: nominatae, ut ait Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut ait Iunius, a Lucumone. Sed haec omnia vocabula Tusca, ut Volumnius, qui tragoedias Tuscas scripsit, dicebat.* Conf. et Dionys. Halic. II, 7. Liv. I, 13: *Eodem tempore et tres equitum centuriae conscriptae sunt;* (nempe quaelibet tribus suam habebat centuriam equitum) *Ramnenses a Romulo; ab Tito Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis et originis causa incerta est.* Festo auctore, *Luceres* seu *Lucerenses* appellati sunt a Lucero Ardeae rege, qui auxilio fuit Romulo adversus Tatium bellanti. Vid. intt. ad h. l. et ad Ovid. Fast. III, 131. – *Ramnesque viri*, cum dilectu; fortes, viriles. – *coloni*, dicuntur omnino ii, qui agrum colunt, agrestes; deinde ii, qui mittuntur in locum, ut ibi habitent. Priori significatu hoc voc. nostro loco capiendum esse puto, nam et Lucmo vs. 29 dictus est galeritus, tanquam agrestis. Secutus autem noster videtur eos, qui Ramnenses a Romulo, Luceres a Lucumone nominatos esse contenderent. – 32. *hinc*, a tam parvis rei ac disciplinae militaris initiis profectus Romulus triumphavit de Caeninensibus. – *albos egit equos*, sed Plutarch. V. Rom. Romulum pedibus urbem ingressum esse ait; add. Liv. I, 10, atque Plutarch. in V. Camilli tradit, Camillum primum albis equis post Veios captos triumphasse. Florus contra I, 5, triumphandi morem curru quadriiugo ad Tarquinium Priscum auctorem refert. Sed Dionys. Halicarn. lib. II, triumphi inductionem τεθρίππῳ i. e. quadrigis Romulo tribuit. Patet ergo de triumphi inductione et quidem quadrigis diversas fuisse sententias. Poëta vero noster, rem exornaturus, secutus est eos, qui illum triumphandi morem ad Romulum referrent. Itaque non necesse est, ut per Romulum intelligamus Camillum, alterum Romulum dictum, et emendemus *hinc alter Romulus*, vel praeeunte Vulpio, quemvis romanum imperatorem triumphantem.

33–36. Postquam poëta de primis urbis Romae civibus verba fecit, progreditur ad descriptionem urbis ambitus et viciniae illius. – vs. 33. Sensus: Parva urbe scil. Roma existente (abl. absol.) Bovillae minus erant suburbanae, adeoque magis ab ea distabant; postea vero aucta urbis magnitudine, Bovillae moenibus Romae propiores esse coeperunt, et quasi suburbanae. Vulp. De *Bovillis* (Βοΐλλαι) vid. Cluver. Ital. Ant. lib. III, pag. 917; Cellar. Not. O. A. tom. I, pag. 799. – *Gabii*, Latii oppidum, fere medio inter Romam et Praeneste loco, vid. Cluver. l. c. pag. 954; Heyne ad Virg. Aen. VI, 773 sqq. Sensus: Gabii,

Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus;
Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troia, penates.
Heu quali vecta est Dardana puppis ave!

quorum nunc temporis vix ullum vestigium extat, quondam civitas frequentissima erant. — 35. *stetit*, fuit olim, nunc eversa. — *Alba longa*, urbs Latii, ab Ascanio condita, a Tullo Hostilio diruta, Virgil. Aen. I, 271; Liv. I, 3; Prop. IV, 6, 37. *albae suis omine nata*, respexit poëta fabulam de alba sue inventa, unde nomen accepit Alba, a veteribus multis modis narratam, vid. Virg. Aen. III, 389 seqq. Varro R. R. II, 4, 18. Heyne Exc. II ad Virg. Aen. VII. — 36. Syntaxis est: hac via, *qua est* (licet) ire Fidenas, erat longe ire; ut sit διλογία, quum enim angusti essent Romanorum atque urbis fines, etiam qui breve iter suscipiebant, peregrinari videbantur. VVLP. — *Fidenae*, urbs Latinorum, vid. Strabo V, pag. 351 Almel. Cluver. l. c. II, 9, pag. 6[illegible]4; Cellar. Not. O. A. tom. I, pag. 770.

37–38. Iam poëta secum reputans, quantopere suae aetatis tempora ab illis antiquioribus differant, exclamans addit: *Nil patrium* etc. ad tantam imperii magnitudinem, ac tantum splendorem evecta est Roma, ut ex illa rudi civitate nil supersit praeter nomen romanum; et ab illa pristina simplicitate in omne luxuriae genus Roma ita prolapsa est, ut cives paene pudeat originis suae. — *patrium*, nam Romani a Romulo nominati, qui *genitor urbis* dicitur Ovid. Met. XV, 862. *urbis Romae parens*, i. e. auctor, conditor, Cic. Div. I, 2. *parens murorum* Sil. Ital. II, 654. — *Romanus alumnus*, quaesitius pro incola urbis, civis romanus, Cic. Verr. V, 66: *Italia alumnum suum*. Horat. Carm. IV, 3, 13: *Romae suboles*. — 38. Respicitur fabula de Romulo et Remo, et per hos Romanis ipsis, lupa nutritis, vid. vs. 55; II, 6, 20; Liv. I, 4. — *sanguinis*, generis, gentis.

39–44. Quum tanta urbs e tuis, Troia, ruinis surrexerit, optime, rectissime huc misisti penates. — *melius*, quam si Graecis praeda cessisses. Tibull. II, 5, 61: *Troia quidem tum se mirabitur, et sibi dicet Vos* (o Aenea et comites fugae) *bene tam longa consuluisse via*. — *Penates profugos*. Virg. Aen. VI, 68: *Latio considere Teucros, Errantisque deos, agitataque numina Troiae*. Vid. Heyne Excurs. ad Virg. Aen. II, 293. — 40. O quam felici omine Aeneae navis in Italiam venit! quam prospera navigatione usa est! *heu* est h. l. admirantis, ut saepius; Plaut. Rud. II, 4, 2, al. *quali ave*, αἰσίῳ ὄρνιθι, laeto omine. *avis* ut *ales*, pro omine, saepius, ut Horat. Carm. I, 15, 5; Catull. LXI, 20, al. Itaque non opus est, ut cum Broukhusio et Burmanno statuamus, poëtam Aeneae itineris comitem h. l. dare columbam, ut navi Argo, vid. III, 22, 13. — 41. Iam faustum omen erat, quod Aeneam et ipsius comites, antequam Troia excederent, non laeserat equus Troianus, quod feliciter effugerant e manibus Graecorum, vid. Liv. I, 1; Virg. Aen. II, 30 sqq. 259. Faustum

Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
  Laeserat abiegni venter apertus equi;
Quum pater in gnati trepidus cervice pependit,
  Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Decî, Brutique secures,
  Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Troiae,
  Felix terra tuos cepit, Iule, deos.

quoque omen erat, quod Aeneam, Anchisem patrem in humero gestantem, non usserat flamma, vid. Virg. Aen. II, 721 sqq. – *bene spondebant*, felicem eventum promittebant. – *illam*, scil. navem i. e. Aeneam et Troianos, qui navem una cum eo conscenderant. – *pater*, trepidus Anchises. – *humeros pios*, docte pro pium Aeneam. – *verita est urere.* Ov. Pont. I, 1, 33 sqq. *Quum foret Aeneae cervix subiecta parenti, Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.* Virg. Aen. II, 632: *Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis Expedior, dant tela locum, flammaeque recedunt.*

45–48. Cum Aenea quasi simul in Italiam venerunt omnes illi magni ac nobiles viri, per quos postea res Romana in tantum fastigium excrevit. Loco reliquorum omnium commemorantur *animi Deci*, i. e. animosi Decii. – *Deci* pro Decii, et unum Decium pro utroque ponit. De Deciis vid. III, 11, 62. – *Brutique secures*, i. e. Brutus consul; *secures*, pro ipso consulatu, ut I, 6, 19. Bruti vero secures etiam propterea commemorasse videtur poeta, quod Bruto patre iubente ac spectante, filii ipsius, qui de revocandis in urbem Tarquiniis conspirarant, securi percussi sunt. Virgil. Aen. VI, 820: *Consulis imperium hic* (Brutus) *primus saevasque securis Accipiet.* add. Liv. II, 3, 4. – 46. Eleganter fingit Venerem Aeneae filii sui profugi, quum in Latium tenderet, ducem ac comitem fuisse. Sed ut *animi Deci* positum est pro animosus Decius, ita *Caesaris sui arma* victricia explicari debet Augustum, nepotem suum, fortem, bellatorem, felicem; qui tum quasi cum Aenea venit. Vid. Virg. Aen. II, 619. A Iulo, Aeneae filio, gens Iulia, et per adoptionem etiam Augustus, qui propterea a Virgil. Aeneid. I, 286, *Troianus origine Caesar* vocatur. Scripta autem haec sunt in gratiam Augusti, et ad maiorem, quam populares poetae inde capere possent voluptatem. – 47. Iule, qui portabas arma victricia, quibus Troia resurgebat. – *Troia resurgens* est Roma a Troianis condita, quae *Troia renascens* dicitur Horat. Carm. III, 3, 61. Virgil. Aen. I, 206: *Illic fas regna resurgere Troiae.* – *deos tuos*, supra vs. 39 *Troiae penates.*

49–52. Innuit Sibyllam rura Remo Aventino pianda, et iam inde a Priami temporibus futurum imperium Romanorum praedixisse. Vid. Barth. ad Claudian. Bel. Gild. vs. 29. Burmann. Sensus: felix terra, si modo Sibylla *dixit*, i. e. vere praedixit, fore ut ob Remum caesum expientur rura. Conf. Horat. Epod. VII, 17 sqq. — *cortina*, operculum tripodis, ὅλμος, h. l. tripus, τρίπους, ipse, Sibyllae proprius, vid. Servius ad Virg. Aen. III, 92;

Si modo Avernalis tremulae cortina Sybillae
Dixit Aventino rura pianda Remo:
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput:
« Vertite equum, Danai: male vincitis. Ilia tellus
Vivet; et huic cineri Iupiter arma dabit. »
Optima nutricum nostris Lupa Martia rebus,
Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio conor disponere versu.

sed *cortina Sibyllae* pro Sibylla ipsa. — *Avernalis*, Sibylla dicitur ab habitatione, ut alias *Cumaea*, vid. II, 2, 16. Avernus lacus prope Cumas et Baias, ubi spelunca, quae Sibyllae Cumanae domicilium putabatur, vid. Virgil. Aen. III, 471 sqq. Stat. Silv. V, 3, 172; Prop. III, 18, 1; Heyne ad Virg. Aen. VI, Exc. II. — *tremulae*, ob senectutem, graphice pro longaevae. — *Aventinus* dicitur Remus, quod in eo monte de urbe condenda auguria captavit, vid. Liv. I, 6. — 51. Felix terra, si, quae Cassandra cecinit et dixit ad patrem, vera fuerunt. — *Pergameae vatis*, i. e. Cassandrae. *Ilia* dicitur *Maenas* III, 13, 62, ubi vid. not. *sero rata*, credita, *carmina*, i. e. vaticinia. Burm. explicat: vaticinia iussu Apollinis diu non credita Teucris, sed sero tamen rata facta, quum vera fuisse firmaret Troiae excidium.

53-54. Sequuntur verba Cassandrae vaticinantis. — *Vertite equum* ligneum, in castra vestra reducite. — *male vincitis*, perniciosa haec vobis victoria futura. — *Ilia tellus*, i. e. urbs, vid. Valcken. ad Eurip. Phoen. 5; Cuperus Obss. II, 11. — *vivet*, eleganter pro reflorescet, et *vivere* de cinere, igne frequenter occurrit, Ov. Fast. III, 427; Remed. 732 al. — *arma dabit*, ultores excitabit, opitulabitur, favebit Romanis, Troianorum nepotibus.

55-60. Iam quum recordatione praeteriti temporis poëtae, Romae magnificentiam admirantis, animus fortius ac vehementius incaluerit, admirabundus exclamat: *Optima nutricum* etc. atque astrologo significat, se alienum a civium suorum impietate, quos originis suae paene pudeat, coll. vers. 38, carmine historico urbis primordia, sacra, diesque, cognomina prisca locorum vs. 69, canere velle. Etenim verba vs. 57 ad astrologum dicta sunt, ut perite monuit ad h. l. Barthius, qui nexum orationis ita constituit: Non est quod mireris, o hospes, me tam accurate omnia tenere ac recensere: namque in eo sum, ut haec omnia canam, et historico carmine prosequar. — *Lupa Martia*, quae Romulum et Remum Martis filios, (qui adeo *Martis proles* dicuntur Ov. Fast. III, 59) lacte suo aluit, ipsa quoque Marti sacra, vid. Virg. Aen. IX, 566. — *optima nutricum*, supra vs. 38 eam *sanguinis altricem* dixit. — *lacte tuo* quod attinet rempubl. nostram, rem romanam, (Virg. Aen. VI, 858) quae per Romulum, quem lacte tuo aluisti, eiusque nepotes crevit. — *moenia*, pro ur-

Heu mihi, quod nostro parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcunque in pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviat omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,

be ipsa. – 57. *namque*, asseverantis, scilicet, utique, γάρ τοι, γὰρ δή. – *pio versu*, carmine quod meam in patriam pietatem testetur. – *disponere*, certo ordine enarrare, describere. – 58. Expressit illud Callimachi Μηδ' ἀπ' ἐμοῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν. Ovid. Trist. I, 5, 29: *Hei mihi non magnas quod habent mea carmina vires, Nostraque sunt meritis ora minora tuis.* Conf. not. ad II, 1, 40. – *quodcunque rivi*, dicitur exiguitatis augendae causa; *quodcunque* quantulumcunque. Ingenia autem excellentia, ubertas ac vis ingenii vel orationis, cum largo flumine frequenter comparari solent, vid. Homer. Il. A, 249; Petron. Sat. 5; Plin. XXVI, 3; Quinctil. III, 8, 60; conf. Mitscherl. ad Horat. Carm. II, 18, 9; IV, 2, 7. Contra ingenii tenuitas h. l. cum exiguo rivo comparatur, ita ut sensus sit: facultas mea poëtica, etsi exigua, patriae dicata sit; ego, quamquam levis poëta et elegiographus, nec epicis et magni nominis poëtis annumerandus, patriae laudes et ornamenta pio disponere versu conor. – *patriae*, Romam intelligit, alteram patriam.

61–66. Accuratius exornat poëta, quae vs. 58 sqq. leguntur: *Est mihi*, inquit, *parvus in ore sonus; exiguus rivus in pectore fluit*, attamen Romae laudes canam, canere conabor; nam quamquam non sum poëta epicus et grandiloquus, immo mollis poëta, et elegorum scriptor, tamen, Baccho favente, inclarescam, carminibus meis mihi famam concilinbo, et Vmbria patria mea meis tumefacta superbiet libris. – *Ennium*, pro quovis alio poëta epico nominat, vid. ad III, 3, 6. – *sua dicta*, sua carmina, suos libros. – *hirsuta corona*, laurea, ita dicta ob lauri baccas et folia rigentia. – Quo vividior existat oratio, Bacchum ipsum poëtarum deum tutelarem alloquitur, vid. III, 2, 8; Tibull. III, 4, 43 sqq. Corona seu corolla *hederacea* poëtis in genere tribuitur, vid. II, 5, 26, ac speciatim poëtis mollibus et elegiographis, vid. III, 1, 19, unde et h. l. Propertius corona hederacea coronari cupit; nam opponitur hirsutae i. e. laureae poëtis epicis propriae. Etenim minus recte Livineius, Broukhus. Burm. *hirsutam coronam*, ad duram, incomtam et rudem Ennii Musam referunt. – 63. *tumefacta*, tumor superbis proprius II, 24, 31. – *Romani Callimachi*, i. e. Propertii. Propertius enim imitator Callimachi, vid. not ad I, 1, 1, 3. – *scandentes*, pedetentim et per diversos gradus sese attollentes, de urbe ad clivum reclinato situ posita. Poëticae orationis genius ad oculorum sensus omnia revocat. Intelligitur Hispellum, vid. Prop. Vit. Chronol. Etenim urbs patria Propertii, ut recte notavit ad h.

Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus: date candida cives
Omina, et inceptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, et cognomina prisca locorum:
Has meus ad metas sudet oportet equus.
Dicam, Troia cades, et Troïa Roma resurges,

l. Barthius, non iacet in valle ipsa, ut accedentibus modo et appropinquantibus sese attollere ac surgere e valle videatur, sed scandunt eius arces h. e. mons, cui imposita est urbs, de vallibus, et cum eo murus, vid. vs. 125. – *arx* de monte frequenter legitur, vid. III, 15, 25. Drakenb. ad Sil. Ital. XV, 305 – 66. Ingenium meum aestimans, valde aestimabit quoque urbem meam patriam. Ovid. Amor. III, 15, 11 sqq. *Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi Moenia, qua campi iugera pauca tenent; Quae tantum, dicet, potuistis ferre poëtam, Quantulacunque estis, vos ego magna voco.*

67–72. Recitat poëta ἐνθουσιάζων carminis sui, Romae primordia, laudes et ornamenta celebrantis initium, quo ipsum carminis argumentum declaratur. – *Roma fave*, praeclare, quum et Roma dea habita, eique templa dicata, vid. Liv. XL, 6; Tacit. Annal. IV, 37. Quo fortius enim lectorum animos poëta feriat, et argumenti gravitati dignitatem conciliet, Romam tanquam deam alloquitur, optatque felix auspicium, et oscines a dextera cantantes. – *surgit*, quum de re grandi, de carmine longiori, grave argumentum pertractante sermo sit. Sic Ovid. Amor. I, 1, 27: *Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat.* Fast. IV, 830: *Auspicibus vobis hoc mihi surgat opus.* – *date candida*, felicia, fausta e. *omina*, idem quod favete linguis! male ominatis parcite verbis! audientiam sibi hac formula facere vult poëta, atque omnino significat se carmen argumenti gravissimi cantaturum. Sic Stat. Silv. II, 7, 19: *Lucanum canimus, favete linguis!* Martial. X, 87, 3: *Linguis omnibus et favete votis: natalem colimus.* Possunt etiam per *omina* intelligi vota, favete mihi dicenti votis. – *dextera avis*, oscen, avis voce laetum augurium faciens. – 69. *Sacra diesque canam*, Romanorum sacra et causas sacrorum, ac dies festos et notabiles canam. Ovid. Fast. I, 7 sqq. *Sacra recognoscens Annalibus eruta priscis, Et quo sit merito quaeque notata dies.* – *Has – equus*, hoc argumentum meum carmen pertractabit. – *Sudare*, verbum e re circensi vel militari sumtum, ut apud Claudian. Bel. Get. 280. – *alto desudant Marte cohortes.* Allegoria desumta est h. l. a curriculo, ut III, 3, 18; est enim solemne poëtis, sibi equos dare et currus, atque formulis uti a re equestri et circensi desumtis, vid. Aristoph. Vesp. 1017; Acron. ad Horat. Carm. II, 12, 9, 71 sqq. Hoc distichon, quod vulgo legitur post vs. 87, recte Livinei. Scalig. Broukhus. et Burm. in hunc locum transtulerunt. Sic omnia egregie cohaerent, et apprime, saltem rectius, quam genethliaco, conveniunt haec verba Propertio, qui paulo superius iam de excidio et παλιγγενεσία Troiae verba fecerat vers. 54. – *Dicam*, canam. – *Et sepulcra*, referri debent haec verba ad Graecos, qui terra marique

Et maris, et terrae longa sepulcra canam.
Quo ruis imprudens vaga dicere facta, Properti?
Non sunt ah dextra condita fila colo.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo
Poscitur invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus; aut ego vates
Nescius aerata signa movere pila.

perierunt. — *Maris sepulcrum* est Aeschyli ὕβρις πόντιος Agam. 660. Vid. Huschke Analecta Critica p. 125.

73–76. Genethliacus ille Babylonius, ad quem huc usque locutus est Propertius, orationem poëtae interrumpit, atque audentem viribus maiora ab hac temeritate dehortatur. — *Quo ruis dicere*, positum pro ad dicendum, canendum; vel ita interpungendum: quo ruis imprudens? vaga dicere (scil. vis, conaris) facta, Properti? — *vaga facta*, dispersa, incerta, dubia, adeoque multo labore colligenda et examinanda. Caeterum Casaubon. cum nostro loco contulit illud Persii Sat. V, 143: *quo deinde insane ruis? quo? Quid tibi vis?* — 74. Sensus: non sat felix fuisti in argumento deligendo, neque ad id natus, quod affectas. — *condere fila*, est deducere fila colo, texere, facere; ut *stamina facta* Ovid. Trist. IV, 1, 64. Vid. Burm. ad Val. Fl. I, 531; Ovid. Art. Am. III, 672; sed hoc idem verbum *condere* ponitur quoque de carminibus, vid. Virg. Eclog. X, 50; Liv. XXXI, 12; Cic. Attic. I, 16. Saepius autem, quum de poëtarum carminibus sermo est, imagines a textura deducuntur, ut Horat. Epist. II, 1, 225; Prop. I, 16, 41; Colum. X, 228. — *dextra*, felici. — 75. *Aversis Charisin*, Gratiis invitis cantas; *aversis*, i. e. iniquis, iratis (ut Horat. Carm. III, 23, 19, *aversos penates*, vid. Heins. et Burman. ad Ovid. Heroidd. VII, 4) cum dilectu; usus est verbo ex arte sua desumto, ubi stellae ἀπόστροφοι occurrunt, vid. Dorvill. ad Charit. pag. 773; Markland. ad Stat. Silv. pag. 74. — *Charisin*, dativ. graecus, ut Dryasin, Hamadryasin, simil. vid. Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 672. — *Apollo aversus* est, non tibi favet. — *poscitur*, eleganter pro impellitur lyra invita ad canendum, accinendum. *Poscor*, vox solemnis de iis, qui ad cantandum excitantur, qui canere iubentur, Horat. Carm. I, 32; Ovid. Met. IV, 274. — *verba pigenda*, carmina, versus, quorum te pigeat et pudeat. — *lyra invita*, quae modos reddit carminibus amatoriis tantum aptos. Anacr. I, 4: ἁ βάρβιτος δὲ χορδαῖς Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ.

77–82. Astrologus vitam et fortunam Propertii praedicaturus, ut se et artem suam commendet, se verum vatem profitetur, qui celebres mathematicos inter maiores enumeret. — *feram*, dicam, proferam. — *certis auctoribus*, fuerunt mihi scientiae divinationis magistri certissimi ac peritissimi. — *aut — pila*, aut astrologiae imperitus sum: et versare nescio signa coelestia in pila aerata sive sphaera ex aere rotunda. Pila aerata, aerea, σφαῖρα χρικωτῇ, quae σφαῖρα χαλάμου scil. χαλκοῦ Luciano dicitur in Nigrino t. I, p. 41. Est sphaera ex aere, in qua torquet signa mobilia, ut ad exemplum

Me creat Archytae soboles Babylonius Horos,
  Horos, et a proavo ducta Conone domus.
Dî mihi sunt testes, non degenerasse propinquos,
  Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro
  Iupiter, obliquae signa iterata rotae;
Felicesque Iovis stellas, Martisque rapacis,

signorum ac siderum coelestium volvantur. — 79. Genus se deducere iactat ab Archyta, Tarentino, mathematico et astrologo nobili, cuius meminit Horat. Carm. I, 28, 2. — *creat*, creavit, procreavit. — *Horos*, astrologus, nostri astrologi, quem poëta loquentem inducit, pater. — *Babylonius*, dicitur non a patria, sed a professione, quia astrologia ex illis terris Romam advecta erat, hinc *Babylonii numeri* Horat. Carm. I, 11 2. Hinc astrologi *Chaldaei* dicti Iuven. Sat. VI, 553. — *Conon*, mathematicus et astrologus celeberrimus, Catul. LXVI, 7, vid. Heyne ad Virg. Ecl. III, 40. — *domus ducta*, gens, familia ab eo orta, huius sum pronepos. Vulpius vero *soboles* improprie capit, sectator in astrologicis, et per *domum* intelligit sectam, scholam. Sine idonea causa. — 81. *propinquos*, maiores, *non degenerasse*, scil. me, ab iis progenitum, iis non indignum esse. *Degenerare*, cum casu quarto, optimae notae scriptores dicere amant, vid. Ovid. Met. VII, 543; Heins. ad Ovid. Pont. III, 1, 45; Barth. et Markland. ad Stat. Silv. III, 1, 160. *meis libris*, intelliguntur tabellae, diaria, *numeri* Horat. d. l. in quibus ortus, motus, coniunctiones, distantiae et oppositiones planetarum, siderumque ad quemcunque diem notabant. — *nil prius fide*, nil antiquius veritate, sunt certissimi, verissimi.

83–88. Artem suam commendare pergit astrologus, et ita quidem, ut more huius generis hominum in reliquos suae aetatis astrologos invehatur. — *Nunc*, his temporibus, *pretium fecere deos*, infidi sunt genethliaci, aurum et pecunia est iis deorum, i. e. siderum loco, mendacia proferunt, auro accepto, aut spe praemii ducti. — *fallitur Iupiter*, falso promittitur, simulant astrologi, Iovem, planetarum felicissimum, esse geniturae dominum, quum tamen non sit, sed Saturnus vel alius. *fallere*, pro simulare. — *obliqua signa rotae*, nempe falluntur, falso tractantur; *obliqua rota* est zodiacus circulus, et *signa* eius vocantur *iterata*, h. e. ut recte Vulpius explicuit, duplicata, quoniam sex ad boream cernuntur, totidemque ex opposito ad austrum. Scilicet magnam vim in res humanas superstitio veterum tribuebat planetis et sideribus, inprimis iis, quae in zodiaco sunt, quaeque eo momento, quo quisque nascebatur, et surgebant, et his vicina, et ab iis remota, et denique iis opposita erant. Ex his sideribus, alia erant *felicia*, ἀςέρες ἀγαθοποιοὶ, ut Iupiter, Venus, vid. Iuvenal. Sat. VI, 570; alia *tristia*, κακοποιοὶ, ut Saturnus, (unde h. l. *grave Saturni sidus*, Iuvenal. l. c. *Saturni sidus triste*) Mars, h. l. Iuvenal. X, 313, Scorpio, Capricornus; alia *communia*, ἐπίκοινοι ἀςέρες, ut Mercurius. Conf. not.

Et grave Saturni sidus in omne caput.
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Laetus et Hesperia quid Capricornus aqua.
Dixi ego, quum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante deo)
Non posse ad patrios sua pila referre penates.
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus eques, dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cavit equo.
Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilae rostra cruenta suae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae:
Vera, sed invito contigit ista fides.

ad II, 27, 4; Burm. ad Lotich. I, 1, 44 sqq. Ruperti ad Iuvenal. l. c. Lucan. I, 651; Horat. Carm. II, 17, 19; ubi vid. Mitscherlich. - 85. Cohaerentia: non tantum stellas felices, sed et infelices pretium fecere l. fallunt i. e. falso tractant. — *rapacis*, violenti, saevi. — *moveant*, moliantur, hominibus parent, respicit verbum *movere* piscium naturam, ut *animosus* leonum, Lucan. VI, 337, dicitur *rabidus*. Horat. Carm. III, 29, 19: *stella vesani leonis*. Lucan. I, 655: *saevus radiis leo*. — 88. *Capricornus*, e numero siderum noxiorum erat, unde librarii *laetus* h. l. mutarunt in *lotus*, vid. Obss. — *laetus*, laetitia gestiens, superbus, in suo regno. Hor. Carm. II, 17, 18: *seu tyrannus Hesperiae Capricornus undae*, i. e. dominatur fluctibus maris occidentalis, quatenus ortus eius et occasus maximas procellas excitare credebatur, v. Mitscherlich. ad h. l.

89–98. Iam quo maiorem sibi genethliacus conciliet fidem et auctoritatem, duplicem recenset praedictionum suarum eventum. — *Arria*, nomen matronae cuiusdam romanae, cuius filiorum funera praedixerat astrologus. — *produceret*, prosequeretur, honoris causa extra domum comitaretur natos castra secuturos, de qua vi verbi *producere* vid. Burm. ad Ovid. Heroidd. XIII, 143; ad Valer. Fl. V, 382. Sed hoc ipso verbo perquam apposite usus est poëta, quum illud quoque sit verbum funebre, v. c. *funus producere*, vid. Lucan. II, 298; Stat. Silv. II, 1, 20. — *deo*, i. e. stella, eo momento, quo nati erant, fulgente. — *pila*, pro armis. — *nempe*, demonstrantis et affirmantis, vid. Burm. ad Ovid. Met. II, 474. — 93. *Lupercus*, alter filius, alter *Gallus* aquilifer, sive signifer vs. 95. — *eques* — *equo*, dum ipse equo insidens et vulneratus, ora sua protegit, equum regere et flectere ita neglexit, ut eo prolapso, etiam ipse ceciderit. Burm. Vid. Obss. — *rostra cruenta*, suo ipsius sanguine cruentata. — 97. *fatales pueri*, fato destinati in illo bello ad interitum, ut Cic. Cat. III, 4, dixit: *fatalis ad interitum*. — *matris avarae*, quae spe praedae iis arma dederat,

Idem ego, quum Cinarae traheret Lucina dolores,
  Et facerent uteri pondera lenta moram,
Iunoni votum facite impetrabile, dixi.
  Illa parit: libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum,
  Aut sibi commissos fibra locuta deos:

conf. III, 12, 3; et Argum. ad III, 5. Misericordiam simulando vaticinii a se prolati veritatem confirmat. – *vera, sed invito c. i. fides*, maluissem libri mei fide caruissent.

99–102. Alterum laetioris generis exemplum. *Cinarae*, nomen fictum foeminae cuiusdam; eiusdem nominis puella memoratur Horat. Carm. IV, 1, 4; 13, 21: exinde tamen neutiquam cum interpretibus nonnullis colligi poterit, hanc Cinaram eandem fuisse, cuius Horat. l. c. mentionem fecit. – *traheret*, protraheret. – *Lucina*, cognomen Iunonis, eadem quae Diana, et Illithya, quam puerperae invocabant. Cic. N. D. II, 27: *Luna est Lucina. Itaque ut apud Graecos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Catull. XXXIV, 13 sqq. *Tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis: Tu potens Trivia, et notho es Dicta lumine Luna.* Vid. ibi Doering. et Mitscherlich. ad Horat. Carm. III, 22, 2. – *uteri pondera*, i. e. foetus nondum editus. Ovid. Heroidd. XVI, 44: *Iam gravidus iusto pondere venter erat.* — 101. *impetrabile*, recte Vulp. explicat quod impetrare possit, nempe partum faciliorem, ut Val. Flacc. I, 782: *Iam iam exorabile retro Carmen agens*, i. e. quod exorare possit. – *libris*, numeris, tabellis meis, vid. vs. 82. – *est data palma*, eos summis laudibus extulerunt, meque omnibus medicis, extispicibus, auguribus praetulerunt. Imago desumta a victoribus ludorum, quibus palmae datae, vid. Liv. X, 47.

103-108. Diversa vaticinandi genera, oracula, extispicium, augurium, necyomantiam aretalogus attingit, iisque cunctis unicam siderum rationem anteponit. Conf. Tibull. I, 8, 3 sqq.; II, 5, 11 sqq.; Statius Theb. I, 696 sqq. -- *hoc*, tale quidquam. — *Iovis* Ammonis *antrum*, templum et oraculum in Libya pro oraculo quovis commemorat. Cf. de hoc Iovis Ammonis oraculo Curt. IV, 7; Lucan. IX, 522 sqq.; Diod. I, 13; XVII, 50; Herodot. II, 42; IV, 181; Herman. Mythol. tom. III, pag. 288; Rupert. ad Sil. Ital. III, 677. -- *arenosum Libyae antrum*, pro arenosae Libyae. -- *explicat*, cum dilectu, pro aperit, docet; oracula enim obscura solent esse atque incerta. -- *fibra*, id est exta, iecur, cor, pulmones. – *locuta*, quae loquitur, quae certis signis et indiciis deorum voluntatem declarat, opponitur *mutis* et *tacentibus fibris*, vid. Heins. et Drakenb. ad Sil. Ital. I, 138; Ovid. Met. VII, 600. -- *sibi commissos deos*, id est deorum voluntatem et numen, ut Virg. Aen. XII, 260: *Accipio, agnoscoque deos*; Tibull. I, 8, 3, eodem sensu dixit: *conscia fibra deorum*, ubi vid. Heyne. Ovid. Met. XV, 136: *Protinus ereptas viventi pectore fibras Inspiciunt, mentesque deûm scrutantur in illis.* — 105. Repete: hoc neque explicat. —

Aut si quis motas cornicis senserit alas:
  Vmbra neque haec magicis mortua prodit aquis:
Adspicienda via est coeli, versusque per astra
  Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
  Ille bene haerentes ad pia saxa rates.

*senserit*, intellexerit avium cantum et volatum. Astrologus, qui contemnit auguria quaevis, aves praesagientes quascunque, et *oscines*, id est quae augurium voce, et *praepetes* quae augurium volatu faciebant, commemorat *cornicem* (quam inter oscines refert Virg. Eclog. IX, 15: *Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix*), et *motas alas* cornicis, id est volatum, vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Pallad. 124; Cerda ad Virg. Georg. I, 388; Mitscherlich. ad Horat. Carm. III, 27, 9. -- *umbra mortua*, pro mortui. -- *prodit*, explicat, aperit. -- *magicis aquis*, docte pro veneficae aquas magicas spargenti. Quas h. l. Propertius *magicas aquas* nominavit, eas Horat. Epod. V, 26, dixit *Avernales aquas*; add. Virg. Aen. IV, 512, ubi vid. Heyne. – 107. *via coeli*, cursus astrorum. Manil. I, 525, de Sole: *nec mutare vias et in ortum vertere cursus*; add. Virg. Aen. VI, 797. – *versusque per astra trames*, Zodiacus. Virg. Georg. I, 539: *Obliquus qua se signorum verteret ordo.* – 108. *ab zonis quinque*. Ovid. Met. I, 45 seq.: *Vtque duae dextra coelum, totidemque sinistra Parte secant zonae, quinta est ardentior illis*; add. Tibull. IV, 1, 152; Virg. loc. cit. Sed h. l. per *zonas*, quia zonae non faciebant ad genethliacen, sed stellae, intelliguntur planetae, qui quidem septem dicuntur, sed Solem et Lunam in planetarum numerum venire veteres noluerunt, ut docte ad h. l. observavit Dousa Fil. Vid. Senec. Nat. Quaest. II, 32: *quinque stellarum potestatem Chaldaeorum observatio excepit. Quid tu? tot millia siderum iudicas otiosa lucere?* Macrob. Somn. Scip. I, 17: *His illud adiiciendum est, quod praeter duo lumina et stellas quinque, quae appellantur vagae*; add. Cic. Tusc. I, 28. – *fides*, veritas.

109-112. Exemplo Calchantis, nobilissimi vatis in exercitu Graecorum ad Troiam, vid. Homer. Iliad. A, 68 seqq.; Virg. Aen. II, 182, docet haruspicinam esse vanam et mendacem. Cecinerat ille, Graecos, eversa Troia, victores sospitesque redituros esse; nec rediere tamen Danai, vs. 113. – *exemplum grave erit*, graviter admonet, testis locupletissimus est, *exemplum grave praebet* Horat. Carm. IV, 11, 26; nempe vanam esse haruspicinam. – *solvit*, pro solvi fecit Calchas, nempe suis consiliis et praedictionibus. – *Aulis*, oppidum et portus Boeotiae, ubi Graecorum classis Troiam petitura diu detinebatur. Virg. Aen. IV, 425; Ovid. Met. XII, 1, seqq.; et not. ad Prop. III, 7, 21. – *haerentes*, Diana Agamemnoni irata, et ventis adversis. – *bene haerentes*, magno suo bono, quia ea mora proderat Troianis, et ipsis quoque Graecis, magnam partem ad Troiam perituris. – *pia saxa*, quia bella et caedes vetabant, et Iphigenia non-

Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
Supprime, et Euboicos respice, Troia, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graecia pressa tuis.
Victor Oilide, rape nunc, et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiae: nunc ad tua devehor astra:
Incipe tu lacrymis aequus adesse novis.
Vmbria te notis antiqua penatibus edit.

dum mactata erat. – 111. Virg. Aen. II, 116: *Sanguine placastis ventos et virgine caesa.* Suadente Calchante *Agamemnonia puella*, id est Iphigenia, Agamemnonis et Clytemnestrae filia, mactata est, et *Atrides* Agamemnon *vela dedit*, nempe ventis, *cruenta*, pro ipse cruentus.

113-118. *Nec rediere tamen Danai* sicuti Calchas vaticinatus fuerat, plures enim eorum ad Troiam caesi, et reliqui redeuntes ad Euboicos seu Caphareos sinus naufragium passi sunt. Vid. not. ad III, 7, 39. – *tu diruta Troia*, eleganter Troiam tanquam personam alloquitur, *fletum supprime*, cohibe fletum III, 10, 8. – *Euboicos sinus*, cladis tuae ultores. – *natat*, verbum de naufragis proprium II, 23, 24; III, 12, 32. – *pressa*, oppressa, nimis onerata spoliis tuis. – 117. Aiax Locrensis, Oilei filius, Troia capta, Cassandrae vati, vid. vs. 51, in templo Minervae, in conspectu ipsius deae vim intulit. Virg. Aen. I, 39 seqq.: *Pallasne exurere classem Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto, Vnius ob noxam et furias Aiacis Oilei? Ipsa, Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem, Disiecitque rates, evertitque aequora ventis; Illum, exspirantem transfixo pectore flammas, Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto*; add. Aen. II, 403, ubi vid. Heine; Hygin. fab. 116; Lycophr. 348 sqq. – *victor*, votorum tuorum compos. – *rape nunc*, insultantis, abstrahe ab ara deae. – *vetat*, vetabat. – a *veste sua*, de amiculo intelligendum, quo Palladis simulacrum contectum erat.

119-126. Astrologus nunc fata poëtae praecinit, et quo sibi maiorem fidem conciliet, exponit, quae hactenus ei evenerant. – *hactenus historiae*, sed satis iam historiarum praeteriti temporis. – *ad tua astra*, fata, quae docent seu regunt astra; vid. lib. I, 6, 36. – *devehor*, venio, sermone progredior. – *lacrymis*, id est infortuniis lacrymas moventibus, quae a me audies. – *novas* vocat, in oppositione ad anteced. nempe Graecorum. – *incipe adesse*, pro simpl. adesto (vid. II, 15, 33), animo aequo et tranquillo audias me tua tristia fata canentem. – *Vmbria antiqua*, docte, nam Vmbri Gallorum seu Celturum colonia, in antiquis Italiae incolis sunt; vid. Plin. H. N. III, 14; Lipsius Elect. II, 19; Donnola de patria Prop. §. 69. – *notos penates*,

Mentior? an patriae tangitur ora tuae?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis intepet Vmber aquis,
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti, non illa aetate legenda,
Patris, et in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua quum multi versarent rura iuvenci,

patriam Propertii horoscopus vocat, quoniam eam poëtae ingenium nobilitaverat, notam reddiderat; vid. vs. 66, 126. Minus recte, ut videtur, Barthius in Vit. Prop. Chronol. statuit, horoscopum Hispellum, Propertii patriam, h. l. *notos penates* vocasse, partim propter coloniam romanam a Iulio Caesare eo deductam, partim propter balneum ibi frequentatissimum. Accuratius fines patriae Propertii recenset, *ora patriae quae tangitur*, ubi, *qua rorat* etc. Hispellum conterminum significat Mevaniae campo. — *nebulosa* dicitur a natura vallium nebulas exhalantium; vid. Sil. Ital. VI, 646. — *Mevania*, hodie Bevagna, Vmbriae Cisapenninae oppidum, h. l. vero totum agrum significat. — *cavo*, humili, depresso. — *rorat*, irrorat, rore conspergit patriam tuam; vel, ubi Mevania, in campo nebuloso sita, rorat, id est nebulis est involuta. — 114. *lacus Vmber* est Clitumnus; vid. ad II, 19, 25: aestivo tempore iste lacus intepescebat, alias gelidissimus et nivibus certans, vid. Plin. epp. VIII, 8; Donnola l. c. §. 103, 108; unde h. l. *intepet*, tepidus est. — 125. Itaque per cavum campum, scilicet vallem Mevanatem, et lacum Vmbrum sive Clitumnum itur ad urbem patriam Propertii, cuius murus consurgit ad collis apicem, *consurgit in vertice* et cum *vertice scandentis arcis*, id est montis, paulatim se cum urbe attollentis. Barth. Vid. vs. 65. Caeterum scite ad h. l. observavit Marklandus, astrologum scommate pulcherrimo alludere ad illa ipsa Propertii verba vs. 65 *Scandentes* etc. et tacite poëtae iactantiam perstringere.

127–130. Pater tibi tuus ereptus est, quum adhuc puer esses, vid. Prop. Vit. Chronol. ad a. 711. — *ossa legisti patris*, erat enim necessariorum, cremato cadavere, et extincto rogo ossa legere; vid. II, 24, 50; Kirchman. F. R. III, 7. — *et - lares*. II, 34, 55: *Adspice me, cui parva domi fortuna relicta est*; Horat. Carm. III, 29, 14: *parvo sub lare*, id est tecto sub exiguo. — 129. Intelligitur agraria largitio, quae Propertio maximam agrorum partem abstulerat. Nempe Octavianus Caesar A. V. DCCXIII, veteranis praemia persolvens, eos in agros municipales Italiae tanquam colonias deduxit, ita, ut eorum qui tunc incolerent agros iis assignaret; vid. Heyne Vit. Virg. Chronol. ad a. 713; eiusdem Argum. Eclog. I; ad Tiball. I, 1, 2. — *versarent*, diffinderent, ararent. Horat. Carm. III, 6, 39: *ligonibus Versare glebas*. Ovid. Rem. 173: *versare terram*. — 130.

Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox, ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris et ante deos libera sumta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
Aut tu finge elegos, fallax opus: haec tua castra:

*pertica*, decempeda, qua agri distribuebantur, ut in Valer. Catonis Diris vs. 45: *Pertica, quae nostros metata est impia agellos, Qua nostri fines olim, civis omnia fiant.* Dicitur *tristis* ab effectu, nam possessores agrorum eiiciebantur possessionibus suis, et horum indignatio atque militum effrenis cupiditas et audacia maximas per Italiam turbas excitabat. – *excultas opes*, bene cultos agros.

131-134. Te adolescentulum Apollo poëtam fecit, atque prohibuit, ne causas apud iudices in foro ageres. – *dimissa*, deposita, exuta. – *bulla aurea*, insigne puerorum nobilium et divitum (nam humili loco nati et pauperes scortea, id est corio facta, utebantur) cordis figura, quod e collo in pectus dependebat, vid. Macrob. Sat. I, 6; Plin. XXXIII, 1; Iuvenal. Sat. V, 164: accipiebant bullam a parentibus die natali, Plaut. Rud. IV, 4. 127, eamque gestabant usque ad annum aetatis XVI, tunc laribus suspendebatur. – *rudi collo*, adolescentis rudis et imperiti rerum. – *Matris ante deos*, quippe patre orbatus; vid. vs. 127. – *deos*, lares, penates, coram quibus deposita bulla aurea et praetexta, toga pura, virilis, sumta. – *libera toga*, quod ea sumta vitae liberioris iter erat, et quod adolescentes nobiles, quum Liberalia, Bacchi festa XVI Kal. April. celebrarentur, eam accipiebant: Ovid. Fast. III, 771: *Restat, ut inveniam, quare toga libera detur Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.* 777 seqq.: *Sive, quod es Liber, vestis quoque libera per te Sumitur, et vitae liberioris iter.* – 133. *suo de carmine*, pro, de suis carminibus dictat, te vatem fecit; vid. ad I, 2, 27. – *insano foro*, clamoso, vid. Persius Sat. III, 46, ibique schol. quo sensu et Virg. Georg. II, 502, *insanum forum* dixit, id est clamoribus litibusque perstrepens. – *tonare* eleganter de forti, grandi et sublimi quoque oratione adhibetur, ut apud Plin. epp. I, 20: *non enim amputata oratio et abscissa, sed lata, excelsa, tonat, fulgurat*; add. Prop. II, 1, 40; hinc *verborum fulmina* Cic. ad Div. IX, 21.

135-138. *Fingere*, verbum de carminibus solemne. Horat. Art. Poët. 382: *fingere versus*; Carm. IV, 2, 31 seq.: *operosa Carmina fingo*, ubi Mitscherlich.: spectat τὸ *operosum* ad poëtarum μελέτην, et ipsam ideo pro carminibus poni solitam. Recte. Sic h. l. *opus fallax* sunt carmina fallacia, quibus excantare (fallacia enim tribuitur quoque magis et veneficis propter praestigias, I, 1, 19; III, 3, 49), flectere, movere puellas possis. – *tua castra*, hic te stipendia merere oportet; intelliguntur castra Amoris, quae Martis castris opponuntur. In re autem amatoria frequenter poëtas imagines a re bellica desumere solere tralatitium est. Locus hanc in rem

Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascunque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.
Et bene quum fixum mento decusseris uncum,
Nil erit hoc, rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.
Nec mille excubiae, nec te signata iuvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.

classicus Ovid. Amor. I, 9: *scribat cetera turba*, vid. III, 1, 12. — *blandis sub*, in, *armis* opponuntur iis saeva Martis arma. — *pueris*, Cupidinibus, *utilis hostis eris*, dum habebunt in quo exerceantur.

139-146. Compara I, 1, 1 seqq. Nam constantiam tuam et fastum, puellarumque contemtum, una puella vincet, ita ut ab ore et nutu illius pendeas, coll. vs. 143 seq. Innuitur Cynthia. — *victrices palmas*, victoriae indices. — *palmas*, improprie pro laudes et gloriam victoris, ut vs. 102. *eludet*, auferet, eripiet, evanescere faciet. — *una puella*. II, 1, 55: *Una meos quoniam praedata est femina sensus.* — 141. Hanc sortem, Amoris vincula, nullo pacto effugies. Anceps malum describitur: uncum decusseris, ansa te premet. Similiter Horat. *hac urget lupus, hac canis anget*, Sat. II, 2, 64. — *bene fixum*, firmiter, arcte. — *decusseris uncum*, id est quum uno laqueo te extricaveris. — *Uncus*, fustis ab uno latere incurvus, ac sese retorquens, sontium gulae et mento impingebatur a carnifice, ut ad scalas Gemonias vel Tiberim traherentur, vid. Cic. Phil. I, 2; Iuvenal. X, 66; Sueton. Tib. 61, 54; Casaub. ad Pers. Sat. V, 160; Crucquius ad Horat. Carm. I, 35, 20. — 142. *nil erit hoc*, operam perdes, nil efficies. — *rostro te premet ansa*, te urgebit, adstringet ferro adunco et recurvo, ansa rostrata. — 143. Sensus esse potest: illius arbitrio felix et laetus, infelix et tristis eris, coll. I, 11, 25. Sed rectius explicantur haec verba: illius arbitrio dormies et vigilabis; *videre noctem*, ut *videre oculis somnum*, pro dormire, Terent. Heautont. III, 1, 82. — *Gutta - cadet*, erit illa, illius superbia, perfidia, lacrymarum tuarum unica causa, nec tamen illa invita flere tibi licebit. Ita variis et egregiis coloribus poëta exornavit sententiam hanc: Cynthiae servies et Amori ludum dabis, arbitrario Amoris imperio te submittes. — 145 seq. Sensum perite constituit Barthius: custodes amicae pervigiles appositi nihil te iuvabunt, neque etiam ipsa limina obsignata. Nam si fallere vult, eique hoc persuasum est ab amatore alio, minima occasio ad peccandum sufficit, vel rima hoc effecerit. Conf. II, 6, 37 seq.

147-150. Negat Astrologus Propertio metuendum esse naufragium, bellum, terrae motum, tantum caveat

Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
  Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu:
  Octipedis Cancri terga sinistra cave.

signum infaustum ei timendum atque cavendum esse. — *luctetur*, vim impetumque maris et ventorum evincere conetur. — *armatis*, scilicet hostibus, pro in hostes armatos. — *cavo*, ornantis. — *diducat*, pro diducatur. *terga*, Manil. II, 199 *testudinem* dicit. Vocantur *sinistra*, infausta, quia sidus cancri infelix, vid. Iulius Firmicus VIII, 20; partes pleraeque omnes cancri infaustae. Manil. IV, 459: *Nec Cancri prima immunis, nec tertia pars est, Nec sexta, octavae similis decimaeque peracta Prima rapit* etc. Praeterea vero interpp. quoque monent cancrum astrologis esse avaritiae symbolum. Manil. l. c. *Ille tenax animi, nullosque effusus in usus Attribuit varios quaestus, artemque lucrorum.* Itaque poëta his verbis simul tacite, ut opinor, perstringit Cynthiae avaritiam, coll. II, 16, 17, cuius geniturae signum fuerit cancri sidus. — *octipedis*, pro multipedis; Gloss. Vet. ὀκτάπους, *millepes*.

## ELEGIA II

### VERTVMNVS

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
  Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego, et Tuscis orior: nec poenitet inter
  Proelia Volsinios deseruisse focos.
Haec me turba iuvat; nec templo laetor eburno:

ELEGIA II

Vertumnus, quem poëta loquentem inducit, ostendit, cur dicatur Vertumnus, quando et a quibus sit Romam advectus, cur in vico Tusco collocatus conspiciatur. Nempe ignoratio originis, a qua nomen dei antiquum ductum esset, hominum animos ad coniecturas converterat, quae postea in narrationes abierant. Iam quum variae figurae in ipsa operis fusi effigie conspicuae essent; (imposita nimirum erant, ut videtur, v. c. falx et plectra dextrae, varii generis fructus sinistrae v. 42, casses et corbis, humeris, et reliquae figurae descriptae, fortassis vesti impressae erant) Propertius, refutatis falsis aliorum opinionibus, ex illis ipsis figuris, coll. vs. 1, docet, deum ideo dictum esse Vertumnum, quod posset in omnes verti figuras, adeoque esse deum, non a rusticis tantum colendum, sed ab omnibus, qui res suas bene feliciterque peragere vellent; docet, ut paucis omnia complectamur, Vertumnum esse symbolum naturalis agendi dexteritatis, qua omnia bene vertant, et cum decore peragantur. Caeterum cum hoc loco comparandus est locus Ovidii Met. XIV, 642 sqq.

1-6. *Quid-formas?* infra vs. 47: *quod formas unus vertar in omnes.* – *Accipe Vertumni signa p. D.* accipe has formas, figuras, signa paterna esse, disce effigiem antiquam a patribus tributam in patria mea. Alii: notas, quibus possis eum agnoscere, audi. – *paterna*, pro patria. Sic et *πάτρια* et *πατρῷα*, *paterna*, inter se permutantur, vid. Fischeri Commentar. in Xenoph. Cyrop. I, 1, 4. – *Tuscus ego*, deus Etruriae sum, inde mihi origo. – *Volsinii* Etruriae oppidum, Plin. II, 52, 53; Strabo V, p. 345 Almelov.; Iuvenal, Sat. III, 190. – *inter proelia*, eo nimirum tempore, quod describitur infra vs. 51 seq. coll. vs. 60. – *deseruisse focos*, ex Etruria Romam migrasse. – *turba iuvat*, Romana togata, vs. 55, mihi curae est, ea delector. – *nec templo l. eburno*, nihil curo templum meum ebore ornatum. Aedem Vertumni memorat Festus in *Picta;* ea in regione urbis XIII erat, vid. Onuphr. Panvinii descriptio urbis Romae in Graevii Thes. Antiq. Rom. tom. III, pag. 309, sed h. l. est sermo de signo seu statua Vertumni in vico Tusco, qui pars Velabri fuit, in regione VIII; vid. Panvinius loco citato, pag. 297; Varro L. L. IV, pag. 12; Cic.

Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus.
Seu quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.

Verr. I, 59. Velabrum erat planities inter Capitolinum, Palatinum et Aventinum montes, vid. Donatus de urbe Roma II, 15, in Graevii Thes. Ant. Rom. tom. III, pag. 610, a velis dicta, quoniam olim navigabilis fuerat; vid. eleg. 9, 5. Signum autem Vertumni, auctore Asconio ad Cic. loco citato, in ultimo vico thurario sive iugario erat. Sed vicus thurarius sive iugarius a porta Carmentali mittebat in Forum, et vico Tusco (a Tuscis advenis ita dicto) iungebatur in Velabro. Itaque quum Varro loco cit. aliique dicunt Vertumni signum fuisse in vico Tusco, non dissentiunt ab Asconio, erat enim in fine utriusque vici, ubi iungebantur, vid. Donat. II, 27 loco citato, et Gorium tom. II Musei Etrusci p. 8, ad Tab. II, in qua Vertumni imago. – *Romanum - forum*, hic locus, unde prospectus patet in Forum Romanum, ubi turba togata ante meos pedes transit, mihi unice placet.

7-10. *Hac* δεικτικῶς, ostendit Velabrum. – *Tiberinus* deus, pro fluvio ipso. - *iter faciebat*, pro ibat, fluebat. Tibull. II, 5, 33: *At qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua.* Ovid. Fast. VI, 405: *Qua Velabra solent in Circum ducere pompas; Nil praeter salices cassaque canna fuit. Saepe suburbanas rediens conviva per undas Cantat, et ad nautas ebria verba iacit. Nondum conveniens diversis iste figuris Nomen ab averso ceperat amne deus.* - 9. *ille*, nempe Tiberinus. – *tantum concessit alumnis* (vid. eleg. I, 37), tantum tribuit Romanis hic fluvius, ut eorum causa verteret iter, quasi decederet, postquam tantum recessit in Romanorum commodum, id est, ut Ovid. loquitur loco citato, *postquam stagna recesserunt, et aquas sua ripa coërcet.* – 10. A conversis aquis inundantis fluminis me Vertumnum nominatum esse, opinati sunt.

11-18. Altera nominis ratio affertur. – *praecepimus*, primi cepimus, nam fructuum primitiae Vertumno, qui et inter deos agrestes erat, dari solebant, et *praecipere*, ante gustare, eleganter hoc loco de fructuum primitiis adhibetur; respondet gr. προλαμβάνειν. Alciphr. I, 2: *μῆλα τὰ μελιχρότατα προλαμβάνει τὰς ὥρας.* Ovidius Met. XIV, 688: *quae tibi poma coluntur, Primus habet* (nempe Vertumnus) *laetaque tenet tua munera dextra*; add. Colum. de Cultu hortor. X, vs. 308, ibique Gesnerus. – *vertentis anni*, Tibull. IV, 1, 169: *per tempora* (nempe illa quatuor anni) *vertitur annus.* Ac vertens omnino dicitur, quod vertitur et in cursu est, sed in anno vertente ratio habetur, mouente Passerat., anni iam conversi et exacti, ut apud Iuvenal. Sat. VII, 242. – *Sacrum* de sacrificiis et cultu externo frequens. Sensus:

Prima mihi variat liventibus uva racemis,
 Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
 Cernis, et aestivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
 Quum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama noces; alius mihi nominis index:
 De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
 In quamcunque voles, verte; decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella:
 Meque virum sumta quis neget esse toga?

seu quoniam agrestis quoque sum deus, atque praecepi, et a me praecipiendi sunt *vertentis* anni fructus, ideo vulgus credit, me Vertumnum deum dici, et coli debere, mihi sacrum esse debere. Sic *erit*, pro esse debet apud Phaedr. III, Prolog. 46; III, 10, 58 al. – 13. *mihi variat*, docte pro mihi vovetur, libatur. – *variat*, variatur, vario colore distinguitur, variari enim dicitur prop. uva, quae *variis racemis ducit purpureum, nondum matura, colorem* Ovid. Met. III, 485; add. Horat. Carm. II, 5, 10 sqq., ubi vid. Bentlei. et Mitscherlich. – *liventibus racemis*, id est nigrescentibus, et maturescentibus. – *coma spicea*, pro spica comata. – *tumet*, nempe mihi, id est gravida fit, impletur, ut Ovid. Fast. I, 152: *Et nova de gravido palmite gemma tumet.* – *lactenti fruge*, tenera, et lactis plena. Virg. Georg. I, 315: *Frumenta in viridi stipula lactentia turgent.* – 15. *hic*, apud me, mihi libantur. – *autumnalia pruna*, quae matura fiunt autumno, ut *mora* rubentia aestate. – Nam *aestivo die* dictum est pro aestate. – 17. Vertumno, Pomonae marito, vid. Ovid. Met. XIV, 770. – *insitor*, qui arborum ramos aliis inserit, vid. Virg. Georg. II, 33 dabat, vovebat, *coronam pomosam* e ramis implexis cum suis pomis. – *invito stipite*, trunco coacto, ut alienos foetus sustineat et alat. Sermo est de insitione, de qua Virg. loco citato: *Et saepe alterius ramos impune videmus Vertere in alterius; mutatamque insita mala Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna.*

19-28. Non tantum vinitorum, agricolarum, pomariorum sum deus, falsa nominis mei origine disseminata. – *mendax fama noces*, me laedis, dum vires ac potestates meas nimis angustis finibus includis. Alia est mihi etymologia. – *opportuna mea est* etc. Vertumnus dicor, quia omnis figura, in quam me vertis, me decet, mihi optime convenit. Ovid. Met. XIV, 765. Vertumnus dicitur *formas deus aptus in omnes*. Et Tibull. IV, 2, 14 de eo: *Mille habet ornatus, mille decenter habet.* – 23. Sum quoque ab amantibus colendus. – *Cois*, vid. ad I, 2, 2. – *non dura*, facilis, parata, vel omnino apta. – *toga* virili. – *foe-*

Da falcem, et torto frontem mihi comprime foeno:
Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et, memini, laudabar in illis:
Corbis in imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites: at quum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi;
Furabor Phoebi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor; sed arundine sumta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigae species Vertumnus, et eius,
Traiicit alterno qui leve pondus equo.

*no torto*, nempe in coronam. Ovid. Met. XIV, 645 seq.: *Tempora saepe gerens foeno religata recenti, Defectum poterat gramen versasse videri.* 649: *Falce data frondator erat, vitisque putator.* – 27. Arma tulisse Vertumnum, inter alias species assumtas, quum ad Pomonam aditum quaereret, tradit Ovid. loco citato 651: *Miles erat gladio, piscator arundine sumta.* - *in illis*, nempe armis, id est armatus, vid. de hac locutione Heins. et Burm. ad Ovid. Met. VIII, 313; Ruperti ad Sil. Ital. II, 132. – *corbis in imposito pondere*, pro quum mihi corbis pondus impositum; sed *corbis pondus* dictum est pro gravis corbis. Ovid. loco citato 643 seq.: *O quoties habitu duri messoris aristas Corbe tulit, verique fuit messoris imago!*

29-36. *Sobrius ad lites* scilicet sum; sobrium esse ad aliquid, id est ab eo abstinere, similis locutio II, 22, 20: *ad formosas caecus.* Ergo sensus: abstineo a litibus et iurgiis ebriosorum; sed ubi coronatus fuero (*coronae* convivantium et compotantium notae) clamabis me ad iurgia pronum, bibacem et ebriosum esse. – *subire* de rebus ac personis clanculum ingredientibus et insinuantibus dici, tritum est. – 31. *mitra*, vid. ad III, 17, 30. – *speciem*, formam, *f. I.* Bacchus mitrophorus ero. Haud dissimiles blanditiae Sapphus ad Phaonem apud Ovid. Heroidd. XV, 23 seq.: *Sume fidem et pharetram; fies manifestus Apollo: Accedant capiti cornua; Bacchus eris.* – 33. *cassibus*, retibus humero impositis, retibus assumtis venor; capto feras cassibus. - *arundine sumta*, calamis aucupatoriis sumtis, *calamum* Ovid. Rem. Am. 802, de aucupio loquens, commemorat: *Alite capta Aut limo aut calamis praemia parva sequi.* - 34. Sum Faunus et aucupio praesum. Dicitur aucupium *plumosum* ab ipsis captarum volucrum plumis. – 35. Praeter alias species, induere quoque potest Vertumnus aurigae speciem, et non modo aurigae, sed etiam desultoris personam agere. – *aurigae species*, callet artem currum flectendi et vertendi, praesertim ad metam. – *traiicit* etc. artem binos trahendi equos, et alternatim ex uno in alterum mira pernicitate transultandi. His equis desul-

Suppetat; hoc pisces calamo praedabor; et ibo
  Mundus demissis institor in tunicis.
Pastor me ad baculum possum curvare, vel idem
  Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima cura est,
  Hortorum in manibus dona probata meis?

toriis utebantur Romani in ludis Circensibus. Sueton. vit. Caes. 39: *quadrigas bigasque et equos desultorios agitaverunt nobilissimi iuvenes;* vid. Panvinius de ludis Circens. I, 9. – *leve pondus*, nempe corporis sui; respicitur desultoris velocitas.

37-40. *Suppetat*, supple si; si mihi detur, si liceat, dummodo copia et occasio adsit. – *praedabor*, verbum fortius, pro capiam pisces, piscator ero. – *Mundus*, id est elegans, comtus, institor. – *demissis tunicis* opponit piscatori squalido, cui altius tunica sordens subducta. – *Institor* autem dicebatur, qui domini et patroni nomine merces vel in taberna venderet, vel ostiatim circumferret; *Facteur*, *Commis*. Cuius generis homines plerumque servi erant, aut libertini, interdum et ingenui, de plebe. Hi vero homines, inprimis ii, quos Plautus Aulul. III, 5, 51, *nugivendos* dicit, id est munditiarum muliebrium venditores, quo matronis puellisque placerent, elegantes solebant esse et molles, discincti, tunicisque demissis incedere solebant. Hinc Ovid. Art. Am. I, 421: *Institor*, inquit, *ad dominam veniet discinctus emacem: Expediet merces, teque sedente, suas.* Et Remed. Am. 305 seq.: *Diligit ipsa alios: a me fastidit amari; Institor heu! noctes, quas mihi non dat, habet.* – 39. Possum me quoque in pastorem mutare, pastoris personam sustinere. – *me ad b. possum curvare*, graphice habitum pastoris baculo incumbentis haec verba referunt, et sic fere pastores in gemmis exhibentur; vid. Gorlaeus num. 49 et num. 53. Add. Ovid. Trist. IV, 1, 11: *Fessus ut incubuit baculo saxove resedit Pastor, arundineo carmine mulcet oves.* — 40. *Sirpiculum* est canistrum vimineum, ita dictum a sirpando, id est ligando; nam *sirpare*, verbum antiquum, significat, auctore Varrone, alligare. Columell. de Cultu hortor. X, 304 sqq.: *Demetitis flores, cano iam vimine textum Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis*, ubi vid. interpp. — *medio pulvere* explicant media aestate, vel media via pulverulenta. Rectius Vulpius monuit, Propertium loqui de Circo, ubi ludos et quadrigarum cursum spectantibus rosae, et alia florum genera vendebantur. Nam et supra iam vs. 35 ludos Circenses respexit poëta, et in Circum maximum iter erat ex vico Tusco ac signo Vertumni, vid. Cic. Verr. I, 95.

41-46. Sum quoque hortulanorum et olitorum deus. — *Nam quid*, pro quidnam, ut III, 11, 27. — *adiiciam* praeterea dicam. — *de quo m. m. cura*, quum simplex sit et rara arborum cura; curam olerum florumque quovis mense saepius redeuntem ob infinitas sationes et messes hortenses, vocat maximam curam. — *hortorum dona*, olera et flores, ut *dona Bacchi* III, 17, 13. – *dona probata*, grata

Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
  Me notat, et iunco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
  Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
  Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
  Vnde hodie vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,

accepta nempe hortulanis et olitoribus, *in manibus meis* esse, manibus meis esse imposita. – *caeruleus c.*, *lividum* vocat Colum. de Cultu hort. X, 389. – *tumidoque cucurbita ventre*, eadem imagine usus est Virg. Georg. IV, 122: *Cresceret in ventrem cucumis.* — 44. *me notat*, designat, docet qui sim, et quod in illas ea formas verterim. — *brassica vincta*, adstricta in manipulum. — 45. *hiare*, de floribus patulis poëtae usurpant, vid. Heins. ad Ovid. Art. Am. II, 115; Burm. ad Lotich. p. 103. – *quin - meae*, quin antea primitiae mihi sint dicatae. – *Imponere flores fronti*, dictum pro praecingere, coronare floribus, vid. Bentlei. ad Horat. Carm. I, 7, 7.

47-52. *ab eventu*, ab effectu, a vertendo nimirum, quia quae efficiuntur, eveniunt. PASSER. – *tribuisti praemia Tuscis*, a Tuscis, qui Romanis auxilio venerant, et postea in illa urbis regione habitarunt, vicum Tuscum nomen habuisse, scriptores vett. tradunt, sed ratione temporis, quo id factum, inter se dissentiunt. Cum nostro faciunt Varro L. L. IV, p. 14. Festus in *litura*. Servius ad Virg. Aen. V, 560. Scilicet Varro loco citato: *In Suburana*, inquit, *regionis parte princeps est Coelius mons, a Coelio Vibenno, Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem*, et paullo post, *ab eis* (Tuscis) *dictus vicus Tuscus, et ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriae.* Servius vero ad Aen. loco citato ex Varrone tradit: *Romulum dimicantem contra Titum Tatium, a Lucumonibus, id est Tuscis auxilia postulasse, unde quidam venit cum exercitu, cui, recepto iam Tatio, pars urbis est data, unde in urbe Tuscus dictus est vicus.* Recte Burm. ad h. l. pro *unde quidam* e Varrone corrigendum censet: *Lucumo*, vel *Lucumo Vibennus venit cum exercitu.* Sed de alio tempore loquitur Dionys. Halic. V, 36: tradit nimirum Hetruscos, qui Porsena rege ad urbem venissent, quum deinde Ariciam oppugnatum issent, fusos caesosque esse, plerosque vero saucios deportatos Romam, ibi quum convaluissent, remansisse, illamque urbis regionem iis incolendam traditam fuisse; add. Tacit. Annal. IV, 65; conf. not. ad vs. 3. Scilicet variis illis temporibus Etrusci Romam venerunt, et in ea urbis regione sedem fixerunt. – *Lucumonius* idem, qui supra eleg. 1, 29 dictus est Lucumo.

Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies, et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugae.
Sed facias divûm sator, ut Romana per aevum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus, te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: haec spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Vnum opus est, operi non datur unus honos.

53-58. *Vidi ego*, nempe Vertumnus. -- *labentes acies*, turbatas, supra III, 11, 69: *versas acies*. -- *tela caduca*, id est irrita, quae manu emissa, hostes non laedunt, ut *preces caducae*, nil proficientes, *vota caduca*, quae irrito successu concipiuntur etc. -- *fugae terga dare*, ut apud Ovid. Met. XIII, 879, *fugae*, pro in fugam. — *terga dare*, nempe Sabinos. — 55. Pro urbis incolumitate et perpetuitate vota facit. -- *divum sator*, apud Virg. Aen. I, 254, Iupiter dicitur *hominum sator atque deorum*, sed X, 743: *divum pater atque hominum rex*. – *ante meos pedes*, ad Vertumni statuam haec verba referenda sunt. – 57. *sex superant versus*, restant, supersunt; pauca adiiciam verba. – *qui ad vadimonia curris*, dictum omnino pro qui in re tua occupatus es, cui negotium, quod differri nequit, peragendum. Vadimonium enim deserere turpissimum erat et damnosum quoque. – *haec - meis*, hic erit finis narrationis meae. Translatio a currentibus in stadio desumta, atque laboris finem frequenter poëtae per metam significant; vid. Dorvill. ad Charit. p. 788, ut apud Ovid. Am. III, 15, 2: *Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum, Raditur hic elegis ultima meta meis*.

59-64. *Stipes acernus eram*, similiter de Priapi simulacro Horat. Sat. I, 8, 1: *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum*. – *properanti f. d.*, leviter, perfunctorie, sine arte, unde et *pauper deus* dicitur. – 61 seq. Mamurio Veturio, qui Numae Pompilii temporibus vixit, qui etiam aerea ancilia sacra fabricavit, vid. Ovid. Fast. III, 389 sqq.; Markland. ad Stat. Silv. p. 275. Vertumnus ab illo fusus apprecatur et optat terram levem. – *terat*, premat, sed levis adoperiat. – *manus artifices*, doctas. – *Osca tellus* significat apud Oscos, Italiae in Campania populum, Mamurium sepultum fuisse. – *dociles in usus*, aptum in varios usus, coll. vs. 29, 31, 33 sqq. et multorum commodis servientem. – *fundere*, conflare, verbum de statuis ex aere liquefacto ductis pro-

## ELEGIA III

### EPISTOLA ARETHVSAE AD LYCOTAM

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,
Quum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Haec erit e lacrymis facta litura meis.
Aut si qua incerto fallet te litera tractu,
Signa meae dextrae iam morientis erunt.

prium. – 64. Signum artificis unum est; sed multiplex ei laus tribuitur ob multas formas, et usus varios. Pas.

Elegia III

Arethusa marito Lycotae militanti moestitiam suam, desiderium, solitudinem, fidem, industriam, vota pro eius reditu suscepta ostendit: pugnae inventorem detestatur, rogatque maritum, ut lecti genialis foedera incorrupta conservet. Vulp. Mellitissimum carmen; amorem ardentissimum tenerrimumque spirat, et doloris ac desiderii affectum vividissime declarat; elocutio autem ipsa suavis et simplex, qualis in luctu esse solet ac debet. Sub Arethusae nomine Aeliam Gallam latere, per Lycotam vero Posthumum esse intelligendum, (de quibus vid. III, 12) recte monuerunt interpretes. – Caeterum perquam probabile est, Ovidium ab hac inprimis elegia suam Heroidum ideam cepisse. Ipse enim testatur, Propertium sibi elegias recitasse, atque se Propertio in scribendis elegiis successisse. Conf. Trist. IV, 10; add. Trist. II, 445, 467.

1-6. *Mandata*, nempe literis, hanc epistolam. – *suo* addit *si potes esse meus*, sollicita nimirum, ne pactam coniugii fidem laederet, quum *toties*, coll. vs. 7-10, abesset, et militiae operam daret. – 3. Ovid. Her. III, 3: *Quascunque adspicies, lacrymae fecere, lituras.* – *pars*, nempe eorum, quae literis mandavi, epistolae. – *oblita*, a lacrymis deleta. — *deerit* prima longa, duabus constat syllabis, et optimi quique poëtae nonnunquam priores verbi *deesse* syllabas contrahere solent, ut Iuvenal. Sat. VII, 69; Manil. III, 592. Causa et origo, cur poëtae alterum *e* elidant, Arntzenio ad Catonis Disticha p. 64, recte videtur haec, quod similis usus est scribentium et loquentium, ut ex Inscriptt. patet; Fabrett. Inscriptt. p. 169, extr. FRVCTVS. VITAE. TVAE. DERVNT.; vid. et Barth. ad Stat. Theb. VIII, 236; X, 230. — *incerto*, instabili et errante. — *fallet*, effugiet et latebit oculos tuos. — *tractu*, graphice et eleganter pro ductu, trahit literas, qui manu vacillante et non sine molestia scribit. Ovid. Heroidd. XI, 1: *Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris.*

Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Sericus hostis equo.
Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,
Vstus et Eoo decolor Indus equo.
Haecne marita fides, hae pactae sunt mihi noctes,

7-10. Toties a me abfuisti, et rursus me reliquisti, ac in extremas regiones militatum abiisti. Hanc sententiam poëtice pertractavit Propertius. — *Bactra*, urbs regionis Bactrianae primaria, pro universo Parthorum regno commemorata. — *per ortus*, per orientis populos et regiones, *iteratos*, iterum peragratos. Sic Lucan. II, 642: *Totos mea, nate, per ortus Bella feres*, id est per totum Orientem. Sic *iterare aequor*, pro cursum in mari repetere, iterum navigare, dixit Horat. Carm. I, 7, 32. Scilicet Lycotas, sive Posthumus A. V. 731, in Arabiam militatum abierat cum Aelio Gallo, cui, ut expeditionem in Parthos quoque et Indos susciperet, mandatum fuisse videtur, vid. III, 12 Argum. Prop. Vit. Chronol. ad A. V. 730, 731, et not. ad II, 10, 13. Idem vero Lycotas seu Posthumus A. V. 734, (quo ipso anno hanc elegiam scriptam esse contendo) in Augusti Asiam, Bithyniam, Syriam invisentis comitatu haud dubie fuit. Quum in Syriam advenisset Augustus, Phraates, veritus, ne bello peteretur, captivos et signa militaria Crassi et Antonii cladibus amissa Augusto remisit, vid. Dio LIV, 8; etiam Indorum legati eum Antiochiae adierunt, Strabo XV, p. 719. Ea res magnificis verbis a poëtis exornari solet, quum loquuntur de Parthis profligatis, subactis, de Oriente debellato; vid. Heyne vit. Virg. Chronol. ad A. V. 734. Itaque nec h. l. verba *Bactra te viderunt* etc. ad vivum resecanda sunt. — *Sericus hostis*, Seras commemorat ob finitimos Parthos, sic et Horat. Carm. III, 29, 27, Bactra et Seras coniungit; add. Prop. III, 4, 5. — *munito equo*, laminis ferreis tecto, vid. III, 12, 12. — *hibernique Getae*, Lycotas, ut ex his verbis coniici licet, fuit in exercitu M. Crassi, qui Dacos trans Istrum bello adortus est, et de iis triumphum egit IV Non. Iul. 726. Etenim pro Dacis magnificentius visum poëtis nominare Getas, finitimos illis populos, atque etiam Scythas; vid. Heyne Virg. vit. Chronol. ad A. V. 725; Mitscherlich. ad Horat. Carm. IV, 15, 22: *pictoque Britannia curru* Augustus bello in Britannos parato A. V. 727; sed mox seposito, ab Vrbe in Gallias et Hispanias profectus est; vid. Dio Cass. LIII, 22; Strabo IV, p. 306 Almelov. Heyne vit. Virgil. Chronol. ad A. V. 727. Eo igitur anno Lycotas in Britanniam missus fuisse videtur. — *picto curru* II, 1, 76, esseda caelatis Britanna iugis. — *decolor*, dicitur de colore vitiato, ac deperdito, speciatim vero de eo, qui nigrorem aliunde contraxit, ut Sueton. Aug. c. 4; Iuvenal. Sat. VI, 600; Ovid. Art. Am. III, 130; h. l. ergo idem quod niger, vel fuscus; vid. Gierig. ad Ovid. Met. IV, 21. — *Eoo equo*, pro equis Eois, vid. ad II, 18, 11; III, 13, 15.

11-16. Conf. Ovid. Heroidd. VI, 41. — *marita fides*, coniugalis, ma-

Quum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est: nupsi non comitante deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota:
Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,

ritalis, ut III, 20, 26. — *rudis*, ἄπειρος γάμου, ἄζυγος κόρη, *ignara puella mariti* Horat. Epist. II, 1, 132; vid. Prop. III, 17, 7; Iacobs Animadv. ad Anthol. Graec. tom. II, P. III, p. 98. – *urgenti*, instanti, prementi. – *brachia victa dedi*, me a te expugnari passa sum. Ovid. Heroidd. XXI, 240: *Doque libens victas in tua vota manus*. Metaphora desumta a victis et captivis. — 13. Quum sponsa in domum tuam deducerer, artibus magicis circumventa sum, ut nuptiae meae evaderent infelices, ac diris ominibus nupsi. — *deduci* verbum de sponsa in mariti domum ducta proprium, vid. Tibull. III, 4, 31. — *omen praetulit*, fax faustum omen praeferebat, si purius luceret; sed Arethusae infaustum omen praeferebat. Etenim fax nuptialis e *rogo everso*, collapso, accensa erat, et *traxerat*, conceperat, sumserat *lumina nigra*, obscurius lucebat, plus fumi quam flammae emittebat. Conf. Delrius ad Senec. Med. vs. 17, p. 13: *Et Stygio sum sparsa lacu*, aqua Stygia, magicis aquis (IV, 1, 106) sum adspersa. Festus in Facem: *Facem in nuptiis in honorem Cereris praeferebant, aquaque adspergebatur nova nupta, sive ut casta, puraque ad virum veniret, sive ut aquam atque ignem cum viro communicaret.* — *recta vitta*, pro recte, ut vs. 22 *aeternus* vim adverbii obtinet. Non recte, inversa, vitiose imposita est vitta capillis. — *nupsi non comitante deo*, nempe Hymenaeo, id est omnino adversante Hymenaeo, nuptiarum deo, quem ad nuptias vocabant, solemnem decantantes formulam: *o Hymenaee Hymen*; vid. Aristoph. Av. 1740; Catull. LXI, 5 sqq.

17-22. *Portis*, nempe templorum, infra vs. 57: *flore sacella tego*; atque per *vota* intelliguntur flores, id est serta quae diis voverat, vid. ad vs. 57, 59; II, 14, 26. Sed *vota* mea fuerunt *noxia*, plus nocuerunt quam profuerunt, non impetravi reditum tuum; etenim iam quarta tibi militanti a me *lacerna* (vid. ad III, 12, 7) texitur. Finita illa Arabica expeditione, ab Aelio Gallo suscepta, Lycotas Romam ad uxorem non rediisse, sed in illis regionibus permansisse, atque postea in Augusti, qui in Asiam traiecerat (quemque a Parthis signa Crassi bello repetiturum esse, constans tunc temporis fama erat) comitatu fuisse videtur. — *castris tuis*, in usum tuae militiae et castrorum. – 19. Vid. not. ad I, 17, 13; II, 6, 31. Detestatur eum, qui primus castra munivit vallo et sepsit, stipitibus ex arbore decerptis, rasis seu dolatis, nec non eum, qui tubam invenit. — *Occidat*, male sit ei, vid. II, 6, 31. – *immerita ab arbore*, quae non mere-

Et struxit querulas rauca per ossa tubas.
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris et macie vultum tenuasse: sed opto
E desiderio sit color ille meo.

batur propterea mutilari. — *carpsit*, decerpsit ferro. — *vallum*, ad munienda castra, *struxit*, composuit, construxit. — *querulas tubas*, infra eleg. 11, 9, *moestas tubas* vocat. — *rauca per ossa*, ossibus inter se iunctis. Tubis osseis sive corneis antiquissimo tempore utebantur, postea aeneis. Laudavit hanc in rem Vulp. locum Artemidori Onirocrit. L. I: σύγκειται γὰρ (ἡ σάλπιγξ) ἐξ ὀστέου, καὶ χαλκοῦ· vid. Vegetius de R. M. III, 5; Barth. ad Stat. Theb. VI, 404. — 21. Recte puto Beroaldum, Volscum, Politianum, alios, locum exposuisse ex Plinii loco XXXV, 11, 40, ubi tradit, in tabula Socratica pictum fuisse Ocnum funes torquentem, quos continuo arrodebat asellus, et tamen Ocnum tam obliquae fuisse inertiae, ut asinum non abigeret, adeoque instar Danaidum, continuato labore irrito se fatigasse, quam poenam Arethusa hic imprecatur primo valli et tubae castrensis, seu belli, inventori. Eo facit proverbium Ionum ὁ ἀνὴρ οὗτος συνάγει τοῦ Ὄκνου τὴν θώμιγγα, quod refert Pausan. lib. X, p. 868 seq.; conf. praeterea Turneb. Advers. VIII, c. 1; Leopard. Emendatt. IX, 11; Erasmus Adagio *ocnos funem torquet* p. 153 seq.: Scioppius Veris. I, 14. BURM. Dignior qui torqueat funem, quam Ocnus *obliquus*, quod epithet. recte Livineius explicat de positu corporis illorum, qui funes torquent, et in illam partem, qua torquetur funis, incumbunt. Sequitur exquisita apostrophe ad asellum ipsum. — *aeternusque*, perpetuoque. — *tuam famem pascat*, coërceat, comprimat, te famelicum alat.

23-32. *Dic mihi*, verum fatere ingenue. — *urit*, ornate pro premit, vexat, ut Horat. Epist. I, 10, 43; Ovid Heroidd. IV, 21; vid. Burm. ad Lotich. I, 2, 33. — *lacertos*, pro humeros, *imbelles*, molles, militiae labori minus aptas. — 25. Attamen malo, te laedant lorica et hasta, quam ulla puella morsu lascivo collo tuo notam imprimat, vid. III, 8, 21. Malo molestias a te perferendas, labores tuos deplorare, quam tuam perfidiam. — 27. *macie vultum tenuasse*, maciem vultum tuum deformasse (Virg. Georg. IV, 254) os exilius reddidisse. — *color ille*, pallor, lurida macies. — *desiderio meo*, id est erga me, pro desiderio mei. Nam *desiderium meum* notat proprie amorem, quo te reducem videre desidero. Sed illae locutiones promiscue poni solent, vid. Davis. ad Caes. B. G. I. 4: sic *cura tua* pro *cura tui* Claudian.

At mihi quum noctes induxit vesper amaras,
  Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror, in toto non sidere pallia lecto,
  Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
  Et Tyria in radios vellera lecta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
  Quot sine aqua Parthus millia currat eques.
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,

Bel. Get. 96. Caeterum pertinet huc locus Ovid. Art. Am. I, 735: *Attenuant iuvenum vigilatae corpora noctes, Curaque, et e magno qui fit amore dolor.* — 29. *noctes amaras*, vid. ad I, 1, 33. — *vesper*, stella Veneris, *noctifer* Catull. LXII, 7, eodem fere modo *lumina accendere* dicitur apud Virg. Georg. I, 251. — *osculor arma tua.* Similes loci Iuvenal. Sat. VI, 381; Ovid. Heroidd. XIX, 31 seq. — 31. *pallia*, intelligitur lecti stragulum, stragula vestis lecto cooperiendo. — *non sidere* ea excuti, quoniam me huc et illuc verso, quoniam *noctes amaras*, insomnes, in lecto coelibe duco. Ovidius Amor. I, 2, 1 seq.: *Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur Strata, neque in lecto pallia nostra sedent;* add. Martial. I, 110. — 32. Quum nox mihi longissima videatur, queror diem nondum adventare, pro quo ornate dixit *Lucis et auctores* etc. gallos intelligit, lucis, diei, praenuntios. Ovid. Fast. II, 767: *Iam dederat cantum lucis praenuntius ales;* Martial. XIV, Ep. ult.: *Cristataeque sonant undique lucis aves.* Gallos *matutinas aves* vocat noster I, 16, 45. — *auctores*, id est nuntios, quo sensu voc. *auctor* legitur quoque apud Ovidium Met. XI, 666; XII, 58, al.

33-40. *Castrensia pensa*, in usum castrorum, conf. supra vs. 18. Dum autem hoc commemorat Arethusa, se, matronarum more lanificio ac telae nocturno tempore operam dare, et nominatim texere lacernas marito militanti, auget laudem continentiae suae, fidei et amoris erga maritum. — *in radios*, nempe textorios, *radius*, κερκίς, textoris instrumentum. Ovid. Met. VI, 56: *Inseritur medium radiis subtemen acutis.* Et ut hoc loco, ita quoque *pensa* et *radii* coniunctim commemorantur a Virgil. Aen. IX, 476; Claudian. R. P. III, 161. Ait ergo, se laborare lanam Tyrio murice infectam. — 35. *disco*, patior me edoceri. — *qua parte*, scilicet orbis *Araxes*, vid. III, 12, 8. Sed per fluvios, ut notum est, saepius designantur populi, atque adeo hoc loco sensus est: disco situm regionis Parthorum, qui a nobis vincendi sunt. — 36. *Egenam aquarum regionem Parthorum* vocat Tacit. Annal. XV, 3. Equitem Parthicum aliquot millia in siccis et aridis illis campis currere sine aquae potu, sitimque diu tolerare posse, his verbis significatur. Egregie simul haec ipsa verba muliebrem curiositatem pingunt. — 37. Accuratiorem notitiam locorum, ubi Lycotas versaretur, sibi comparare cupiens Arethusa, ad tabulas geogra-

Qualis et haec docti sit positura dei:
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
Ventus in Italiam, qui bene vela ferat.
Adsidet una soror; curis et pallida nutrix
Deierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis:
Essem militiae sarcina fida tuae:
Nec me tardarent Scythiae iuga, quum pater altas

phicas confugere, easque perlustrare cogitur. – *mundos*, pro mundi partes. – *Qualis - dei*, quomodo illas partes posuerit sapiens deus, ut inquirere possim in regiones sub diversis zonis, vel frigida vel torrida sitis, in quibus tibi vel cum frigore vel calore nimio luctandum sit. — *docti*, σοφοῦ, sapientis. Contra Gellius XIII, 8: *sapiens rerum humanarum.* Prop. III, 5, 26: *Quis deus hanc mundi temperet arte domum.* Vid. Obss. – 39. *lenta tellus*, quae propter glaciem non sine difficultate tractatur et colitur. – *putris ab aestu*, resoluta nimio calore in pulverem.

41–50. *Adsidet*, verbum de iis proprium, qui aegris vel afflictis auxilii vel solatii causa adsunt, ut apud Petron. cap. 111; vid. Burm. ad Ovid. Heroidd. XX, 134. Egregie vetula nutrix dicitur *pallida curis*, curarum et sollicitudinis Arethusae de Lycotae vita et reditu particeps, sollicita de Arethusae atque adeo Lycotae quoque salute. – 42. *Deierat*, sancte affirmat, neque te morbo laborare, neque bello interiisse, vel naufragium passum esse, neque perfidiam te in regionibus exteris retinere (Hor. Carm. III, 7, 1 seq.), sed esse tibi moras hiberni temporis, primo vere te rediturum. – 43. Egregie ad affectum haec exclamatio. Arethusa desiderii absentis mariti plena, nihilque ardentius optans, quam ut sibi aditus in castra pateret, sed more ac lege exclusa, felicem praedicat Hippolyten, eandemque barbaram, cui arma tractare et militare licuisset. – *Hippolyte*, Amazonum regina, vid. Heyne ad Apollod. II, 5, 9. – *nuda papilla*, pectore nudo. Laeva enim papilla erat nudata. Curtius VI, 5 de Amazonibus: *Vestis non tota Amazonum corpori obducitur, nam laeva pars ad pectus est nuda, caetera deinde velantur. – Altera papilla intacta servatur, qua muliebris sexus liberos alunt; aduritur dextra, ut arcus facilius intendant, et tela vibrent.* Conf. III, 14, 13. Virg. Aen. I, 492: *Aurea subnectens exsertae cingula mammae*, ubi vid. Heyne. – *molle*, tenerum, utpote foemina. — 45. Vid. not. ad II, 7, 15. – *sarcina*, comes. Exquisite de uxore militiae rudi maritum militantem comitante. Ovid. Heroidd. III, 68 Briseis: *Non ego sum classi sarcina magna tuae.* – 47. Incommoda quaeque tui causa lubenter perferrem. Vid. I, 6. Docte hanc

Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus; deserta in coniuge maior.
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque meas ornet aquosa manus?

in rem affert rigida Scythiae iuga. – *Africus*, ventus inter austrum et Zephyrum flans (qui praeceps dicitur et decertans cum aquilonibus Horat. Carm. I, 3, 12), proprie dici non potest Scythiae flumina in glaciem constringere. Sed vel nominatur hoc loco pro vento, nominatim pro aquilone, ut apud Virgil. Aen. IV, 562, *Zephyri*, pro ventis, et V, 2 *aquilo* pro vento; vel cum aliis interpretibus haec discriminis ventorum ignoratio in foemina facilius ferenda. *Pater Africus*, nam *dii patres* dicuntur III, 3, 29, et ventos deos putabant, eos cum caeteris diis invocabant, vid. Cic. Tusc. IV, 34; Virg. X, 676, iis immolabant, vid. Bentlei. ad Horat. Carm. I, 25, 20, et Zephyrus pater, id est rex, deus, veris vocatur a Claudian. R. P. II, 73. – *in glaciem nectit aquas*, ut in Epigr. Asmeni de quatuor anni tempestatibus, Anthol. Lat. tom. II, pag. 343: *Labentes haec durat aquas, haec flumina nectit.* Contraria locutio Horat. Carm. I, 4, 1: *Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni.* – 49. Vid. Obss. et II, 33, 43 seqq. Eleganter amorem coniugalem cum face comparat, et amorem coniugis desertae cum face, quam, ut vivat, Venus ipsa ventilet. Flamma, fax, ignis, a poëtis frequenter dicitur *vivere* pro lucere, *mori* pro extingui (ut ὠκύμορον φλόγα Oppian. Cyneg. I, 131, flammam dicit celeriter pereuntem, morientem; Ovid. Am. I, 2, 11: *Vidi ego iactatas mota face crescere flammas: Et vidi nullo concutiente mori*), *reviviscere*, vid. Lambin. ad Lucret. IV, 924; Heins. et Burm. ad Ovid. Metam. VII, 77. – *ventilat*, rotatione facis efficit, ut ardentius lucescat, agitat facem, ut flamma vivat et augeatur. Ita quoque ponitur *concutere* Ovid. Am. I, 2, 11; *quassare* Ovid. Met. III, 508; Petron. 97; *quatere*, Prop. I, 3, 10.

51–52. Quid mihi vestium pretiosarum et mundi muliebris copia prodest, quum interea cogar deserta tuo amore carere? Omnis mihi domus non nisi solitudo est. Vid. ad I, 14, 19. – *purpura*, vestis purpurea infecta, tincta muricibus, succo muricis punici, scilicet afri. Horat. Carm. II, 16, 36: *te bis Afro Murice tinctae Vestiunt lanae* (murices enim, sive ostreae capiebantur quoque ad Africae litora, vid. Mitscherlich. ad Horat. loco citato, non tantum ad Phoenices litora, vid. III, 13, 7), ubi vid. Mitscherlich. — *fulgeat*, enitescat, *splendeat* Horat. A. P. 15. — *Crystallusque*, recte explicat Vulpius de annulo, cui beryllus, vel adamas, vel alia gemma crystallo similis fuerit inserta, et *aquosa* interpretatur, gemma coloris valde diluti, sicut et nos splendorem gemmae, aquam gemmae dicimus. Crystallum ipsam esse glaciem consolidatam, erat opinio veterum, vid. Plin. XXXVII, 2; Isidor. XVI, 13; vid. Iacobs Animadvv. in Anthol. Gr. tom. II, P. III, pag. 292

Omnia surda tacent: lanis assueta colendis
Vix aperit clausos una puella lares.
Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis:
Illa tui partem vindicat una tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero.

53–58. Compara III, 6, 15 seqq. Ego sola a te relicta, neminem me salutatum venientem admitto, omnia surda, id est muta (ut I, 7, 18; IV, 5, 55 al.) tacent, altum silentium in aedibus meis regnat, perquam raro, et non nisi tum aedium mearum fores crepant, ac verso cardine stridorem reddunt, quum una ex meis ancillis lanificio adsuetis et unice intentis, mea mandata exsecutura, clausos lares, id est fores, domum (Ovid. Trist. I, 3, 30; Horat. Carm. I, 12, 43; Manut. ad Cic. ep. ad Div. tom. I, pag. 123 ed. Richter) aperit. Conf. Obss. – 55. Blanditiis Glaucidos catulae delector, quae ipsa quoque tuam absentiam queritur, scilicet queri mihi videtur. – *Glaucis*, nomen catulae, quod ei imposuerat Arethusa, a glaucis, seu caesiis eius oculis. – *vindicat*, occupat, tuetur, mecum cubat. – 57. Assidue ego vota et sacra facio pro tua salute. — *flore*, sertis, corollis, *sacella*, aras deorum, eorumque simulacra II, 10, 21; III, 10, 19; Ovid. Trist. III, 13, 15, et ipsos postes sacellorum *tego*, velo, orno; verbum in re sacra de coronis ac sertis proprium, Virgil. Aen. III, 25. Sed coronas, quibus aras ornarat Arethusa, poëta omnino, si sensum spectamus, pro sacrificio ipso posuit, quo eodem sensu tus memoratur Horat. Carm. I, 30, 3. – *verbenae* sunt herbae sacrae, inprimis ad aras coronandas, vid. Donat. ad Terent. Andr. IV, 3, 11; Drakenb. ad Liv. I, 24. – *compita*. Schol. ad Pers. IV, 28: *non solum sunt in urbe loca, sed etiam viae publicae ad diverticula aliquorum confinium, ubi aediculae consecrantur patentes.* Hoc loco intelliguntur lares compitales: *Qui compita servant, et vigilant nostra semper in urbe, Lares* Ovid. Fast. II, 615. Suet. vit. Aug. 31: *Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus, et aestivis.* Celebrabantur compitalia mense Maio atque Decembri, vid. Casaub. ad Sueton. loco cit. Taubneri Index in Ovid. Fast. s. *compitum*. Compitalia hiberno tempore celebrari solita, hoc loco intelligenda sunt, vid. vs. 33. – *velo*, tego, orno. – 58. *ad veteres*, avitos. *ad*, pro apud focos vel in focis. – *crepat*, nempe laribus domesticis. – *herba Sabina*, ea in suffitu pro ture uti solebant, vid. Plin. H. N. XXIV, 11, s. 61; Virg. Cul. 402.

59–62. Et sacra facio, ut malum omen averruncetur, vel laetum omen eventum habeat, si noctua in finitimo tigno, cantu suo querulo dirum omen, Virg. Aen. IV, 461, vel lucerna deficiens laetum omen dederit. – *finitimo*, vicinae domus tigno. – *seu voluit*, etc.: seu lucerna iam fere extincta et sternutans sibi merum infundi

Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
  Succinctique calent ad nova lucra popae.
Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,
  Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum tortae sparguntur pondera fundae,
  Subdolus et versis increpat arcus equis.

exegit. Inde enim omina captabant laeta, si lucerna sternutaret, crepitaret. Quo facto lucernae, ut numini cuidam, vino libabant. Ovid. Heroidd. XIX, 151: *Sternuit et lumen (posito nam scribimus illo), Sternuit et nobis prospera signa dedit. Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes.* Anthol. Gr. vol. IV, pag. 130 edit. Iacobs: Ἤδη, φίλτατε λύχνε, τρὶς ἔπταρες. ἦ τάχα τερπνὴν ἐς θαλάμους ἥξειν Ἀντιγόνην προλέγεις· — *tangi*, pro tingi, vid. Broukhus. et Heyne Obss. ad Tibull. I, 8, 52; Burm. ad Ovid. Heroidd. XIX, 41; Interpp. Apulei. Metam. II, pag. 177. – 61. *hornis agnis*, id est anniculis. – *denuntiat*, verbum minax et violentum, ut monuit Broukhus. ad Tibull. III, 5, 5. – *illa dies*, qua nimirum signa et omina illa accidunt, praecedente disticho descripta. – 62. *succincti*, ὑψίζωνοι, habitu poparum, ut expeditius ministrare possent: quo sensu *succincti* legitur quoque Ovid. Fast. IV, 413; Lucan. I, 612. – *popae* victimas ad aram alligabant, caedebant, Gloss. Vett. *Popa*, θύτης· et ex reliquiis victimarum aut epulas sacrificantibus instruebant, aut domum suam referebant, atque ex iis fercula in popinis suis venalia proponebant, unde et popa dicitur, qui popinam exercet, vid. Torrent. ad Sueton. Calig. 32; Cannegieter. ad Avian. fab. XXXVI, 12, hinc et hoc loco additur: *ad nova lucra calent*, id est avide festinant, ut apud Plaut. Trucul. V, 2, 39: *omnes homines ad suum quaestum calent.*

63–66. *Ne–Bactris*, recte explicant de Arethusa maritum monente, ne gloriae et laudis ardore primus hostium moenia adscendat. Precor, ne tanta laudis cupiditate rapiaris, ut primus adscendere muros hostiles audeas. Monet ergo maritum, ut cautius cum hostibus congrediatur. Iam adiiciendum erat: ne hostes te interficiant, ac mihi nuntius de tua morte perferatur, sed εὐφημίας causa haec reticet. — *Odoratus dux*, dicitur dux Arabum, Indorum, Assyriorum caeterum, apud quos odoratae res nascuntur. – *carbasa lina*, genus lintei tenuissimi et pretiosissimi, Virgil. Aen. XI, 775; Curt. VIII, 9, 21; referri autem debent haec verba, ut scite observavit Burm. ad ducis odorati vexilla militaria, luxus causa e carbaso, auro et purpura distincto, facta, vel ad eius praetorium velis pretiosis expansum. Vexilla autem hostibus erepta dono bene meritis data fuisse, Sil. It. XV, 261, docet. – 65. Sil. Ital. I, 523: *librataque pondera plumbi Certatim iaciunt.* Vid. Taubm. ad Virg. Aen. VII, 686. – *Subdolus arcus*, vid. not. ad II, 10, 13; Virg. Georg. III, 31: *Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis.* Hinc *arcus subdolus*, quod poëtice dictum est pro arcus subdoli et astuti

Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
 Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserva foedera lecti.
 Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque quum tulero portae votiva Capenae,
 Subscribam, Salvo grata puella viro,

Parthi. – *increpat*, crepat, sonat, vid. Hom. Il. Δ, 125.

67–72. *Sic*, particula optantis et precantis. Ita, devictis Parthis, donatus hasta pura, sequaris currum triumphantis imperatoris, conservato connubii foedere incorrupto. – *hasta pura*, id est, quae sine cuspide ferrea erat, praemii loco viris insigniter fortibus dabatur, vid. Plin. VII, 28; Sueton. Claud. 28; Drakenb. ad Sil. It. XV, 261. – *Hac* casti coniugii *lege*, conf. vs. 25 seq. – *portae Capenae*, intelligitur templum Martis, extra portam Capenam, Ovid. Fast. VI, 192; Liv. VII, 23. – *arma votiva*, quae deo ex voto debentur, quae Marti vovi, significat, arma mariti reducis se Marti suspensuram esse (vid. ad II, 14, 26; Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 5, 16), addita in tabula subscriptione: *salvo viro*, id est ob salvum maritum, *grata puella*, nempe dat, dicat, dedicat. *puella*, pro uxore, ut saepius, vid. Drakenb. et Ruperti ad Sil It. III, 435.

## ELEGIA IV

### FABVLA TARPEIAE

Tarpeium nemus, et Tarpeiae turpe sepulcrum
Fabor, et antiqui limina capta Iovis.
Lucus erat felix hederoso consitus antro,

ELEGIA IV

Tarpeiae, Sp. Tarpeii, arcis Romanae praefecti, filiae historiam narrat. Scilicet Tarpeia, quum Capitolium a Sabinis obsidione premeretur, Tatii, Sabinorum regis, amore capta, ut eius coniugio potiretur, arcem Capitolinam, festis Palilibus, quum *mons festo remissus* (vs. 83) et indefensus esset, illi tradere pacta est. Verum Tatius, occupata arce, proditricem aversatus, eam iussit occidi, et *ingestis comitum superobruit armis* (vs. 91). Varie res illa a scriptoribus antiquis traditur, quorum praeterea plurimi Tarpeiam proditionis accusant, nonnulli absolvunt, vid. Liv. I, 2; Ovid. Fast. I, 260 seqq.; Met. XIV, 774 seqq.; Plutarch. Rom. Dionys. Hal. II, 38-40; add. Ryckius de Capitolio cap. 3, qui Tarpeiae innocentiam e scriptoribus probare studuit. Monumentum tamen huic Tarpeiae armis Sabinorum obrutae a Romanis positum, ut iam alii recte iudicarunt, rem nondum conficere videtur.

1-4. *Tarpeium nemus* vs. 3 *lucum* vocat. Virg. Aen. VIII, 347: *Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.* – *turpe sepulcrum*, Tarpeiam enim ipsam poëta vocat improbam vs. 44, et proditricem vs. 88, unde et Sil. It. XIII, 842 eam in inferis apud impios collocavit. Foeminam illam in monte Tarpeio fuisse sepultam e Varrone L. L. IV docuit ad hunc locum Broukhus. Verba Varronis sunt: *Capitolium dictum – hic mons ante Tarpeius dictus a virgine Vestali Tarpeia, quae ibi a Sabinis necata armis et sepulta: eius nominis monumentum relictum, quod etiam nunc eius rupes Tarpeium appellatur saxum.* Add. Serv. ad Virg. loco cit. Adler ausführliche Beschreibung der Stadt Rom. pag. 111 seqq. – *fabor*, canam, describam, ut apud Virg. Aen. I, 261. – *antiqui limina Iovis*, pro antiqua limina Iovis, quod augustius dictum est pro ipso antiquo Capitolio. Sic *Iupiter* pro Capitolio Prop. III, 3, 10; Horat. Carm. III, 5, 12, infra vs. 87: *Prodiderat portaeque fidem*, etc. – *felix*, fructuosa, fertilis, ut *felix arbor* est frugifera, vid. Heyne ad Virg. Georg. I, 154, 345; II, 81; Drakenb. ad Liv. V, 24. — *Lucus consitus* (ein Lustwald) *hederoso antro*, id est prope antrum multa hedera vestitum. Sic *silva fata* Prop. I, 14, 5. Senec. ep. 122: *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt, quorum silvae in*

Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
Fistula poturas ire iubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Quum quateret lento murmure saxa Iovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,

*tectis domorum ac fastigiis nutant.* Solent autem antra opacari hedera, vel vite, vel imminentium arborum frondibus, vid. Virg. Ecl. V, 7; IX, 41. Caeterum hoc loco intelligendum esse lucum deae Streniae, ex quo verbenas *felicis arboris* (de his arboribus vid. Macrob. III, c. extr.) primus acceperit Rex Tatius, notante Burmanno, recte statuit Pignorius in Symbolis Epistolicis pag. 199. Metellus in Quirinalibus Carm. V: *Rex dignus procerum dabat, Vrbi quas Latiae tum iuveni dedit Rex Titus Tatius prior Festas accipiens paupere munere Verbenas studio patrum, Solers territat quas creat aureas, Servant dona tamen notam A luco veteri nomine Streniae.* Aur. Symmachus ep. 35: *Strenorum usus adolevit, auctoritate Tatii regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniae anni novi auspices primus accepit.* Varro L. L. IV, pag. 12: *Hinc oritur caput sacrae viae ab Streniae sacello, quae pertinet in arcem, et per quam augures ex arce profecti solent inaugurare.* – 4. *multa arbor*, frequens, densa, silva, eleg. 10, 30: *multa umbra.* – *nativis*, sua sponte et ingenio manantibus, exquisite, quum praecesserit *lucus consitus.* – *obstrepit*, obmurmurat aquis cum strepitu leni profluentibus. Nemesian. Ecl. I, 30: *Dic age, sed nobis ne vento garrula pinus Obstrepat.* Calpurn. Ecl. II, 55: *Iam resonant frondes, iam cantibus obstrepit arbos.* Ovid. Fast. VI, 9 seqq.: *Est nemus arboribus densum, secretus ab omni Voce locus; si non obstreperetur aquis.*

5–16. *Ramosa domus*, umbracula arborum, locus umbrosus, lucus. Tibull. I, 4, 1, *umbrosa tecta* vocat. Add. Senec. Agam. 676. *domus*, ut *Nympharum domus* Virgil. Aen. I, 168. – *quo dulcis fistula*, ad quas aquas fistula, quae suaves cantus edit. – *ire iubebat poturas*, ire potum suadebat quasi cantu suo, quod poëtice et eleganter dictum est pro fistula personuit lucum, quum oves potum irent. – *ab aestu*, pro post aestum. Sic dicitur ab coena, ab exsequiis, etc. – 7. *hunc fontem*, has nativas aquas vs. 4 circumvallat. – *fida*, quae fiduciam dant, utpote munita. – *coronat*, circumdat, ut Virg. Aen. IX, 380, gr. ϛεφανοῦν apud Hom. Describit autem post vallum aggeres. 9. Depingit urbis Romae exiguitatem et angustias, circumvallante exercitu Sabino. – *Quid tum Roma fuit?* quam exigua! Similis locus eleg. 1, 5 seq. – *tubicen Curetis*, Cures urbs Sabinorum princeps, vid. Cic. ad Div. XV, 20: hinc Curetes pro Sabinis. Intelligitur hoc loco Tatius ipse. – *vicina saxa*, quia propinqua erant castra Sabinorum Tarpeio monti. *Murmur*, de strepitu quoque vehe-

Stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes: ubi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia deae fontem libavit: at illi
Vrgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,

mentiori dicitur, ut *murmura ponti* I, 8, 5. – *pila*, vid. III, 3, 7. – 13. *Murus erant montes*, asperum Tarpeiae saxum erat loco murorum. – *ubi nunc est curia septa*, ubi nunc conspicitur Curia Hostilia, muro ac pariete clausa, prope lacum Iuturnae (vid. III, 22, 25), et Forum Romanum, ibi tunc aquatum ibant equites Sabinorum. BROVKHVS. Alii: Capitolii saxum undique praeruptum, instar muri erat; ubi nunc, Propertii scilicet aetate, est Curia, sub Romulo Rege, bello Sabino, septa, nimirum castra et munitiones Sabinorum fuerunt. Vid. Obss. Ex Servii vero notatione ad Virgil. Aen. VII, 150, colligi potest, intelligendum h. l. esse fontem Numicum, e quo etiam Iliam Vestalem ad sacra peragenda petiisse aquam tradit Ovid. Fast. III, 14. Verba Servii sunt: *Numicus ingens ante fluvius fuit, – post paullatim decrescens in fontem redactus, qui et ipse siccatus est, sacris interceptus. Vestae enim libare nonnisi de hoc fonte licebat.* Conf. Heyne Excur. III ad Virg. loco citato. Livius I, 11, haec tantum refert: *Sp. Tarquinius Romanae praeerat arci. Huius filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in arcem recipiat. Aquam forte ea tum sacris extra moenia petitum ierat.* – *bellicus equus*, ἵππος πολεμικός, *bellator equus* Virg. Georg. II, 145; Aen. XI, 89; Valer. Fl. II, 385. – *deae*, Vestae, *fontem*, aquas, *libavit*, explicant: ex illo fonte aquam hausit, prius degustatam sacrorum more, ad sacra lavanda, vid. ad eleg. 6, 8. Ovid. Fast. III, 12: *Ilia Vestalis (quid enim vetat inde moveri?) Sacra lavaturas mane petebat aquas.* Add. Liv. loco citato. – *at illi* postquam urnam impleverat aqua.

17–20. Inest vs. 17 seqq. elegans πρόληψις eorum, quae deinceps narrat poëta de scelere Tarpeiae, ut recte monuit Vulpius contra Broukhusium, qui hos versus ante ultimum huius elegiae distichon collocandos censebat. Per consequens autem poëta sententiam extulit hanc: commisit scelus gravissimum. Vna mors non erat ei satis, commisit scelus gravius, quam ut digne satis vindicari posset. Similis locus Iuvenal. VIII, 214, de Nerone: *cuius supplicio non debuit una parari Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.* — *voluit*, ausa, conata est. – *flammas tuas*, docte pro te fallere, praetexens nimirum amori suo religionem, coll. vs. 23 seqq. – 19. *proludere*, scilicet ante pugnam, pugnae simulacra ciendo. *Proludere* inprimis de gladiatoribus dicitur, qui ante certamen arma ventilabant, vid. Heinsius ad Ovidium Art. Am. III,

Pictaque per flavas arma levare iubas.
Obstupuit regis facie et regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa, immeritae causata est omina Lunae,
Et sibi tinguendas finxit in amne comas.
Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem laederet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis;
Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Iovi:

515; Cortte ad Plin. Ep. V, 13 extr.; Burm. ad Virgil. Georg. III, 234; Aen. XII, 106. – *levare*, tollere, vibrare. – *per*, inter, *iubas*, nempe galeae. Minus recte Passerat. arma versicoloria, galeam, loricam, parmam, hastam vibrare inter iubas equi. – *arma picta*, versicoloria, e diversis metallis, vid. Heine ad Virg. Aen. XII, 280, nempe galeam ipsam.

21–30. *Excidit urna*, praeclare et Tarpeiae admiratione perculsae convenienter. Similes loci: Tibull. IV, 2, 4; Ovid. Heroidd. XVI, 251; Met. XIV, 349. – *facies* hoc loco non de toto corporis habitu et forma (quo sensu haud raro legitur, vid. Donatus ad Terent. Eun. II, 3, 5) capiendum est, sed de vultu Tatii formoso et oris decore, coll. vs. 26, 34. – *manus oblitas*, eleganter, pro ipsius oblitae. – 23. *omina Lunae*, ut *omina noctis* Tibull. III, 4, 9, ubi vid. Broukhus., sunt somnia. Luna pro nocte; ut soles pro diebus, passim. *Immerita Luna* vocatur, quia somnia illa ficta erant, quae nihilominus tamen Tarpeia expianda sibi dicebat ablutione aut adspersione capitis, quo saepius videret Tatium. Mala somnia ablutione expiabant, vid. Val. Fl. V, 330; Barth. ad Stat. Theb. IX, 602; Interp. ad Petron. cap. 105. – *tulit*, obtulit, dicavit, ut eleg. 3, 71. – *Nymphis*, fontis illius praesidibus. – *argentea*, ut *folium argenteum*, id est argenti colorem referens Plin. XVI, 18; λευκὰ κρίνα Theocrit. Id. XI, 56, XXIII, 30. *alba lilia* Virg. Georg. IV, 131; *candida* Aen. VI, 709. Ea, utpote Nymphis grata, Virg. Ecl. II, 45, iis offerebat Tarpeia, ut incolumem intactumque servarent a telis romuleis (*Romula*, pro Romulea, ut III, 11, 52) Tatium. – *blandis*, quae facile exorantur. – 27. *subit*, conscendit, ut I, 14, 20, vel ingreditur, Virgil. Aen. VII, 161. – *nubila*, obscura, de matutina caligine intelligendum, coll. vs. 31, 63. – *retulit - rubis*, rediit cum brachiis sectis, notatis, asperis et hamatis sentibus. Virg. Aen. VIII, 348: *Ad Capitolia ducit Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.* – 30. *Vulnera*, nempe amoris. – *non patienda Iovi*, quae non laturus erat Iupiter inulta in Tarpeia, vindicaturus incestos amores, coll. vs. 85.

Ignes castrorum, et Tatiae praetoria turmae,
  Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
  Dum captiva mei conspicer ora Tati.
Romani montes, et montibus addita Roma,
  Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
  Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.
Quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos?

31–38. Sequitur oratio Tarpeiae usque ad vs. 66 procurrens, amantis foeminae animi affectus, desiderium, furorem, egregie depingens. – *Ignes castrorum* intelliguntur vigilum et excubitorum ignes in castris, quos eleganter Tarpeia affatur. Vid. Horat. Carm. I, 10, 15; Burm. ad Val. Fl. IV, 755; Ovid. Met. XII, 149. — *praetoria*, vid. el. 1, 29. – *sedeam*, verbum de lugentibus, supplicibus et captivis proprium, vid. III, 4, 18; 5, 16; Bernartius ad Stat. Theb. XII, 550. — *ad penates*, ad focum. — *conspicer ora Tati*, dum vel sic, captiva, propius spectem Tatium meum. – 35. Cum contemtu alloquitur Romanos montes et urbem iis impositam, quam sibi sordere significat. – *Romani montes*, nempe valeant, quod e vs. seq. repetendum. – *probro pudenda meo*, quam pudebit mei, utpote virginis Vestalis, amoris. – 37. Sperat Tarpeia, se, arce Sabinis prodita, equo regio vectam castra subituram. – *reponet*, collocabit, *in castra*, pro in castris, ut III, 9, 60 al. *meos amores*, id est me amantem. Amor pro amante Tibull. I, 4, 40 etc., ut gr. Ερως, vid. Dorvill. ad Charit. pag. 194. – *Cui - iubas*, significatur Tatii equus peculiaris, quo unice utebatur, cuius iubas ipse more heroum veterum ponere et pectere solebat. — *collocat*, suo loco et apte disponit. – *dextras iubas*, iubas ita positas, ut in dextrum armum pronae caderent, vid. Virg. Georg. III, 86; Ovid. Met. II, 674.

39–40. Aptissime poëta Tarpeiam Capitolium, Capitoliique praefectum Sp. Tarpeium patrem suum prodentem confert cum Scylla, Nisi filia, quae quoque patrem suum Minoi prodidit, huiusque amorem purpurea patris coma captavit, vid. not. ad III, 19, 21: sed confundit noster (ut Virg. Ecl. VI, 74, ubi vid. Heyne; Ovid. Am. III, 12, 21; Heroidd. XII, 124; vid. Heins. ad Sabini epist. I, 33; Perizon. Animadvv. histor. cap. 9; Interpp. ad Gell. II, 6) hanc Scyllam cum alia Scylla, Phorci filia (utramque accurate distinguit Hygin. fab. 148, 149) a Glauco adamata, qui a Circe frustra petebatur; quare Circe fontem, quo Scylla lavari solebat, venenis infecit, ut, quum descenderet in fontem Scylla, inferiora corporis ipsius in feras mutarentur, qua deformitate exhorrescens, praecipitavit sese in fretum iuxta Charybdin. Scyllae monstrosam formam a poëtis varie expressam illustrant nummi, gemmae in Dactyl. Lippert. Mill. I, 1, 127, 148; add. Brydone Reise nach

Candidaque in saevos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Quum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes;
Ignoscat: lacrymis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:

Sicilien tom. I, Epist. 3; Drakenb. ad Sil. It. II, 307. Scylla (hodie Sciglio) scopulus, humanae forte olim formae, ad litus Italiae. Canum latratui (Catull. LX, 2: *Aut Scylla latrans infima inguinum parte.* Virg. Aen. III, 432: *Scyllam, et caeruleis canibus resonantia saxa*, ubi vid. Heyne) assimulantur fluctus scopulo illisi, inde hoc loco lucem accipiunt verba: *candidaque in saevos*, etc., et verbum *latrare* etiam de strepitu undarum occurrit apud Virg. Aen. VII, 538. Conf. Hermanni Mythol. Hom. et Hes. pag. 373 seqq.; nos ad Prop. II, 26, 53.

41–47. Aeque praeclare Tarpeiam poëta comparat cum Ariadna ab amatore suo tandem relicta. Cohaerentia: nec mirum Ariadnen Minois filiam, Thesei amore flagrantem, *fraterni cornua monstri*, id est Minotaurum (quem Pasiphaë, Minois uxor, e tauro, quocum concubuerat, gravida facta, pepererat, vid. ad III, 19, 11: Ovid. A. A. II, 23: *Daedalus ut clausit conceptum crimine matris Semibovemque virum, semivirumque bovem*) fratrem, qui in labyrintho a Daedalo exstructo servabatur, amatori suo prodidisse. Conf. Ovid. Met. VIII, 152 seq. — *Quum-via*, Theseus enim, interfecto Minotauro, ope fili ab Ariadna accepti, ex labyrinthi ambagibus sese evolvit. — *torta via*, inflexa per labyrinthi ambages. — *lecto stamine*, retro collecto, Ovidius Met. VIII, 173: *Ianua difficilis filo est inventa relecto.* Ovid. Heroidd. X, 103: *Nec tibi, quae reditus monstrarent, fila dedissem, Fila per adductas saepe relecta manus.* — 43. Magnum *crimen*, dedecus, ego Vestalis, allatura sum. *Ausoniis*, Romanis, I, 20, 12, *puellis*, aeque magnum ac Scylla, Nisi filia, Graecis. — *virgineo–foco*, nam Vesta virgo, et ministrae ipsius virgines. Ovid. Fast. VI, 289: *Quid mirum, virgo si virgine laeta ministra Admittit castas in sua sacra manus?* — *lecta*, pro electa, vel, quod proprium hac in re verbum erat, capta, vid. Gell. I, 12; sed et *legi* virgo Vestalis dicebatur, vid. Liv. I, 3 et 20. — *Pallados*, docte pro Vestae. In templo Vestae simulacrum Pallados, sive Minervae coeleste, palladium, asservabatur, illudque ut ignem aeternum a Vestalibus custoditum fuisse patet vel ex Ovid. Fast. VI, 421 sq.; add. Trist. III, 1, 29: *Hic locus est Vestae; qui Pallada servat et ignem.* Caeterum Propertium colorem duxisse et hoc loco ut saepius, ex Cic. Orat. pro Fonteio cap. 17, notavit Broukhus. Verba Ciceronis sunt: *Nolite pati, iudices, aras deorum immor-*

Tu cave spinosi rorida terga iugi.
Lubrica tota via est, et perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
Haec quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet: non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae:

*talium, Vestaeque matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro iudicio commoveri. Prospicite, ne ille ignis aeternus, nocturnis Fonteiae laboribus vigiliisque servatus, sacerdotis vestrae lacrymis exstinctus esse dicatur.*

48–54. *Tu cave*, alloquitur Tarpeia amatum Tatium, cuius praetoria ei in conspectu erant. – *rorida*, rore matutino adspersa, δροσόεντα. – *spinosi iugi*, spinis asperi. – *tergum*, h. l. de monte; de agro Virg. Georg. I, 97; Colum. X, 7. Sic *dorsum* de monte Liv. I, 3; Suet. Caes. 44. – *via perfida*, cui male creditur, qua tuto ingredi haud possis, σφαλερὰ ὁδός. Flor. III, 4: *perfidum glacie flumen*. – *celat*, occultat spinis et dumis. – *tacentes aquas*, leviter, sine murmure currentes. Hoc sensu *taciturnus amnis* legitur ap. Horat. Carm. I, 31, 8. *unda silens* Val. Fl. V, 522. Vid. Burm. ad Valer. Fl. III, 730. – *Fallaci*, obliquo, *limite*, pro cursu aquae, ut Ovid. Met. VIII, 557: *solito dum flumina currant Limite*. – 51. Vtinam carmina magica nossem, incantamentorum essem perita, ut Medea carminibus suis opem tulit Iasoni (vid. Ovid. Heroidd. XII, 70 sqq., 106, 160 seqq.), ita ego incantamentis meis auxilium ferrem tibi formoso contra Romanos proelianti. – *utinam – Musae*, ornate, pro utinam maga essem! – *cantamina*, carmina Tibull. I, 2, 54; magica Prop. II, 28, 35; cantus Tibull. I, 8, 19. *magicae Musae*, nam Musae carmina docent, et sunt πολύμορφοι Orpheus hymn. LXXV. Passerat. per *Musam* intelligit carmen, ita ut h. l. sit δὶς τὸ αὐτό· laudat Ovid. Ibid. vs. 2: *Omne fuit Musae carmen inerme meae.* Quum *Musa* dicatur quoque pro poëta Ovid. Pont. IV, 3, 16, posset quoque *magica Musa* explicari, cantatrix magica, id est omnino maga; sed interpretationem primo loco positam praefero. – — *haec quoque*, respicit Medeam, aliasque magas, quae idem fecerunt. — 53. *Te toga picta*, nempe acu, insigne triumphantium, *decet*, pro tibi debetur victoria, triumphus, non Romulo. De toga picta a Tarquinio Prisco vel Tullo Hostilio introducta, quam poëta Romulo tribuit, vid. Ruben. de re vest. I, 21; Manut. Quaest. per Epist. III, 1, pag. 278, tom. 4 Facis Critic. – *non quem sine matris honore*, cum summo matris dedecore, utpote spurium et expositum. – *nutrit* pro nutriit. – *inhumanae*, saevae, *dura p. lupae*, innuit his verbis simul Tarpeia feros ac barbaros Romuli mores, etenim homines feros corde a leaenis procreatos, a tigribus nutritos dicebant vett. Vid. Catull. LX, 1 sqq.; Virg. Aen. IV, 367 sqq.; Senec. Herc. Oet. 146.

Sic hospes, pariamne tua regina sub aula,
  Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Sin minus; at raptae ne sint impune Sabinae,
  Me rape, et alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere: nuptae,
  Vos medium palla foedus inite mea.
Adde Hymenaee modos: tubicen fera murmura conde;

55–60. *Sic*, hac conditione, ut vel hospes vel regina a te recipiar, teque pulchra faciam prole parentem, tibi Romam prodam; *dos tibi* sat opulenta *prodita Roma venit*, erit. – *hospes*, cum dilectu, pro concubina. *hospes*, pariam, *pariamne regina*. Similis locus Horat. Sat. I, 8, 2: *Quum faber incertus, scamnum, faceretne Priapum.* — *sub aula*, pro in aula, ut III, 9, 36. – *Sin minus*, si hac conditione oblatae proditionis uti nolis. – *ne raptae sint impune* virgines vestrae a Romulo, ne hoc facinus inultum maneat. — *repende vices*, par pari refer. *Vices* pro poenis, quae vicissim exiguntur I, 13, 10. – *alterna lege*, iure. – 59. *Commissas acies*, iam conflictantes et manum conserentes, Virg. Aen. V, 113. – *solvere possum*, pro solvam, ut Tibull. I, 10, 64, *flere potest*, pro flet. – *nuptae* Romanis Sabinae, ab iis raptae. Praeclare poëta, quo fortius feriret lectorum animos, Tarpeiam, quod ipsam attinebat, spe vana ductam, *sua peremtam mercede* (Liv. I, 11 extr.) exitum belli vaticinantem introducit. Sabinae enim interventu suo acies infestas patrum et maritorum diremerunt. vid. Liv. I, 13. – *medium p. foedus inite*, componite foedus inter maritos et cognatos. – *palla mea*, Volscus explicat: vos meo cum Tatio coniugio foedus firmetis. Scilicet *palla* erat genus pallii foeminis proprii, v. Nonius XIV, 7; Ferrar. de re vest. III, 18: h. l. sermo est de palla sponsali, cuius generis pallam muneri mittit Creusae Medea apud Horat. Epod. V, 65. Vid. Marcilium ad Apulei. Florid. pag. 20. Itaque sensus: palla, quae me Tatii sponsam ornabit, esto pignus vobis in sponsione. Sed palla sponsalis pro ipso coniugio posita est. Sed *palla* potest etiam posita esse pro *flammeo*, genere velamenti, quo die nuptiarum cooperiri solebant virgines. Saltem Ovid. Heroidd. XXI, 162, ubi Hymenaei cultum describit, *flammeum*, quo ille utitur, vocat *pallam croco splendidam*, vid. interpp. ad Petron. cap. 26, pag. 121, et palla etiam de quoque velamento, v. c. de aulaeo legitur Senec. de Ira III, 22. Sensus vero et hac interpretatione admissa, idem procedit. Male Barthius *medium – inite* interpretatur: ferite foedus, palla mea quasi substrata. Rectius addit: epitheton *medium* ornat tantum: nam foedus semper icitur *inter* duas vel plures partes.

61 – 66. Carmen nuptiale pro tuba bellica resonet. Catull. LXI, 11 seq. de Hymenaeo, nuptiarum deo: *Excitusque hilari die Nuptialia concinens Voce carmina tinnula.* — *modos*, carmina sponsalia, νυμφιδίους ᾠδὰς Aristoph. Avv. 1727 — *fera murmura conde*, cohibe horridum cantum, coll. vs. 10; Ovid. Fast. I, 716:

Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et iam quarta canit venturam buccina lucem;
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum: de te mihi somnia quaeram;
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae
Culpam alit, et plures condit in ossa faces.

*Canteturque fera, nil nisi bella, tuba.* – 62. *torus*, pro coniugio, ut saepius. – *vestra molliet arma*, coërcebit, finiet triste et crudele bellum inter cognatos. – 63. *quarta canit buccina*, nox enim in quatuor vigilias castrenses dividebatur, atque buccina singulae indicabantur et distinguebantur, vid. Burm. ad Petron. cap. 26; Stewech. ad Veget. pag. 179 sqq.; Delrius ad Senec. Trag. pag. 456; Dausqueius et Drakenb. ad Sil. Ital. IV, 89. — *in Oceanum lapsa cadunt*, sidera, adveniente die, aquis Oceani mergi veteres existimabant, vid. Catull. LXVI, 68 al. – *lapsa cadunt*, haec duo verba coniungere amant veteres auctores, vid. Ovid. Heroidd. XX, 208; Stat. Theb. II, 251; Virg. Aen. VI, 310; Gronov. ad Senec. Herc. Oet. 63, ad Liv. XXVI, 24. – 65. *experiar somnum*, somnum inire conabor, ut ad somnia attendam. — *de te s. q.*, te somniabo, Terent. Eun. I, 2, 114. — *umbra*, pro imagine per somnum obiecta. – *benigna*, facilis, mihi, meisque votis favens.

67-72. *Permisit brachia somno*, brachia victa dedit el. 3, 12, somni arbitrio ac potestati sese commisit. Somnus autem *incertus* dicitur, quia somnia inducit incerta et ambigua. -- *furiis accubuisse*, ut furiis amoris agitaretur. *furiae*, pro furore, nempe amoris, ut I, 13, 20. *in furias ignemque ruunt*, de amore Virg. Georg. III, 244. *ob furias Aiacis* Id. Aen. I, 41. *furiis ardebant*, pro furore corripiebantur Id. Georg. III, 511. — *novis*, nondum expertis. — 69. *Iliacae favillae*, ignem et sacra Vestae Aeneam ex Ilio in Italiam deportasse, notissimum. Vid. Sil. Ital. I, 543; Heyne Exc. IX ad Virg. Aen. II, et Lips. de Vesta cap. 2. — *felix tutela*, quae feliciter servat et tuetur. Sic Horat. Carm. IV, 14, 43: *tutela Italiae dominaeque Romae.* Ovid. Fast. VI, 258, *flammae custos* Vesta dicitur. -- *culpam alit*, incestum amorem, quem non inultum latura erat, conf. vs. 17, 30. Eleganter autem Vesta, ignis symbolum (vid. Hermann. Mythol. Andbuch. Th. II, pag. 75 sqq., unde pro igne ponitur apud poëtas Virgil. Georg. IV, 384. Vid. Drakenb. ad Sil. It. VI, 76) tutela Il. *favillae*, culpam, incestum amorem in poenam *alere* (Virg. Aen. IV, 2: *Volnus alit venis, et caeco carpitur igni*) et in ossa *faces*, flammas (Prop. I, 13, 26) *condere* dicitur, quum aliis in locis Venus *ventilare facem* dicatur Prop. IV, 3, 50, et Cupidini *ioi πυρφόροι* adscribantur. — 71. *Illa*, nempe

Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
  Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Vrbi festus erat, dixere Palilia patres;
  Hic primus coepit moenibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
  Quum pagana madent fercula deliciis:
Quumque super raros foeni flammantis acervos
  Traiicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
  Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata, convenit hostem:
  Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.

Tarpeia, *ruit*, verbum furoris, praeceps rapitur; et ut hoc loco *ruit* et *fertur* impetus indicandi causa copulantur, ita quoque utrumque coniunxit Ovid. A. A. II, 380: *In ferrum flammasque ruit, positoque decore Fertur, ut Aonii cornibus icta dei.* — Tarpeiam impetu et amore furibundam, veste lacera, nudato pectore ruentem, comparat poëta cum Amazone pectore nudo, abscissa papilla, vid. ad IV, 3, 43, prope *celerem*, rapidum, *Thermodonta*, vid. ad III, 14, 14, agris Thermodontiacis vagante. – *Strymonis*, Amazon, pro Thracia vel Threissa; Strymon enim Thraciae fluvius, vid. Barth. ad Stat. Silv. I, 1, 21; Mela II, 2.

73–82. *Palilia*, vid. ad eleg. 1, 19. – *patres*, avi, maiores. – *primus dies*, respicit ad Romae diem natalem XI Kal. Maii. Ovid. Met. XIV, 774: *festisque Palilibus urbis Moenia conduntur.* Vid. Ciofan. ad h. l. quem summa religione Romani colebant, vid. Dionys. Halic. I, 88. – *Annua convivia* refertur ad anteced. *Palilia* per appositionem. Caeterum vid. not. ad el. 1, 19. – *lusus*, ludi. – *madent*, plena sunt rusticorum, paganorum fercula delicatioribus cibis. Sic Tib. III, 6, 5: *pocula madeant Baccho.* Lucret. IV, 793: *arte madent simulacra.* — 77. *raros*, non densos. — *traiicit*, turba rusticorum coeno sordidos pedes. Ovid. Fast. IV, 781: *Moxque per ardentes stipulae crepitantis acervos Traiicias celeri strenua membra pede.* – 79. *in otio solvi*, iussit, ut excubitores et vigiles otio quietique indulgerent, ob diem festum. — *intermissa tuba*, qua distingui solebant vigiliae, vid. vs. 62. Fuisse inducias inter Romanos et Sabinos, ex his verbis recte Broukhus. colligit. – 81. *suum tempus rata*: commodissimum proditionis suae exsequendae tempus rata. – *Pacta ligat.* Sil. Ital. XIII, 842: *hostibus arcem Virgo (immane nefas) adamato prodidit auro Tarpeia, et pactis reseravit claustra Sabinis.* – *futura comes*, id est voluit et ipsa in partem venire, et facere quod in se receperat, canes nempe caedendo. Barth.

Mons erat adscensu dubius, festoque remissus.
  Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos: sed Iupiter unus
  Decrevit poenis invigilare suis.
Prodiderat portaeque fidem, patriamque iacentem;
  Nubendique petit, quem velit ipse, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
  Nube, ait, et regni scande cubile mei.
Dixit, et ingestis comitum superobruit armis,

83-88. *Dubius*, difficilis, vid. vs. 49 coll. Virgil. Aeneid. VIII, 348. – *festoque remissus*, propter festum remissior et negligentior erat custodia. – *Nec – canes*, ac statim aggreditur et iugulat canes. Martial. III, 71: *Occupat hunc ferro rusticus atque secat.* – *vocalis*, epith. ornans. *Vocalis* dicitur omnis qui claram vocem habet, vid. Valer. Max. I, 8, 4; Ovid. Met. V, 332; VIII, 14; Fast. II, 91. – *Omnia*, tempus, epulae, lassitudo, canes interemti, *praebebant somnos*, efficiebant, ut custodia graviori somno premeretur; omnia Tarpeiae certum ac felicem proditionis successum spondebant. – *sed – suis*, solus Iupiter vigilabat, sumendo supplicio de Tarpeia proditrice intentus. Colorem noster mutuatus est ex Homer. Il. B, 1, 2: Αλλοι μέν ῥα Θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ Εὗδον παννύχιοι· Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος. – 87. *portae fidem*, Passerat. explicat, suae vel patris fidei ac tutelae traditam. Mallem tamen eodem fere sensu haec verba capere, quo supra vs. 8 commemorantur *castra fida*; ut scilicet *prodere portae fidem* sit, reserare clanculum, nullo strepitu, portam clausam, quae fiduciam dat, cui alii utpote clausae confidunt. Virg. Aen. IX, 142: *Quibus haec medii fiducia valli.* Caeterum Servius ad Virgil. Aen. I, 453: *Cautum fuerat, post proditum hostibus a Tarpeia virgine Capitolium, ut aerei cardines fierent, quo stridor possit aperta ostia omnibus indicare.* – *patriamque iacentem*, vino somnoque sepultam. Similis locus Ovid. Heroidd. XIV, 33 a Burm. laudatus: *Iamque cibo vinoque graves somnoque iacebant, Securumque quies alta per Argos erat.* – 88. *Nubendi p. diem*, vult nuptias suas absolvere, petit, ut dies nuptiarum a Tatio constituatur. – *ipse*, nempe Tatius.

89-94. *Dedit honorem*, praemium, τιμὴν, noluit scelestam proditricem praemio ornare. – *regni scande cubile mei*, pro regium meum cubile; erant enim regum cubilia altiora, Virg. Aen. XII, 144; vulgaria humiliora et depressa, vid. Senec. epist. V, ibique Lips. est autem h. l. contractus loquendi modus pro, non tantum cubile, sed et regni solium mecum conscende, et thalamum et regnum mecum communia cape. BVRM. Cf. III, 19, 21. – *ingestis - armis*. Liv. I, 11: *Sp. Tarpeius Romanae praeerat arci. Huius filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in arcem accipiat* etc. *Additur fabulae, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio laevo, gemmatosque magna*

Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus.
O vigil, iniustae praemia sortis habes.

*specie annulos habuerint, pepegisse eam quod in sinistris manibus haberent, scuta illi pro aureis donis congesta.* Florus I, 1, 12: *Sabinis proditae portae per virginem: nec dolo: sed puella pretium rei, quae gerebant in sinistris, petierat; dubium clypeos, an armillas. Illi ut et fidem solverent, et ulciscerentur, clypeis obruere.* Ovid. Amor. I, 10, 49: *Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas, Vt premerent sacrae virginis arma caput.* Add. Dionys. Halic. II, 38 sqq. – 92. Verba poëtae calculo suo id factum approbantis. Dignam hac tua proditione mercedem cepisti! – *dos*, ornate pro praemio, coll. vers. 56. – *A duce Tarpeio* etc. Antea is mons vocatus fuerat Saturnius et Carmentalis. — *O vigil* etc. alloquitur patrem puellae Spurium Tarpeium, eumque dicit hoc praemium, hunc honorem habere, ut mons eius nomen ferat, in solatium quasi, ob sortem iniustam filiae proditricis interemtae, a quibus minime decebat. Barth. Satis contorte. Alii legunt: *a duce Tarpeia*, quia ea Tatio dux fuit; alii, *a nece Tarpeiae*. Per *vigilem* (Guyetus et Burm. conj. *o virgo*) intelligunt quoque Tarpeiam, ita dictam, quod vigilem servabat ignem, cuius custos erat; certe eam Ovid. Fast. II, 261, *levem custodem* dixit. – *iniustae sortis praemia habes*, explicant: quod a te mons cognomen accepit, praemium adepta es *iniustae* iniquae *sortis*, quum a quovis alio punienda fuisses, quam a Tatio, de quo optime merita eras. Vid. Obss. Mihi vs. 93, 94 spurii videntur, adscripti a grammaticis hoc modo notare volentibus, et nominis Tarpeii montis originem, et dissensum scriptorum, quorum alii Tarpeiam puellam proditionis accusant, alii, sine gravi et idonea ratione, absolvunt; vid. Ryckius de Capitolio Romano cap. 3. Elegiae enim finis in vs. 92 commode esse potest; nam pertractatum est argumentum, quod sibi pertractandum poëta sumserat vers. 1: *Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum Fabor.* Nec versus ultimus de Tarpeia explicandus (ni aliorum contortas interpretationes sequi malis), satis accurate convenit iis, quae poëta vs. 17 sqq., et vs. 92 scripsit.

# ELEGIA V

## IN LENAM

Terra tuum spinis obducat, Lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim;
Nec sedeant cineri manes, at Cerberus ultor

Elegia V

Lenae Acanthidis, tussi confectae, frigore atque inedia consumtae, quae amicam poëtae artibus meretriciis, quas accuratius describit, instruxerat, sepulcrum insectatur, Venerique, ob preces exauditas, columbam sacrificat. Praeclare hoc argumentum pertractavit poeta, estque hoc carmen orationis dilectu, vividaque rerum adornatione inprimis notabile. Ovidius, qui Amor. I, el. 8 anum Dipsadem insectatur, totus ab hac elegia pendet. Compara praeterea Tibull. I, 6, 38 seqq.; II, 6, 43 sqq.

1-4. Persius Sat. I, 39, 40: *Nunc non e tumulo for unataque favilla Nascentur violae?* ad quem locum scite notavit Casaubonus haec: veteres Graeci et Latini, quorum felicitatem plus quam humanam volebant videri, dicebant de vivis, ex eorum vestigiis flores nasci, vel terram sponte sua in illorum honorem flores producere; de mortuis, ex ipsorum tumulis suave olentes quosque flores erumpere: quae sententiae ex veteri more sunt ortae adspergendi floribus, honoris causa et favoris, quod graecis est φυλλοβολεῖν. – 2. Dira imprecatio, qua optat, ut umbra lenae merobibae apud inferos perpetua siti crucietur. Similis fere imprecatio Ovidii in lenam Amor. I, 9, 113 sqq.: *Di tibi dent nudosque lares, inopemque senectam, Et longas hiemes, perpetuamque sitim.* Acerbe satis et mordaciter addit poëta: *quod non vis*, quibus verbis lenam illam adeo vinosam declarat, ut etiam umbra, semper potare cupiat. Pertinent huc epitaphia graeca in temulentas anus, quae calicem inanem et vino vacuum tumulo suo appositum queruntur, Antipatri Sidonii Anal. Brunckii tom. I, pag. 243, et Argentarii Analect. tom. II, pag. 273, ep. 30. – 3. *Nec sedeant cineri manes.* Manes una cum cinere sepulcro includi, et inde loca infera sedesque Manium subire putabant vett. Vid. Tibull. I, 2, 46; Servius et Heyne ad Virgil. Aen. III, 67. Magna caeteroquin superstitionis circa haec diversitas. Optat igitur poëta, ut anima lenae non una cum cinere ad sepulcri quietem perveniat, sed erret atque vagetur; *at* saltem *terreat eam Cerberus.* Cerberum nonnunquam aliquid de suo furore remittere, atque a piorum Manibus permulceri posse, superstitio veterum credebat, vid. Prop. III, 18, 23; IV, 7, 52. Senec. Herc. fur. vs. 793 *ultor* dicitur, quatenus um-

Turpia ieiuno terreat ossa sono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper avis.
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis esse noverca suis.
Quippe et Collinas ad fossam moverit herbas,

bram impiam terret. – *Turpia ossa*, deformem tuam osseam formam, imaginem tuam osseam. Ovid. Ibid. 144: *Insequar et vultus ossea larva tuos.* - *ieiuno sono*, acri latratu; praeclare autem poëta Cerberum vetulam *sitientem* ore *ieiuno* allatrare fingit, quum saevior sit latratus et eiulatus canis ieiunae et esurientis.

5–10. Insignem veneficae doctrinam, artiumque meretriciarum peritiam, quibus castissimos iuvenes, castissimasque puellas corrumpere possit, docte vividisque coloribus poëta depingit. – *Docta*, haec anus docta est, potest vel etc. – *Hippolytus*, Thesei filius castissimus, a Phaedra noverca frustra sollicitatus; videatur Apollodor. III, 10, 3, ibique Heyne; Eurip. et Seneca in Hippolyt. Virgil. Aen. VII, 761; Ovid. Heroidd. IV: commemoratur saepius pro iuvene castissimo quovis. – *negantem* absolute ponitur, ut saepe in re amoris, Ovid. A. A. I, 344 al. – *concordique toro*, matrimonio unanimi, coniugibus concordibus. — *pessima avis*, occursus tuus infaustissimi ominis est. – *pessima avis*, omen infaustum, velut cornix etc. – *avis*, pro omine, ut ὄρνις, vid. Spanhem. ad Callim. hymn. Pallad. 124: Stanlei. ad Aeschyl. S. c. Th. 603; Heins. Adversar. IV, 1, pag. 563. — *Penelope*, perpetua coniugis fidae ac piae imago, vid. II, 9, 3; III, 12, 38. — *rumore mariti*, fama de marito in vulgus sparsa, eum nimirum vivere. – *lascivo Antinoo*, invidiose auget lenae scientiam. Nam Antinoum reliquis procis proterviorem, ante omnes exsecrabatur Penelope, eum et Vlysses primum sagitta confixit, vid. Homer. Odyss. P, 497. – 9. Compara Ovid. Amor. I, 8, 5 seqq.; Tibull. I, 2, 49 sqq. – *Illa velit*, intell. *si*. Terent. Eun. II, 2, 21: *negat quis, nego: ait, aio.* Vid. Oudendorp. ad Lucan. IV, 214; Gronov. Obss. IV, 20; Burm. ad Ovid. Amor. III, 3, 9. – *non ducere*, pro, non attrahere. — *Et–suis*, et volucris pullos suos negliget, ut noverca privignos, ornate pro, leges naturae mutabit. – *nidis*, pro pullis, ut saepius, vid. Barth. ad Claudian. pag. 471; Cerda ad Virgil. Aen. XII, 475: Lindenbrog. ad Ammian. Marc. XXII, 15; Markland. ad Stat. Silv. pag. 179; et Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 139; Ruperti ad Iuv. V, 142.

11-16. *Moverit*, pro admoverit, si herbas malas, ex sepulcretis prope portam Collinam lectas, ad fossam magicam admoverit, sacris magicis operata. Etenim *herbae Collinae* sunt quae ad portam Collinam, vid. Ovid. Fast. IV, 871, nascuntur. Porta illa

Stagnaque currenti diluerentur aqua.
Audax cantatae leges imponere Lunae,
Et sua nocturno fallere terga lupo.
Possit ut intentos astu caecare maritos,
Cornicum immeritas eruit ungue genas.
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
Hippomanes foetae semina legit equae.

ad septemtrionem spectans, Quirinalem inter et Viminalem collem sita erat; ad eam portam virgines Vestales, quae incestum fecerant, vivae defossae, vid. Festus in *Sceleratus campus*, et Plutarch. vit. Numae. Huius generis locis tales aniculae gaudebant, vid. Statius Theb. IV, 443 sq. Per *fossam* intell. scrobem magicam ibi effossam, vid. Homer. Odyss. X, 517; Λ, 24; Ovid. Met. VII, 243 sqq. – *Stagnaque – aqua*, illa et stagna converteret in aquam currentem, id est fluvios, torrentes. – 13. *Audax imponere*, graeca structura, pro, audax ad imponendum. Horat. Carm. I, 3, 25: *Audax omnia perpeti.* — *cantatae Lunae*, incantatae, cantu suo leges Lunae imponit eamque coelo deripit, v. ad I, 1, 19; Horat. Epod. V, 45. — *fallere*, pro abscondere, tegere, ut Ovid. Fast. III, 22: *Et sua divina furta fefellit ope.* Ergo *fallere terga lupo* est, *induere lupi vultus* Virg. Aen. I, 684 ubi vid. Cerda; tegere faciem et formam suam sub lupo. Virg. Ecl. VIII, 95 seqq.: *Has herbas, atque haec Ponto mihi lecta venena, Ipse dedit Moeris: nascuntur plurima Ponto: His ego saepe lupum fieri, et se condere silvis Moerin, saepi animas imis excire sepulcris.* Cf. Mercurialis Var. Lect. VI, 20. — *nocturno lupo*, ut Virgil. Georg. III, 538, et Oppian. λύκον νυκτιπόρον dicit, v. d'Arnaud Lectt. Graec. II, 10. – 15. Tibull. I, 2, 41: *Nec tamen huic credet coniux tuus: ut mihi verax Pollicita est magico saga ministerio.* – *intentos*, instar Argi uxores suas summa diligentia custodientes. Senec. Consol. ad Marciam c. 2: *intenta in unam rem et toto animo adfixa.* – *astu*, astute, calliditate sua et fallacia excaecare, caecum reddere ad furta et amores coniugis. – *Cornicum*. Ovid. Met. VII, 271 seqq.: *nec defuit illic – Vivacisque iecur cervi; quibus insuper addit Ora caputque novem cornicis secula passae.* Cornices inter aves mali ominis, Plin. X, 12; Servius ad Virg. Ecl. IX, 15: hinc frequens eorum usus in rebus magicis, hinc h. l. cornices astutas excaecat venefica, ut caecum reddat maritum astutum. — *ungue*, solebant enim veneficae ungues nutrire quam longissimos Horat. Epod. V, 47; Serm. I, 8, 26. – *immeritas*, innocentes, quae ut orbarentur oculis, nihil meritae erant. Sic *immeritus* legitur supra el. 3, 19; Horat. Carm. I, 17 extr; Serm. II, 3, 17. – *genas*, pro oculis, ut III, 12, 27; Senec. Agam. 716; Troad. 439.

17–20. Affert iam poëta, quae in ipsum lena illa impie satis commiserit. – *striges*, quae funesta et tristia ominantur, vid. III, 6, 29; Tibull. I, 5, 52; Virg. Aen. XII, 862. — *sanguine*, nece, exitio. — *Hippomanes*, dicitur vel humor, liquor virulentus,

Exornabat opus verbis, ceu blanda pererret,
Saxosamque terat sedula lympha viam:
Si te Eoa, Doroxanium, iuvat aurea ripa,
Et quae sub Tyria concha superbit aqua:
Eurypylisque placet Coae textura Minervae,
Sectaque ab Attalicis putria signa toris:

ab inguine equae, ubi Veneris stimulis incaluit, destillans, quo in veneficiis et philtris utebantur veneficae. Sic h. l. vid. interpp. ad Virg. Georg. III, 280; Tibull. II, 4, 58; Plin. H. N. XXVIII, 11 seqq., 80, vel caruncula fronti pulli recens nati adhaerens, quam equa foeta, statim partu edito, devorare, aut partum ad ubera non admittere dicitur, eam quoque sagae, quod amorem conciliare credebatur, in philtra adhibere dicebantur, vid. Plin. VIII, 42, sect. 66; ibique Harduin. interpp. ad Virg. Aen. IV, 515, vel herba Arcadica, qua degustata equos in furorem agi putabant, vid. interpp. ad Theocrit. Idyl. II, 48. — 19. *Exornabat opus verbis*, multis et blandis verbis callida et facunda anus puellam negantem, animum puellae simplicem corrumpere ausa est, orationem suam multis verborum lenociniis exornabat. Per *opus* ipsa puellae, amicae Propertii, corruptio intelligitur. Apposite laudavit ad h. l. Burm. Ovid. Am. I, 8, 20: *Haec sibi proposuit thalamos temerare pudicos, Nec tamen eloquio lingua nocente caret.* Et Terent. Eun. II, 1, 8: *munus nostrum ornato verbis.* — *Ceu blanda pererret* etc. suavis imago, desumta a saxis, quae crebro guttarum ictu teruntur, ab amne, fonte, de rupe decurrente, eamque cavante. Lectio vulgaris: *ceu blanda perurat S. terat sedula culpa viam.* Vid. Obss.

21–26. Praeclare servavit poëta ἦθος lenae vafrae, impudicae et loquacis, cuius iam sequuntur verba ad puellam. — *Si te iuvat*, si delectaris auro, quod in litore maris Indici, *Eoa* orientali *ripa*, invenitur, si vestibus purpureis et Cois, ac supellectile pretiosa; esto perfida, periura et mendax. — *Doroxanium*, nomen puellae, quam Acanthis lena instruit artibus meretricibus. Vid. Obss. — *concha* est murex, ut apud Lucret. II, 500, cuius sanguine inficitur lana, vid. III, 13, 7; 14, 27. — *aqua*, id est mari, ut saepius. — *Eurypylisque textura*, pro Eurypylea, ab Eurypylo, Herculis filio, Rege Coo, vid. Homer. Il. B, 677; Burm. ad Ovid. Met. VII, 363, XIII, 357. — *Coae Minervae*, Minerva lanificio praeerat, unde et saepius pro lanificio ipso ponitur, ut Ovid. Met. IV, 33; Virgil. Aen. VIII, 409. Significatur omnino vestis Coa, de qua vid. ad I, 2, 2. — *sectaque signa ab A. t.*, intell. effigies intextas auro in vestibus stragulis et aulaeis Attali, vid. ad II, 13, 22; 32, 12; III, 18, 19. Ita *signum* legitur Virg. Aen. I, 648. Passerat. intelligit, signis ornata fulcra lectorum Attali, inde absecta et ablata. — *putria*, vetustissima, cariosa et ipsa antiquitate fatiscentia, quae tamen hanc ipsam ob vetustatem et artificis excellentiam, eo pretiosiora erant, eo avidius expetebantur. Nec Attalica tantum aulaea, sed et gemmas, statuas,

Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae,
　Murreaque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant,
　Frange et damnosae iura pudicitiae.
Et simulare virum pretium facit: utere causis:
　Maior dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
　Post modo mercata pace premendus erit.

vasa, pocula, quorum pretium antiquitate et dignitate priorum possessorum augebatur, homines illius aetatis luxuriosi cupide appetebant. Conf. Iuvenal. Sat. XII, 46; Martial. VIII, 6. – 25. *Thebae*, Aegyptiae, vid. Diod. Sic. II, 1; Homer. Il. I, 383; Mela I, 9, cuius palmae celebratissimae, vid. Plin. XXIII, 5; XIII, 4. – *venalia*, sunt vasa crystallina. Martial. XII, 75: *Quum tua Niliacus portet crystalla cataplus.* – 26. *Murreaque pocula*, murrhina, sive myrrhina, murrhea, murrea, myrrhea, vasa et pocula, quae immenso pretio emebantur, frequenter poëtae commemorant. Plin. XXXVII, 2: *Oriens murrhina mittit. Inveniuntur in pluribus locis, nec insignibus, maxime Parthici regni.* Vid. ad hunc locum interpretes; add. Barth. ad Stat. Theb. I, 330; Ernesti Archaeol. liter. P. I, cap. 3, §. 7 seqq.; Veltheim Abhandlung über die murrhinischen Gefasse, Helmst. 1791; Gurlitt über die Gemmenkunde, Magdeb. 1798, pag. 5 seqq., et quos laudavit Ruperti ad Iuvenal. Sat. VI, 155.

27-32. *Sperne fidem* etc., referenda haec sunt ad vs. 21. Si has res pretiosissimas acquirere cupis, sperne fidem etc. – *provolve deos*, eos pedibus velut proculca, a sacrariis proturba, exquisite, pro contemne deos, omne ius et fas ludibrio habe, periura. Terent. Andr. IV, 5, 37: *Ni puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam provolvam.* – 28. *iura*, leges, iussa. Frangit iura, qui legibus nullis tenetur, eas spernit et negligit. – *damnosae*, quae non nisi damnum affert. Caeterum post hunc versum excidisse distichon videtur. – 29. *Et simulare virum*, finge apud amantem, esse maritum tuum domi, aut esse superventurum II, 23, 19, neque adeo illum admitti posse; vel omnino, simula tibi esse maritum. Sunt enim qui nuptas cupidius appetant et depereant. Horat. Serm. I, 4, 27: *Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum.* – *pretium facit*, hoc erit tibi quaestuosissimum, amatorem enim magis incendit. – *utere causis*, praetextu, causationibus, vid. Burm. ad Petron. cap. 93. – *dilata nocte*, dum promissis ducis amantem. *Spem Veneris differre* dixit Ovid. Met. XI, 306. – *Maior redibit amor*, aegre feret amator repulsam, sed acrius sentiet amoris stimulos, et ardentius te amabit. – 31. Vid. II, 5, 21 seqq. *vexaverit comas*, ornatas disiecerit. Sic *vexatae comae* dicuntur Iuvenal. Sat. XI, 186. – *utilis* quo sensu dicatur *ira*, docet vs. seq. – *pace mercata*, dato pretio, ut te sibi pacatam habeat. – *premendus*, pro reprimendus, frenandus, vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 657.

Denique ubi amplexu Venerem promiseris emto,
Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole tibi: tundat Amycle,
Natalem Maiis idibus esse tuum.
Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
Quidlibet: has artes si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,

33–36. Denique ubi *Venerem*, συνουσίαν, Veneris gaudia promiseris, postquam *amplexum*, postquam ea gaudia magno emit. — *Fac simules*, pro simpl. simula, ut el. 4, 66, *fac venias*, pro venito. — *puros Isidis dies*, quibus Venere abstinendum erat, vid. Argum. ad II, 33. Ovid. Am. I, 8, 73 seqq.: *Saepe nega noctes: capitis modo finge dolorem, Et modo quae causas praebeat, Isis erit.* — 35. Pergit docere lena artes, quibus puella ab amatoribus munera extorqueat. — *Ingerat*, monendo inculcet. — *tundat*, idem quod obtundat, id est saepius moneat, repetat. Donatus ad Terent. Hecyr. I, 2, 48: *Tundere est saepius idem repetere, translatione a fabrorum malleo.* — *Iole, Amycle*, nomina ancillarum puellae. — *Apriles tibi*, nempe esse mensem natalem, vel *Apriles* scilicet Calendas esse tibi diem natalem. Possent per *Apriles* et alii huius mensis dies, ad meretricum lucrum spectantes intelligi, nam v. c. XII Cal. Maias erant festa Veneris, IV Cal. festum Florae. Verum enimvero contextus et scriptorum loci a nobis subiiciendi, priorem interpretationem, qua vel mensis, vel dies natalis intelligitur, unice commendant. Sed *Apriles* et *Idus Maias*, pro mense et die quovis poeta posuit. Die natali puellis munera ab amatoribus mittebantur. Itaque lena, moneat, inquit, amatores tuos Aprilem adesse, eoque mense te natam esse; alia vero ancilla alium diem et mensem nominet, quo plura ab amatoribus tuis accipias munera. Martial. Epigr. VIII, 63: *Ut poscas, Clyte, munus, exigasque, Uno nasceris octies in anno, Et solas, puto, tresve quatuorve Non natalitias habes Calendas.* Ovid. A. A. I, 429: *Quid? quasi natali quum poscit munera libo, Et quoties opus est, nascitur illa sibi.*

37–40. *Supplex ille*, nempe amator, *sedet*, intell. *si*. Verbum *sedere* supplicibus proprium, vid. el. 4, 31, amatoris moerorem et reverentiam pingit. Iam vulgarior ratio ferebat: simula te occupatam esse, illius amorem et preces minime curare; sed praeclare poëta lenam dicere iubet: *posita tu scribe cathedra*, nempe, ut ille suspicetur, te scribere amatoriam epistolam ad illius rivalem, coll. vs. 39. *cathedra*, sella foeminarum, cuius brachia iis quoque loco pulpiti scriptorii erant, vid. Lipsius Elect. I, 19; Burm. ad Phaedr. III, 8, 4. — *has artes*, dolos, *si pavet ille*, si iis movetur, si eum sollicitum reddunt, ei metum incutiunt. *Pavere* cum quarto casu, ut apud Horat. Carm. IV, 14, 49; vid. Huschke Analecta Critica pag. 29. — *tenes*, totus tuus erit, cum irretitum et velut captivum habes. — 39 seqq. Significantur mor-

Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeae delectent probra sequacis:
Nempe tulit fastus ausa rogare prior.
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Quum ferit astutos comica moecha Getas.
In mores te verte viri: si cantica iactat,
I comes, et voces ebria iunge tuas.
Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,

sus ex lascivia et rixis petulantibus collo impressi, vid. ad el. 3, 25; III, 8, 21. – *quos putet*, a rivali tibi esse impressos.

41–46. Noli imitari *probrum*, facinus probrosum, Medeae *sequacis*, quae ultro Iasonem secuta est, eum ipsa petiit. II, 34, 8: *Colchis et ignotum nonne secuta virum.* – 42. *tulit fastus*, contemta, repudiata et eiecta est a Iasone, vid. II, 21, 11. *Sed potius*, nempe te delectet imitare potius comicam moecham, meretricem Menandri, *Thais Menandri*, vid. ad II, 6, 3. — *mundi*, ad sermonis elegantiam referendum, ut *munda verba* Ovid. A. A. III, 473, ubi vid. Burm. et ad Phaedr. V, 1, 12. — *pretiosa*, quae grande pretium ab amatoribus suis exigebat, noctes suas magno vendebat. – *Quum ferit*, quum fallit, deludit, et emungit meretrix vaferrima servum astutum. *Ferire*, verbum hac in re proprium, v. ad III, 3, 50. Translatio a ludo gladiatorio desumta. – *comica moecha* dicitur Thais in fabula Menandri poëtae comici inducta. – *astuti Getae* sunt servi comoediae Menandreae. Geta, nomen gentile, in Terentii quoque comoediis obvium. Ovid. Am. I, 15, 17: *Dum* fallax servus, *durus pater improba lena vivent*, *dum* meretrix blanda, *Menandros erit*. A. A. III, 331: *Nota sit et Sappho: quid enim lascivius illa Cuive pater* vafri luditur *arte* Getae. – 45. *In-viri*, ad exemplum viri, cui retia tendis, te compone. Exemplo praeceptionem suam lena illustrat. – *si cantica iactat*, si canere incipit, tu illi succine. Per *cantica* lascivae cantilenae intelliguntur, ut apud Martial. III, 63, *cantica iactare*, pro cantare. Similis locutio II, 8, 16: *verba superba iacere*. Add. Virg. Ecl. II, 5. – *ebria*, vocem tuam iunge, ita ut ebrietatem simules. Ovid. A. A. III, 291 seqq.: *Quo non ars penetrat? discunt lacrymare decenter: Quoque volunt plorant tempore, quoque modo – Blaesaque fit iusso lingua coacta sono.*

47–48. *Ianitor* (vid. Pignorius de servis et interpp. ad Petron. cap. 29) *ad dantes* dantibus *vigilet*. Sed *dantes* sunt opulenti et munifici, hos admittat ianitor. Tibull. II, 4, 33: *Sed pretium si grande feras, custodia victa est: Nec prohibent claves, et canis ipsa tacet.* Ovid. A. A. II, 280: *Ipse licet Musis venias comitatus, Homere, Si nihil attuleris, ibis Homere foras.* Apulei. in Apolog. pag. 85 ed. Pricaei: *qui amplam stipem mulieri detulerunt, nemo eos observat, suo arbitratu adscendunt; qui inaniores venere, signo dato, pro adulteris deprehenduntur, et non prius abeunt, quam*

Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec attrita, si ferat aera, manu.
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cretati medio quum saluere foro.
Aurum spectato, non quae manus afferat aurum.
Versibus auditis quid, nisi verba feres?
Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
Istius tibi sit surda sine arte lyra.

*aliquid scripserint.* Laudavit et hanc in rem Burm. Anthol. Gr. lib. VIII, ep. 162: Ην μὲν γὰρ τὸ χάραγμα φέρῃς φίλος, οὔτε θυρωρὸς Εν ποσὶν, οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται. Ην δ' ἑτέρως ἔλθῃς, καὶ ὁ Κέρβερος· ὦ πλεονέκται Οἱ πλούτου, πενίην ὡς ἀθετεῖτε μόνοι. – *in obductam seram*, pro in obducta sera, indormiat serae eique obductae, simulet se nihil audire, quasi *surdum*, iaceat acclinis serae obductae, ceu somniet; graphice. Scilicet praepositio *in* saepe accusativo iuncta legitur, ubi secundum Grammaticorum praecepta ablativus ponendus erat, vid. Cannegieter. ad Avian. cap. 19; Arntzen. ad Aurel. Vict. Vir. Ill., cap. 14.

49–56. Admittatur, quicunque aere gravis accedat, nullius sortis homines, modo munera afferant, sperne. – *non factus amori*, rudis in amoris militia, durus et asper. – *attrita manu*, nempe rudentibus et remis tractandis, callosa. – *Aut quorum titulus*, intelligitur tabula pendens ex collo servi, qui venalis emturis exponebatur, in qua ars servi descripta, notatumque erat, quid morbi vitiique esset cuique etc. Vid. Gellius IV, 2; interpp. ad Petron. cap. 29; Casaub. ad Suet. de Ill. Gramm. cap. 4. – *per barbara colla*, servi, natione barbari – *Cretati*, servorum venalium ex barbaris terris trans mare advectorum pedes creta vel gypso signabantur, vid. interpp. ad Cic. epp. ad Div. VII, 6; Valcken. ad Ammon. pag. 44; Heyne ad Tibull. II, 3, 60; Plin. H. N. XXXV, 17, 18. – *medio saluere foro*, ut ab emtoribus accuratius inspicerentur servi venales expositi, a praecone iubebantur subsilire, saltare in circulum, et currere per forum, vid. Casaub. loco citato; Gronov. Diatr. Stat. cap. 16, pag. 85; Dorvill. ad Charit. pag. 147; Pers. Sat. VI, 77, ibique interpp. Caeterum h. l. per hos servos, sive potius libertos, omnino infimae sortis homines significantur, ut apud Ovid. Am. I, 8, 63: *Nec tu, si quis erit capitis mercede redemtus, Despice gypsati crimen inane pedis.* – 54. Innuit lena Propertium. – *quid nisi verba feres*, inania verba, nugas auferes, accipies. – *Istius-lyra*, istius lyra sit tibi rudis et indocta, neque a te audiatur, immo contemnatur et spernatur. – *surda*, passive, quae non auditur et tacet, muta, vid. Ruperti ad Sil. It. VI, 75, vel, ut Guellius ad Virgil. Aen. V, 278, explicat, per hypallagen dicitur pro, ipsa ad lyram nihil dantis sis surda. Ovid. Amor. I, 8, 57 seqq.: *Ecce quid iste tuus praeter*

Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
  Vtere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
  Sub matutino cocta iacere Noto.
His animum nostrae dum versat Acanthis amicae,

* * * *

Sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
  Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

*nova carmina vates Donat? amatoris millia multa leges.* 61 seqq.: *Qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero. Crede mihi, res est ingeniosa, dare.*

57–61. Forma caduca est ac cito perit, ut flores solis aestu cadunt. Seneca Hippol. 764 seqq.: *Anceps forma bonum mortalibus, Exigui donum breve temporis, Vt velox celeri pede laberis! Non sic prata novo vere decentia Aestatis calidae despoliat vapor: Saevit solstitio quum medius dies, Et noctem brevibus praecipitat rotis, Languescunt folio lilia pallido, Et gratae capiti deficiunt rosae: Vt fulgor teneris qui radiat genis Momento rapitur, nullaque non dies Formosi spolium corporis abstulit.* Tibull. I, 8, 47: *At tu, dum primi floret tibi temporis aetas, Vtere: non tardo labitur illa pede.* Ovid. A. A. III, 62: *Dum licet, et veros etiam nunc editus annos, Ludite: eunt anni more fluentis aquae.* – *Annus* pro aetate. – *rugis*, suppl. *a.* – *utere*, carpe diem, utere pulchritudine tua, cras, cito perit vi temporis. – *libet*, docte pro auferat, detrahat. – 59. Formae brevitatem speciatim comparat cum rosis mane vix se exserentibus, sed brevi post Noti calore adustis, et praeclare commemorat *rosaria Paesti*, Paestum enim, Lucaniae oppidum, rosis praesertim, bis in anno florentibus, celebratum fuit, hinc Virgil. Georg. IV, 119: *biferique rosaria Paesti.* Conf. Liv. XXII, 36; Martial. IX, 27, 3; Ruperti ad Sil. Ital. VIII, 578; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 751. – *victura*, diutius in flore permansura. *Vivere*, ut *mori*, de floribus et plantis haud rarenter occurrit. Stat. Silv. III, 3, 129: *Pubentesve rosae primos moriuntur ad Austros.* – *cocta*, quae Auster torruit et adussit. Stat. Theb. VII, 223: *Vt quum sole malo, tristique rosaria pallent Vsta Noto.* – 61. *versat*, agitat, perturbat, III, 8, 19. – *Acanthis* nomen lenae. De lacuna versus seqq. vid. Obss.

62 seqq. Mortem lenae, quae ad summam egestatem redacta, tussi confecta obierat, vividis coloribus depingit poëta, et Veneri, cuius merito ac beneficio id tribuit, sacrificat columbam. — *torquatae columbae*, palumbem intelligit, vid. interpp. ad Petron. cap. 85. Columbae autem immolabantur Veneri. Ovid. Fast. I, 452: *Vritur Idaliis alba columba focis*, ubi vid. Heins. et Advers. I, 1. – *regina*, ut Iuno, Iuvenal. Sat. XII, 3; Diana, Senec. Hippol. 405; Ἄρτεμις βασίλεια, Theocrit. Id. XXVII, 29; Venus, Horat. Carm. I, 30, 1. – *ob meritum*, quia me ulta es. — *guttura secta*, columbae iugulatae pe-

Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
  Sputaque per dentes ire cruenta cavos:
Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas.
  Horruit algenti tegula curta foco.
Exsequiae fuerunt rari furtiva capilli
  Vincula, et immundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
  Quum fallenda meo pollice clatra forent.
Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo,

riphrasis. – *focos*, aras, ut II, 19, 14. – *Vidi ego*, mordaciter alludit verba lenae: *vidi ego odorati*, etc., vs 59. – *sputa cruenta*, sanguine et saniae foedata. – *in tegetes paternas*, vid. ad vs. 48. *teges*, matta, ex iunco, palma, sirpo, etc., tegumentum, ac cubile mendicorum, v. Varro R. R. I, 22; Plin. XXI, 18; Martial. VI, 39. *paternas*, cum dilectu, paternam enim exprobrat egestatem, et quasi hereditariam. – 68. *horruit tegula*, horrere, horror, passim de frigore leguntur, Valer. Fl. VII, 563; vid Heinsius ad Ovid. Am. II, 16, 19; Arte Amandi II, 213. — *algenti foco*, cui extinctus ignis algorem conciliabat. Focus igne destitutus egestatis signum. Catull. XXIII, 1, 2: *Furi, quoi neque servus est, neque arca, Nec cimex, neque araneus, neque araneus, neque ignis*. Sed ut extremam aniculae illius egestatem designaret poëta, *curtam*, confractam commemoravit quoque *tegulam* (hoc est testam, in qua lena carbunculos corrogatos, vid. Auctor Rhetor. ad Herennium IV, 6, et igniculum habuerat, ut scite observavit ad hunc locum Broukhus. Conf. et interpp. ad Petron. cap. 136), quibus verbis eam adeo egenam fuisse ostendit, ut ne tegulam quidem haberet integram, eamque frigore atque inedia consumtam fuisse. – 69. *Exsequiae*, pro funeris apparatu. – *vincula furtiva*, id est vittae furto partae. – *rari capilli*, quibus rarum anus calvae capillum religabatur. Ovid. Met. I, 477: *Vitta coercebat positos sine lege capillos*. – *mitra*, fascia, qua caput redimitur, vid. ad III, 17, 30; Burm. ad Ovid. Met. V, 53; Graev. Lectt. Hesiodd. cap. 23. – *pallida*, quae immundo situ luridum, squalidumque colorem induerat. – 71. *canis*, ad lenae rogum trucidanda et una cum ea concremanda. Concremabantur enim una cum defunctis ea, quae vivis inprimis fuerant cara, aves quoque, canes, feles, etc. Vid. ad II, 13, 26; III, 18, 20; Serv. et Heyne ad Virg. Aen. VI, 225; Lucan. IX, 174 seqq. – *nimis experrecta*, vigilax, me allatrans, quum olim dominae ianuam pollice admoto reserarem et aditum ad eam quaererem. – *clatra*, significatur hac voce lignum, scil. ferrum, quo transverso cancellorum instar caveae, ianuae et fenestrae muniuntur ac sepiuntur, gr. κλεῖθρον. Lectio vulgaris *claustra*. Vid. Obss. – *fallenda*, furtim reseranda.

73–76. *Sit tumulus*, amphora capax, vetus, curto, defracto collo, sepulcro tuo imposita, sit tibi tumuli

Vrgeat hanc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum caedite saxis,
Mistaque cum saxis addite verba mala.

instar. Vid. ad vs. 2 Brunckii Anal. tom. III, pag. 293, ep. 668: *ἀλλὰ πίθος μοι, σύμβολον εὐφροσύνης, τερπνὸς ἔπεστι τάφος.* Male alii per amphoram, urnam, vasculum ossilegii intelligunt. – 74. Optat lenae terram gravem, vid. Brisson. de Form. I, cap. 147; Tibull. I, 4, 59, nempe, ut caprificus innascatur sepulcro, illudque gravet ac premat. *Caprificus*, arbor infausta et propter sterilitatem suam, et quod sponte e sepulcris provenire solebat, vid. Mitscherlich. ad Horat. Epod. V 17, ubi Acro Scholiastes: *Caprificus species est fici silvestris, adeo penetrabilis, ut saxa etiam sepulcrorum perrumpat.* Vid. Martial. X, 2; Casaub. ad Pers. Sat. I, pag. 85; Turneb. Advers. XXIII, 6; Gataker. Advers. Postum. cap. 34, pag. 786. – *vis tua*, pondus tuum. – 75. *scabris*, asperis, *caedite saxis.* Argentar. ep. 32 Analect. Brunckii tom. II, pag. 274: *Ἀλλὰ λίθους ἐπὶ τύμβον, ὁδοιπόρε, μήτε σὺ βάλλε, μήτ' ἄλλον πείσῃς.* Conf. et Dionys. Halic. III, pag. 158 ed. Wechel. Gutherium de Iure Manium II, 15, pag. 266. Formula *caedere saxis* legitur quoque apud Cic. Verr. III, 69. Horat. Serm. II, 3, 128. – *addite verba mala*, dira imprecamini.

# ELEGIA VI

## DE PVGNA ACTIACA NAVALI

Sacra facit vates, sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta iuvenca focos.
Serta Philetaeis certent Romana corymbis,

ELEGIA VI

Augustus, qui victoriam de Antonio et Cleopatra reportatam Phoebo tribuebat, hanc ipsam ob causam vetus Apollinis Actii templum instaurarat et ampliarat, vid. vs. 17, templum quoque Apollini Actio in Palatio exstruxerat (vid. II, 31; Bentlei. ad Horat. Carm. Sec. 65; Epist. II, 2, 92) ludosque Actiacos quinquennales (vid. de iis Wernsdorf. Exc. IX ad Salcii Bassi Carm. in Pison. tom. IV, pag. 395; Heyne ad Virg. Aen. III, 280) in victoriae illius memoriam instituerat. In ipsa horum ludorum solemnitate, nempe A. V. DCCXXXVIII (vid. Propert. Vit. Chronol. ad a. seq. et not. ad vs. 77) haec elegia a Propertio scripta est. – Indicit primum poëta, tanquam Apollinis sacerdos, diem festum atque solemnem, victimis carminibusque in memoriam victoriae Actiacae celebrandum; tum inter sacra carmen ἐπινίκιον canit, quod exquisita arte Augusti magnitudinem repraesentat et auget, eiusque triumphum extollit, cui carmini vividam pugnae descriptionem, et Apollinis, populi Romani custodis, sublimem egregieque instructam orationem intexit; denique ad festi laetitias percipiendas hortatur. Eminet hoc carmen idearum sublimitate, splendida rerum adornatione, elocutionisque vigore, gravitate et praestantia, estque omnino e consummatissimis poëtae nostri carminibus.

1–4. Poëta publicae laetitiae spiritu afflatus, Actiacam victoriam cantaturus, ut iustam argumenti gravitati adiungeret dignitatem, haec tanquam Apollinis sacerdos, e templo ipsius profatur, et diem festum atque solemnem indicit, victimis carminibusque celebrandum. – *vates*, docte, pro ego, ut Horat. Carm. I, 31, 2. – *sint ora faventia*, favete linguis, εὐφημεῖτε· solemnis sacrorum vox, silentium imperans, ne quid mali vel sinistri audiretur, quo res sacra profanaretur. Seneca V. B. cap. 26; Aristoph. Thesmoph. 39. Vtitur omnino poëta hoc loco formulis ac vocibus in re sacra solemnibus, et ritus sacrorum diligenter respicit. — *ante meos focos*, Apollinis aras, cuius sacerdos sum. – 3. Dignitate poëtae, sacerdotis augetur dignitas. Carmen, inquit, canam, quod cum Philetae et Callimachi carminibus certet. Iunxit enim et hoc loco Philetae Callimachum, ut III, 1, 1; 3, 52, ubi vid. not. – *Serta Romana*, sacra fa-

Et Cyrenaeas urna ministret aquas.
Costum molle date, et blandi mihi turis honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio sint aëre noxae:

cturi coronis ornati erant, vid. Plin. H. N. LI, 10; Ammian. Marcell. XXIX, 5, pag. 621 ed. Gronov.; Stat. Theb. III, 466; Aelian. H. V. III, 3; Val. Max. V, 10. Apollinis sacerdotem laureatum memorat Virg. Aen. III, 80; tribuuntur vero etiam poëtis serta, nominatimque elegiographis tribuitur corona hederacea, vid. ad III, 1, 19, IV, 1, 61, qualis et hoc loco Philetae poëtae molli tribuitur, nam *corymbi* ponuntur pro corona hederacea, ut II, 30, 39. — *Cyrenaeae aquae* sunt, quas olim Callimachus poëta Cyrenaeus, cuius imitator Propertius, bibit, vid. ad III, 1, 6. Praeterea sacra facturi adspergebantur et adhibebant χέρνιβα, unde h. l. *urna* commemoratur.

5-8. *Costum*, frutex in Indiae insula Patale nascens, odoris eximii. Plin. XII, 12; Ovid. X, 308; Lucan. IX, 917; Horat. Carm. III, 1, 44. — *blandi turis*, quod animo supplici, blando, offertur, vid. Heins. ad Ovid. Heroidd. V, 60; Heyne ad Tibull. III, 3, 2: vel potius hoc loco suavi odore et blando. — *honores*, in dei honorem, quo deum honorabo, ut Tibull. I, 7, 63. Sic et victimae, quae in deorum honorem mactantur, dicuntur *honores* a Virg. Aen. III, 118. Vid. Cuperus Obss. II, 3. — *orbis laneus*, vitta lanea in orbem circumacta. Laneis vittis cingebantur arae, vid. Virg. Ecl. VIII, 64; Harles. ad Theocr. Id. II, 2; Casaub. Lectt. Theocritt. cap. 3; Graev. Lectt. Hesiodd. cap. 23; Perizon. ad Aelian. H. V. XII, 12. — *Spargite me lymphis*, significatur lustralis adspersio ramo lauri, vid. Ovid. Fast. V, 679; IV, 777; Gierig. ad Ovid. Metam. I, 371. — *recentibus aris*, intelligit aram, ante templi portam, vivo de caespite exstructam. — *tibia*, tibicines in sacris adhiberi solitos, notissimum. Sed *tibia Mygdoniis Cadis* dictum est ut *vinum Lesbo*, *hospes Zacyntho*, et sim. vid. ad el. 8, 39. *Mygdonia tibia*, pro Phrygia; Mygdones, Lydi et Phryges finitimi, unde Phryges doctiore nomine saepius poëtis dicuntur Mygdones, vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. II, 12, 22. — *Cadi*, urbs Phrygiae, vel Lydiae sec. Scaligerum. Vid. et Casaub. ad Strabon. XII, pag. 220; Cellar. Not. O. A. III, 4, tom. I, pag. 145. Conf. Obss. — *libet tibia*, Passerat. explicat, canat in honorem deorum, diis carmen offerat et consecret; quum libari dicatur quidquid deo sacretur, quod ante degustatum vel ad os relatum sit, atque adeo libare ponatur pro dare, dicare, ut Ovid. Fast. I, 588, 647. Sed assentior Burmanno formulam *libet tibia* explicanti de tibicine, libationibus accinente, quem σπονδαύλην Graeci vocabant, vid. eum ad Inscript. marmoris Rheginensis, post Dorvillii Sicula editi pag. 572.

9-10. *Fraudes-noxae*, docte et eleganter pro hominibus fraudulentis,

Pura novum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini reseramus Apollinis aedem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur, quaeso, Iupiter, ipse vaces.
Est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,

noxiis, sceleratis, qui more solemni arcebantur sacris. Callim. hymn. in Apoll. 2: ἑκὰς, ἑκὰς, βέβηλοι! ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός! Virg. Aen. VI, 258: *Procul o, procul este profani!* – 10. Notio simplex: Apollo mihi carmen dictabit, mihi canenti aderit, auxilio suo me iuvabit. Hanc sententiam egregie adornavit poëta. Scilicet corona laurea epicis poëtis, gravioris argumenti carmina canentibus, propria erat, vid. IV, 1, 61; laureati quoque erant Apollinis sacerdotes, vid. ad vs. 3. Poëta ergo sublimiori stylo res graves scripturus, se, tanquam Apollinis sacerdotem, laurea *pura* (*casta* Tibull. III, 4, 23, nota fabula de Daphne ex Ovid. Met. I, 453 seqq., unde *pura*, *casta*) coronatum repraesentat. Haec, inquit, laurea *Apollinea* (Ovid. Fast. I, 96) Apollini sacra molliet *novum iter*, mollem ac facilem reddet mihi viam nondum tritam, vid. III, 3, 25. Apollo me, qui primus inter Romanos Callimachum et Philetam imitor, vid. III, 1, 3, qui praeterea carmine molli et elegiaco res graves canam, numine suo afflabit, me inspirabit. Tribuit poëtice lauro, quod Apollinis erat.

11–14. *reseramus*, aperimus, templum Apollinis Palatini. Eleganter autem poëta, velut sacerdos Apollinis, aperire se hoc templum fingit, et carmina in Augusti laudem victoriamque eius Actiacam Romulae genti praecinere, Burm. – *aedem*, intell. templum Apollini Palatino ab Augusto exstructum, cum porticu magnifica, in memoriam victoriae Actiacae, vid. Ovid. A. A. III, 389; Prop. II, 31, et Argum.; Dio Cass. LIII, 1: Τὸ Ἀπολλώνειον τὸ ἐν τῷ Παλατίῳ ἐξεποίησε καὶ καθιέρωσε. – *Calliope*, vid. III, 2, 16; II, 1, 3. – *ducuntur*, pro dicuntur, canuntur; *ducere*, verbum gravius, carmini gravioris argumenti convenientius, vid. Heyne Obss. ad Tibull. II, 1, 53 – *Iupiter ipse vaces*, Ant. Perreius ed. Ald. adscripserat: « vel aures attentas praebeas et faveas; vel vaces a cantibus Musarum, quae paullisper, dum canitur Caesar, tibi accinere desinant ». Prior interpretatio unice vera et Iovem pro reliquis diis deabusque omnibus nominat.

15–18. Praeclara, vividisque coloribus expressa sequitur descriptio loci et pugnae Actiacae. Compara Virg. Aen. VIII, 704 seqq. – *fugiens portus*, eleganter de portu se quasi subtrahente, adeoque sinum et secessum efficiente, vid. Virg. Aen. I, 163. – *Phoebi*, erat enim ibi vetus Apollinis, cui victoriam suam tribuebat Augustus, vs. 68, templum, quod Augustus post reportatam de Antonio et Cleopatra victoriam instauravit et ampliavit, vid. Sueton. vit. Aug. cap. 18, unde II, 63, 61, *Actia litora Phoebi*, vid. Strabo VII, pag. 500 B, et Heyne ad Virg. Aen. III, 274. – *Athamana litora* sunt Epiru-

Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Iulaeae pelagus monumenta carinae,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus: stetit aequore moles
Pinea, nec remis aequa favebat avis.
Altera classis erat tenero damnata Quirino,

tica, sive Actiaca. Athamanes enim populi Epirotici, vid. Strabo loco citato, ubi etiam Actiacum promontorium describit. – *qua*, ubi *murmura c. aquae*, maris Ionii murmura compescit. Virg. Aen. I, 161: *Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.* – *sinus*, nempe Ambracius, in hoc sinu Actium oppidum et portus tutus, vid. Strabo X, pag. 451 D; VII, pag. 325 A; Thucyd. I, 29. – *Actia Iulaeae*, etc. Accuratius situm loci describit poëta. Passerat. – *Pelagus actia monumenta*, per appositionem et hypallagen explicat, pro *Actium pelagus*. Degen Anthol. Eleg. Rom. pag. 176 orationem a communi eius nectendae ratione recedentem animo poëtae concitato tribuit, antecedens *qua*, id est ubi, repetit et subintelligit, miratur, videt, vel simile quid: *ubi pelagus miratur Actia monumenta I. c.* Equidem cum Passerat. et Guyeto legere mallem: *Actium Iulaeae*, hoc sensu: qua (ubi) Actium pelagus (et) Iul. mon. carinae. *Actia monumenta*, nempe victoriae navalis Augusti, intell. templum Apollinis, urbs Nicopolis etc. Servius ad Virg. Aen. III, 274: *Leucate est mons altissimus prope peninsula in promontorio Epiri, iuxta Ambraciam, sinum et civitatem; quam Augustus Nicopolin appellavit, victis illic Antonio et Cleopatra; ibi et templum Actiaco in promontorio Apollini constituit, et ludos Actiacos.* – *carinae*, carina, docte pro classe, et hoc pro victoria eius ope reportata. – *Iulaeae*, id est Augusti, vid. ad el. 1, 48. Gens Iulia a Iulo, Anchisae et Veneris nepote, descendere credita, in quam Augustus adoptatus erat. – *Nautarum-via*, via non amplius difficilis, quia Augustus portum illum, antea inprimis propter saxa nautis formidatum, munivit, ut faciliorem iis aditum praeberet. – *Nautarum votis*, pro nautis vota facientibus pro navigatione felici, quae postea in litore solvant.

19–24. *Huc*, ad hunc Phoebi portum. – *mundi manus*, poëtice ita dicit exercitum utrumque navalem, Augusti et Antonii. Virg. Aen. VIII, 678: *Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar.* 687: *Antonius-Aegyptum viresque Orientis et ultima secum Bactra vehit.* – *moles pinea*, naves ingentes. Spectat hoc maxime ad Antonianas naves, de quibus Virgil. l. c. vs. 691: *pelago credas innare revolsas Cycladas, aut montis concurrere montibus altos: Tanta mole viri turritis puppibus instant.* – *avis*, pro auspicio, omine, vid. el. 1, 68; 5, 6, non erant aeque fausta utrique classi omina. – 21. *Altera*, semel positum, ut apud Vellei. Pat. II, 54; Virg. Ecl. III, 34. – *damnata erat*, nempe ab ave infausta, infaustis ominibus, ea destinaverant ad exitium classem, una cum *tenero*, molli, effeminato *Quirino*, id est Antonio. – *Quirinus* dicitur Antonius, ut Catull.

Pilaque feminea turpiter acta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Iovis omine velis,
Signaque iam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus:
Armorum radiis icta tremebat aqua.
Quum Phoebus linquens stantem se vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Adstitit Augusti puppem super, et nova flamma

XXVII, 5, Iulium Caesarem dixit *cinaedum Romulum*. Simili modo et Romani dicuntur *populus Quirini*, vid. Bentlei. ad Horat. Carm. IV, 5, 9. Conf. Obss. – *Pilaque*, nempe damnata erant. – *feminea manu*, docte pro foemina, a foemina, intell. Cleopatra. – 23. *Augusta ratis*, id est classis, ut *carina* supra vs. 17. – *Iovis omine*, exquisite pro vento secundo. Virg. Aen. VIII, 682: *Parte alia ventis et dis Agrippa secundis.* Ventus secundus, vela implens, faustae navigationis omen. Stat. Achill. II, 9: *et dubiis pleno dedit omina velo.* – *Iupiter* pro vento, ut Catull. IV, 20, ubi vid. Doering. Alii per *Iovis omen* intelligunt augurium a Iove missum, nempe aquilam, vid. Theocrit. Idyl. XVI, 72; XXVI, 31, vel fulmen laevum. – 24. *Signaque*, scilicet hinc erant. – *patriae suae vincere*, id est vincere pro patria sua, ut vs. 39: *tibi militat arcus*. Iustin. II, 8 de Pisistrato: *quasi sibi, non patriae vicisset, tyrannidem per dolum occupat.*

25–30. Elegans fictio, qua Nereo, deo marino, utriusque aciei navalis instructio tribuitur. Vulgaris sententia erat: tandem medio mari acies navales instruuntur. – *lunarat*, graphice pro curvarat. Virg. Aen. III, 533: *Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum.* – 26. *armorum radiis*, armis radiantibus. – *icta*, Burmannus: innuit solis radios armorum auratorum fulgore in aqua repercussos. Sic Lucanus VII, 214: *Miles ut adverso Phoebi radiatus ab ictu.* Vid. Heins. et Burm. ad Ovid. Metam. V, 389. — *icta tremebat*, eleganter, metuens quasi has armorum coruscationes. — 27. Pugnatum est in conspectu signi et fani Apollinis Actii, in exteriore parte sinus Ambracii: ipse praeterea Augustus Phoebo victoriam de Antonio et Cleopatra reportatam tribuebat, inde praeclara haec fictio derivanda, qua Apollo Delon suam liquisse, Augustique puppem super adstitisse hoc loco dicitur. – *se vindice*, auctore. – *stantem*, antea vagam ac natantem in mari Aegaeo, iam stabilem factam. Stat. Theb. VII, 182, ubi Bacchus ad Iovem: *potuit Latonia frater Saxa* (*nec invideo*) *defigere Delon, et imis Commendare fretis.* Anthol. Lat. tom. I, pag. 460, ep. 7: *Delos iam stabili revincta terra, Olim purpureo mari natabat, Et moto levis hinc et inde vento Ibat fluctibus inquieta summis*, ubi vid. Burm. Barth. Advers. XLIX, 5, pag. 2289; Heyne ad Virg. Aen. III, 73. – *tulit*, pertulit. – *mobilis*, vaga, natans. – *iratos*, saevos, rabidos; *rabiem Noti* memorat Horatius Carm. I, 3, 14. – *Notos*, pro ventis quibuscunque. – 29. *Adstitit p. s.*,

Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille adtulerat crines in colla solutos,
Aut testudineae carmen inerme lyrae:
Sed quali adspexit Pelopeium Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.

tanquam deus tutelaris. *Adstare* pro simpl. stare, ut el. 10, 31; Virgil. Georg. III, 545. – *puppim super*, cum dilectu, in puppi enim dii et tutelae navium. Ovid. Fast. IV, 275 seqq.: *et picta coloribus ustis Coelestum Matrem concava puppis habet.* – *nova flamma*, insolita, lucidior solito. Flammae subito emicantis laetum omen, notum est, vid. III, 10, 20. – *ter*, repetendum, *ter luxit*, *ter sinuata est*, curvata est in obliquae facis speciem. Habuit autem in mente Propertius locum Virgilii Aen. VIII, 678 seqq.: *Hinc Augustus–Cum Patribus — Penatibus — Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus*, ubi Heynius ad verba *cui geminas t. flammas*, id est gemina tempora flammas *vomunt*, scite animadvertit, Augusti galeae ex aere fulgorem, qui radiorum vel nimbi speciem referre videri poterat, inprimis si bucculas galeae cogites, in miraculum esse conversum. Notat praeterea, Propertium non minus quam Virgilium respicere stellam Iuliam, Caesaris capiti appingi solitam, in memoriam stellae crinitae, in quam inter ludos funebres habitos anima Caesaris abiisse credita sit, vid. ad III, 18, 33; Sueton. vit. Caes. 88; Plin. II, 23.

31–36. Non apparebat *ille*, Apollo, pacatus, ita ut *intonsi crines longa cervice fluerent* Tibull. III, 4, 27, ubi vid. Broukh. et Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 683, lyram manu tenens; sed attulerat arcum et sagittam, et vultu eodem adspexit Antonium, quo quondam aspexit Agamemnonem, hoc est truci et horrendo Homer. Il. A, 43 seq.: Φοῖβος Ἀπόλλων, Βῆ δὲ κατ' οὐλύμποιο καρήνων χωόμενος κῆρ, Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην· vid. Lessing. Laocoon cap. 13. – *carmen inerme*, molle, amatorium, nec aptum armis et bello, non venerat, ut Antonii et Cleopatrae amores ad lyram caneret. Vid. not. ad III, 11, 43. – *testudineae lyrae*, testudine distinctae et ornatae, ut Tibull. IV, 2, 22, ubi vid. Heyne. – *Pelopeium*, Pelopis nepotem. — *Egessitque* etc., recte Passerat. extulit, scilicet efferri fecit Graecos. — *Dorica castra*, ad rogos et funera. Vid. III, 18, 29. Immisit nimirum Apollo pestem castris Graecorum, et αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί, Homer. Il. A, 52. – 35. Aut quali vultu Apollo adspexit Pythona serpentem, Parnasum occupantem, quem sagittis suis confecit. Fabula nota. Vid. Callim. hymn. in Apoll. 100 seqq.; Ovid, Met. I, 438 seqq. — *solvit*, cum dilectu, pro trucidavit, solvuntur enim, saltem non arctius constringuntur gyri serpentis occisi. – *imbelles lyrae*, optime Marklandus interpretatus est, Musae im-

Mox ait, o longa mundi servator ab Alba
  Auguste, Hectoreis cognite maior avis:
Vince mari, iam terra tua est: tibi militat arcus,
  Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quae nunc te vindice freta
  Imposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus auctor
  Ire Palatinas non bene vidit aves.
En! nimium remis audent! proh turpe, Latinos
  Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remigat alis,

belles, id est armis et bello non aptae. Praeivit Passeratius, qui *imbelles lyrae* explicat: lyricen ipse, sed male ad Apollinem haec verba refert. Sic εὔλυρος Μοῦσα Aristoph. Ran. 231. *Musa*, pro poëta, Ovid. Pont. IV, 3, 16. *palma*, pro victore, Virg. Aen. V, 339.

37-44. Iam Apollo ipse loquens inducitur. Oratio sublimis et splendida, qua, more poëtarum Augustei aevi solemni, mirifice Propertius adulatur Augusto. – *mundi*, maris terraeque pacator, *servator*, σωτήρ, quibus nominibus et Iupiter insignitur Plin. H. N. XXXIV, 8; Inscr. Gruter. pag. 18, n. 6; Horat. Carm. IV, 15, 17, *rerum custos* Augustus dicitur. – *longa ab Alba*, vid. el. 1, 35, id est oriundus, descendens a regibus Albanis. — *Hectoreis avis*, avis Troianis. – 39. *tibi militat arcus*, ornate pro me tibi socium adiungam, *tibi adero*, *et conamina tua iuvabo* Stat. Silv. III, 1, 112. – *onus*, intelligitur *gravida sagittis pharetra* Hor. Carm. I, 22, 3. infra vs. 55: *pharetrae pondus*. – *favet*, tibi opitulabitur. – 42. Patria omnis tibi soli confidit, desiderium suum, spemque suam omnem in tua nave, in te posuit. Locutio desumta a more veterum, vota sua affigendi statuae illius dei, cuius tutelae navis concredita erat, vid. Rutgers. Var. Lectt. V, 5, p. 463; Stanlei. ad Aeschyl. S. c. Th. 214. – *prorae*, pro navi. — 43. Frustra propemodum, nec felici augurio, condidit Romulus urbem, nisi tu eam defenderis. – *auctor*, conditor, ut *templi auctor* Ovid. Fast. IV, 347. Vid. Obss. – *Palatinas aves*, vid. Liv. I, 6, 7.

45-48. *En-audent*, nempe patriae hostes; nimium navibus suis confidunt. — *Latinos*, Romanos *fluctus*, opponit *regiis* Cleopatrae *velis*, navibus. Eadem indignatione infra vs. 58 commemorantur *sceptra*. Turpe est, mari Romano ferenda esse regia vela. Sensum mari poëtice tribuit. — *Principe te*, te regnante. — 47. Compara Virg. Aen. VIII, 691 seqq. — *classis centenis alis*, vel de velis accipiendum, ut *remigat*, per se stet. Nam naves dicuntur volare et velo et remis, et Virg. Aen. I, 224, *mare velivolum* vocat, atque πτερὰ (quod vocabulum omnino notat id, quod procurrit ultra reliquum corpus, ut alae

Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt prorae Centauros saxa minantes;
Tigna cava, et pictos experiere metus.
Frangit, et attollit vires in milite causa:
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.
Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Iulia rostra manu.
Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus:
Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma, fide Phoebi, dat femina poenas;

in avibus, v. Salmas. ad Tertull. de pallio p. 58 seq.; Hesych. v. πτέρυγες· Markl. ad Eurip. Iphig. in Aul. 120) remos et vela significat, vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XII, 98. Vel intelligendi sunt remi. Pollux Onomast. I, 9: τῆς κώπης τὸ τελευταῖον, πτερὰ, καὶ ταρσοὶ κωπῶν. Eurip. Iph. Taur. 289: πτεροῖς ἐρέσσει. — *Remigium alarum* est apud Lucret. VI, 743; vid. Dorvill. ad Charit. p. 104. — *centenis*, numerus certus pro incerto. — *invito labitur illa mari*, Burm. explicat: immanes classis Antoniae moles navium ferre negante; et affert hanc in rem Flori verba IV, 11: *non sine gemitu maris, et labore ventorum ferebantur.* Sed quum praecesserit *terreat*, mallem haec verba simpliciter interpretari: invito mare fert classem, malo omine remigat.

49-58. *Quodque*, quod pro quamvis, ut vs. 47, et III, 2, 11. — *prorae*, intelligit Cleopatrae navem, cui adpicta erat Centauromachia; vid. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 14, 14. Hanc imaginem, inquit Broukh. contemtim *pictos metus* noster vocat, ac si omnis ab Antonio terror constiterit intra minacem apparatum. Eleganter ergo verbis *pictos metus* formidinis inanitatem significat. — *tigna cava*, adeoque fragilia, facile delenda, per contemtum ita regiam navem vocat. Similis locus Horat. Carm. I, 1, 13, ubi *trabs* ponitur pro nave, ad augendum periculi sensum. — 52. *excutit arma pudor*, mens turpitudinis conscia cogit abiicere arma, efficit ut *turpiter arma cadant* IV, 2, 4. — *Tempus*, εὐκαιρία. — *ego temporis auctor*, suasor temporis opportunitate utendi. — 54. vid. vs. 39, 17. — *laurigera*, ornate, pro mea. Ipse Phoebus *lauriger* dicitur Ovid. Art. Am. III, 389; Martial. IX, 29, et laurus victoriae signum. — *ducam*, nempe ad victoriam. — 55. Compara Virg. Aen. VIII, 704 sqq. — *pharetrae pondus*, sagittas, *consumsit in arcus*, omnes sagittas arcui imposuit et de eo misit. Pingitur his verbis praesentissimum Apollinis auxilium. — *Consumere in*, Graecorum more, ut ἀναλίσκειν εἰς, vid. Guellius ad Virg. Aen. VII, 301. Caeterum similis descriptio Cupidinis pharetram in arcus exhaurientis in epigr. Pauli Silentiarii Anal. Brunckii tom. III, p. 77: Μηκέτι τίς πτήξειε πόθου βέλος· ἰοδόκην γὰρ Εἰς ἐμὲ λάβρος Ἔρως ἐξεκένωσεν ὅλην. — 56. Praeclara laus fortitudinis Augusti. — *fide*, Passerat. tutela explicat, ut legitur apud Catull.

Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Caesar ab astro,
Sum Deus; en nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, iusso non moritura die.
Dî melius: quantus mulier foret una triumphus,

XXXIV, 1: *Dianae sumus in fide*. Male. Respicitur vs. 39, ubi Apollo victoriam promiserat Augusto. – *Sceptra - aquas*, notio simplex splendide adornata: devicta et fugata est Cleopatra.

59-62. *Pater*, Iulius Caesar, pater Augusti, per adoptionem. – *Idalio astro*, Caesari proprio, vid. ad vs. 30. *Idalium* epithet. longius repetitum ab Idalio, nemore et oppido Cypri, Veneri sacro; ab Iulo vero, adeoque Anchise et Venere genus ducere Caesar credebatur. – *miratus*, virtutem Augusti, et victoriam. – *fides*, e nostro sanguine, stirpis divinae esse, probat. *fides*, pro signo, documento, indicio, quo aliquid probatur. Val. Flac. I, 383: *Hic vates, Phoebique fides non vana parentis, Mopsus*; vid. Duker. ad Flor. I, 2; Burm. ad Ovid. Met. XII, 365; et ad Lucan. VIII, 638. – *Prosequitur cantu Triton*, Triton stipatus choro dearum marinarum, triumphum canit et applaudit Augusto victori. Compara Senec. Troadd. 202; Claudian. Epithal. Honor. 153; Moschus Id. II, 114. – *libera signa* explicant: victricia, liberata ab Augusto signa Romanorum; minabatur enim Cleopatra populo romano servitutem, vid. III, 11, 31: sed longe elegantius Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 37, 1, haec verba explicuit: laetitiae signa plausu ediderunt. Nam ad totum animi habitum epith. *libera* pertinet.

63-68. *Illa*, Cleopatra. – *Nilum petit*, vid. III, 11, 51. – *cymba* per contemtum dicitur Cleopatrae navis, qua Alexandriam fugit. – *male nixa*, non bene freta, quia parum in cymba praesidii. PASSERAT. – *hoc unum*, Barth. supplet: spectans, ut moriatur quidem, (vid. ad III, 11, 53) sed non eo, quo victor iubeat, die, post triumphum. Passeratius: hoc unum triumpho Augusti deerat, quod Cleopatra mortem non fuerit adepta die, quo eam plectere destinaverat Augustus, postquam eam in triumphum duxisset, sed ipsa sibi mortem antea intulerit. – 65. Augustus vehementer optaverat Cleopatram in triumpho circumducere, vid. Plutarch. vit. Anton. Propertius igitur postquam commemorarat Cleopatram sibi ipsam manus intulisse, ne in triumpho circumduceretur; ut Augusti superbiae adularetur, et ostenderet, qui factum esset, ut, quum sub Apollinis auspiciis victoria de Cleopatra reportata esset, ea tamen iussum diem effugere potuisset: diis ita volentibus hoc factum esse affirmat, ac de Cleopatra ipsa contemtius loquitur. – *Di melius*, scilicet fecerunt. Aliis in locis *di melius* est formula averruncandi mali ominis atque calamitatis. – *quantus*, quam exiguus. – *mulier una*, per

Ductus erat per quas ante Ingurtha vias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Vna decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
Victor, et ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia ludo,
Blanditiaeque fluant per mea colla rosae.
Vinaque fundantur prelis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.

contemtum. – *Ductus - vias*, concise dictum, pro, si ducta foret Cleopatra per easdem vias, *per quas* (viam Sacram intelligit, vid. II, 1, 34) *ductus erat Iugurtha*, Numidiae rex, hostis Romanorum acerrimus, virtutis bellicae laudibus florentissimus, in triumpho Marii ante currum eius ductus cum duobus filiis et in carcere necatus; vid. III, 5, 16. – 67. *monumenta*, intelligitur templum Apollinis ampliatum, urbs Nicopolis, ludi Actiaci. – *Vna - rates*, supra vs. 55 dixerat poëta, *pharetrae pondus consumsisse* Phoebum *in arcus*, iam vero ut ostenderet, quanta fuerit vis sagittarum Apollinis, quam insignia potentiae suae documenta dederit deus: more poëtarum rem auget, atque unam Phoebi sagittam plures naves hostium perdidisse declarat.

69-76. Ad festi laetitiam, epulas et choros revertitur poëta; non amplius, inquit, bella canenda sunt, sed hymni canantur, pedibus choreae plaudantur, epulisque praeterea solemnibus haec sacra celebrentur. Ad hanc sententiam exprimendam, exquisita imagine repraesentat poëta Apollinem, victoria laetum, deposito arcu, citharam sumentem. Horat. Carm. II, 10, 18 sqq.: *quondam cithara tacentem Suscitat Musam*, *neque semper arcum Tendit Apollo*, ubi vid. Ian et Mitscherlich. – 71. Compara Horat. Carm. I, 37, 1 sqq. – *Candida*, cum dilectu, pro laeta, nam albati solemnes epulas celebrabant, Horat. Sat. II, 2, 60, quem morem quoque hoc voc. respexisse videtur poëta. – *subeant*, pro succedant, sequantur, ut Ovid. Met. I, 114. – *ludo*, ita passim *convivia* et *ludus* coniunguntur, ut el. 4, 75; Val. Flac. I, 294; Sil. Ital. XV, 273; Iuvenal. XI, 177; Stat. Theb. V, 195. – *molli ludo*, non cruento, sunt enim et Martis ludi, Horat. Carm. I, 2, 37. – 72. *Blanditiae rosae*, vulgo per appositionem explicant. Sed praeplacet nobis Mitscherlichii ratio Lectt. in Catull. et Prop. pag. 166, cui *rosae* est genit. pro plurali rosarum, ut adeo *blanditiae rosae* sint *γάνος ῥόδων*, rosae adspectu blandientes, pulchrae, ut *γάνος βότρυος* Eurip. Bacch. 382. – *per mea colla*, nam caput, collum et brachia convivae sertis ornabant; Tibull. I, 7, 52; Prop. III, 5, 21. – 73. *Falernis*, vid. ad II, 33, 39. – *ter*, saepius. – *spica Cilissa*, crocus, vel potius unguentum crocinum in Cilicia laudatissimum. *Spica* dicitur ratione floris capillosi; vid. Plin. XIII, 1; Salmas. ad Solin. p. 749; interpp. ad Ovid. Fast. I, 76; Mercurialis Lectt.

Ingenium potis irritat Musa poëtis.
　Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sygambros,
　Cepheam hic Meroën, fuscaque regna canat;
Hic referat sero confectum foedere Parthum:
　Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
　Differat in pueros ista tropaea suos.

Var. VI, 7; Turneb. Advers. VIII, 2. – 75. *potis*. Horat. Epist. I, 19, 1: *Ennius ipse pater nunquam, nisi potus ad arma Prosiluit dicenda.* – *irritat*, excitat, acrius reddit. – *Phoebo*, in gratiam Phoebi, fratris tui, *fertilis esse*, carmina gignere. Translatio a fecunditate vitis ad ingenii fecunditatem. Ovid. Met. VII, 431 sqq.: *agitant convivia patres – nec non et carmina, vino Ingenium faciente canunt;* add. Tibull. III, 4, 43 seq.

77-80. Splendidus locus, in quo enthusiasmi poëtici spiritus regnat. Distribuit inter poëtas argumenta praeconiis carminibusque ipsorum dignissima, scilicet canere eos iubet victorias Augusti de hostibus populi romani reportatas. – *Sygambri*, populi qui ad Rheni ripas olim habitarunt, ubi hodie Geldria et Clivanae terrae sunt. Augustus iis, acceptis obsidibus, pacis leges imposuit, ac de iis A. V. DCCXXXIX triumphavit; vid. Sueton. Aug. 21, ibique Casaub. Vatis personam induit h. l. noster, ac de re certo sperata et proxime futura canit. Scripta enim est haec elegia A. V. DCCXXXVIII, quo eodem anno et Horat. Carm. IV, 2, cecinit. – 78. *Meroën*, intelligitur *servire*. Meroë insula Nili, cum oppido eiusdem nominis in Aethiopia sita; Plin. II, 73; VI, 29; Ovid. Met. IV, 669. – *Cephea* dicitur a Cepheo Aethiopum rege, Andromedes patre; vid. Eratosth. c. 15; Cellar. Geogr. Ant. IV, 8. Per *fusca regna* intelligunt Aegyptios, vel Indos, horum enim populorum regna *fusca*, *sole perusta* passim dicuntur a poëtis. Sed haud dubie ipsi Aethiopum populi intelligendi sunt, cui interpretationi favet Ovid. l. c. *Aethiopum populos*, *Cepheïa*, *conspicit*, *arva*. Candace, Aethiopum regina, victa est Anno Vrb. DCCXXXII. – 79. *confectum Parthum*, subactum, oppressum, Horat. Carm. III, 8, 22: *Cantaber sera domitus catena.* Splendidissimi enim triumphi instar habebatur, quod Phraates, Parthorum rex, Augusto, quum A. V. DCCXXXIV in Syria versaretur, veritus, ne bello peteretur, signa militaria, Crassi clade amissa, restituit; vid. ad II, 10, 13; IV, 3, 7. Ovationem ideo atque arcum triumphalem senatus Augusto decrevit, Dio LIV, 8; Suet. Aug. 21. – *Remi*, pro Romanorum, Crassi interim signa reddat.

81-86. *Eois*, populis orientis pharetratis, Parthis et Indis, IV, 3, 10; II, 10, 15. – *in pueros* filios, seu progeniem suam, intelligit Caium Caesarem, Agrippae filium, ab Augusto adoptatum, qui A. V. DCCLII expeditionem in Parthos suscepit; nisi per pueros simul etiam Germanicum et Tiberium ab eo adoptatum

Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas;
 Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
 Iniiciat radios in mea vina dies.

## ELEGIA VII

### DE CYNTHIA

Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit:
 Luridaque evictos effugit umbra rogos.

intelligamus. BVRM. De Caio Ovid. Art. Am. I, 179: *Parthe, dabis poenas, Crassi gaudete sepulti Signaque barbaricas non bene passa manus. Vltor adest; primisque ducem profitetur in annis: Bellaque non puero tractat agenda puer.* 191: *Auspiciis animisque patris, puer, arma movebis: Et vinces animis auspiciisque patris;* vid. ad h. l. interpp. – 83. *nigras arenas*, arenosos Assyriae campos intelligit; *nigras*, fulvas, sic *fulva arena* Virg. Aen. XII, 741; sed *nigra arena* Georgic. III, 241. – *si quid sapis*, si sensum habes, si quis adhuc Manibus tuis sensus est. – *ire per Euphratem*, liberum iter, domitis Parthis, per Euphratem, ad tua busta. Sed *busta* improprie h. l. dicuntur omnino pro loco, ubi Crassi, pater et filius, caesi erant, nam insepulti, honore tumuli caruerunt, vid. Valer. Max. I, 6, 11: unde *nudos Crassorum cineres* vocat Lucan. IX, 64; vid. Burm. ad Lucan. I, 11. – 85. *patera, carmine ducam*, vino et carminibus ducam noctem, docte pro convivium in multam noctem producam, extendam. Martial. II, 89, 1: *nimio gaudes noctem producere vino.* Horat. Carm. III, 21, 23: *Vivaeque producent lucernae, Dum rediens fugat astra Phoebus.* Tibull. I, 9, 61 seq.: *Illam saepe ferunt convivia ducere Baccho, Dum rota Luciferi provocet orta diem.*

ELEGIA VII

Ait, sibi dormienti Cynthiae iam demortuae imaginem apparuisse, conquestamque, quod poëta eius funus negligenter curasset, et quod parum pius erga mulieris memoriam videretur: variis denique mandatis relictis, sub Solis adventum, ad Elysios, unde pedem tulerat, revertisse. VVLP. Affectuum ad vivum delineatorum veritate ac varietate, imaginum delectu, earumque ingeniosa exornatione, orationis denique simplicitate ac naturali elegantia et suavitate, hoc carmen excellit.

1-4. Praeivit nostro improbanti opinionem eorum, qui manes atque infernum non nisi fabulas et vana nomina dicerent, Homer. Iliad. Ψ, 103: Ω πόποι, ἦ ῥά τι ἐςὶ καὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισι Ψυχὴ καὶ εἴδωλον, ἀτὰρ φρένες οὐκ ἔνι πάμπαν. – *Sunt aliquid*, formula latinis scriptoribus frequens,

Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
  Murmur ad extremae nuper humata viae:
Quum mihi somnus ab exsequiis penderet amaris,
  Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos.
  Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.

quum rem non omnino contemnendam et negandam significare volunt. Ovid. Am. I, 12, 3: *Omina sunt aliquid.* Quinctil. Prooem. lib. I: *Est certe aliquid consummata eloquentia.* Ovid. Met. VI, 542: *si numina Divum sunt aliqud;* vid. Heins. ad Ovid. Heroidd. XII, 31; Art. Am. III, 755. – *Luridaque umbra*, luridus, ut *pallidus*, *niger*, epitheton de inferis omnibusque eo pertinentibus solemne, ut infra eleg. 11, 8. – *evicti rogi*, sunt quos eluctando, ex igne evolando, umbra evasit. Ovid. Trist. IV, 10, 86: *Et gracilis structos effugit umbra rogos.* Sed *evictos* positum est pro simpl. victos, ut *emirari* Horat. Carm. I, 5, 8; *evinctus* Virg. Aen. V, 774; vid. Drakenb. ad Sil. III, 581. – 3. *visa est* in somnis. – *fulcro*, nempe lecti. Ovid. Fast. V, 457: *Vmbra cruenta Remi visa est adsistere lecto.* – 4. *Murmur-viae*, poëtice et docte, pro via Tiburtina, ad ripam Anienis murmurantis, ubi via extrema desinit.

5-8. Quum *ab exsequiis*, ex recordatione illarum, interrupto somno uterer. – *somnus penderet*, dubius et incertus esset; *pendere* enim incerta et dubia dicuntur, quum ea, quae pendent, facile impelli possint atque moveri, sic *fortuna ducum pendet* Lucan. II, 41. Illustravit hunc verbi usum Burm. ad Quinctil. VII, 4, p. 631. – *lecti regna*, in quo regno, regna superba gero. *Regna*, *regnare*, *potentia*, voces in re amatoria solemnes. Tibull. I, 3, 59: *regnum ipse tenet.* I, 9, 80: *Et geret in gremio regna superba tuo*, ubi vid. Heynii Obss. – *frigida regna*, coelibem lectum Catull. LXVIII, 6. – 7. Cynthiam eodem habitu sibi apparuisse affirmat Propertius, quo mortua erat. Vmbras enim et Manes eodem habitu apparere, quo e vita excesserant, veteres credebant; vid. Broukhus. ad Tibull. II, 7, 21; Heyne ad Tibull. I, 10, 37; Meurs. ad Lycophr. p. 306; Drakenb. ad Sil. Ital. XII, 545. Atque Prop. colorem duxit ex Homer. Iliad. Ψ, 66: Πάντ' αὐτῷ μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ' εἰκυῖα, Καὶ φωνήν· καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο. – *elata*, id est mortua, ut Iuvenal. XIV, 220. – *eosdem capillos*, fulvam comam II, 2, 5. – *eosdem oculos*, lumina nigra II, 12, 23.

9-12. *Et-ignis*, annulos morituris detractos fuisse, et hoc loco tantum humatam indicari Cynthiam, quae iam viventis specie apparuit poëtae, contendit Dorvill. ad Charit. p. 140, rectissime vero Burmannus monuit, huic sententiae obstare verba: vestis *adusta*, beryllos *igne adesa*, e quibus luculenter satis pateat, Cynthiam non humatam, sed rogo consumtam fuisse. Praeterea satis constat, quae vivis inprimis cara, et quibus usi fuerant, gemmas quoque et pretiosissima quaevis concremata nec annulos semper detractos morituris fuisse

Et solitam digito beryllon adederat ignis,
   Summaque Lethaeus triverat ora liquor.
Spirantisque animos, et vocem misit: at illi
   Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae,
   In te iam vires somnus habere potest?
Iamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburae,
   Et mea nocturnis trita fenestra dolis?

vid. not. ad II, 13, 26; Casaub. ad Suet. Caes. c. 84, et quae ipse Dorvillius notavit ad Charit. p. 72, s. 243, atque hunc morem in Cynthiae quoque cadavere, cuius caeteroquin funus negligentius curabatur, vid. vs. 23 sqq. observatum fuisse, vel additum vocabulum *solitum* affirmare videtur. – *beryllon*, intelligitur annulus beryllo insignis, quem Cynthia dum viveret, quotidie gestare solebat. – *adederat*, flamma corripuerat, degustarat (Lucret. II, 193); Virg. Aen. IX, 537: (flamma) *postibus haesit adesis*. Vid. de usu huius verbi Heins. ad Ovid. Am. I, 15, 41; et Markland. ad Stat. p. 297. – *summa ora triverat*, eleganter designat labiorum pallorem: simul vero etiam notatur his verbis, eam libasse tantum aquam Lethaeam; *longa* enim *oblivia potasset* Virg. Aen. VI, 715, si aquam fluvii saepius imbibisset. – 11. *Spirantisque animos*, recte Passerat. animose et iracunde locuta est, ut viva et spirans solebat, vid. II, 5, 18. – *vocem mittere*, pro loqui, ut Albinov. ad Liviam v. 352; Iuvenal. Sat. XIII, 113: eodem modo dicitur *emittere verba* Petron. c. 19; *vocem* Liv. V, 51; Tibull. I, 9, 27; vid. Burm. ad Petron. l. c. ad Phaedr. IV, 10, 4. – *pollicibus increpuere manus*, manus usque ad articulorum crepitum stringendo iracundiam indicabat. Sic Quartilla apud Petron. cap. 17: *manibus inter se usque ad articulorum crepitum contritis* iram effundit. – *manus fragiles* similem fragori sonum edentes, epith. ornat. Alii explicant: exiles, graciles, quales mortuorum esse solent.

13-22. *Melior*, fidelior. – *In te* etc. tu, quum modo exsequiae mihi sint factae, iam somno succumbere potes? similiter Patroclus ad Achillem Homer. Iliad. Ψ. 69: Εὕδεις, *αὐτὰρ ἐμεῖο λελασμένος ἔπλευ Ἀχιλλεῦ*. 15. *Subura*, vicus urbis Romae regionis secundae, ad radices Coelii montis, frequentissimus, idemque maxime infamis, ubi scorta habitare, et cibaria aliaeque res vendi solebant. Hinc propter hanc ipsam populi frequentiam, comissationes, rixas nocturnas, canes quoque ad limina impudicarum custodes (de quibus canibus vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, p. 293; Broukh. ad Tibull. I, 7, 32; add. Horat. Epod. V, 58). Subura h. l. dicitur *vigilax*, et *clamosa* Martial. XII, 18, 2; conf. Casaub. ad Pers. V, 32; Martial. VI, 66, 2; VII, 30, 12. Ibidem Cynthia quoque aedes suas habuisse videtur. – *furta*, de furtivis et clandestinis amoribus frequens. – 16. *nocturnis dolis*, ut fallerem alios me petentes, vid. II, 20, 27. – *fenestra*. Ovid. Art. Amat. II, 246: *Det quoque furtivas alta fenestra vias*. – *trita*, usu pae-

Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu?
Saepe Venus trivio commissa et pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Foederis heu taciti! cuius fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes:
Vnum impetrassem te revocante diem.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,

ne consumta, perquam frequenter furtivas vias dedisse fenestram eleganter pingit. – *tibi pependi*, tua causa per fenestram me demittens. – 18. Ruens in amplexus tuos. – *Alterna manu*, ut faciunt qui per funem descendunt. – 19. *Venus* in *trivio commissa*, elegans translatio ab arena veterum. – *fecerunt tepidas vias*, id est nos incubando tepefecimus, vid. I, 16, 22. Ovid. Heroidd. X, 54: *Strataque, quae membris intepuere tuis.* – 21. *foederis heu taciti!* Graecismus, οἴμοι τῶν σπονδῶν· Eurip. Hel. 682. οἴμοι ἐμῶν δεινῶν. Sic et φεῦ Lucian. Timon. c. 7, p. 114, φεῦ τῆς ἀλλαγῆς· *taciti*, occulti. – *diripuere Noti*, irrita reddidere I, 8, 11, ad deos non pertulere. Catull. LXIV, 142: *Quae cuncta aërii discerpunt irrita venti.* – *Noti* pro ventis.

23-26. Conqueritur Cynthia, quod adeo negligenter Propertius cadaver et funus ipsius curarit, atque singulas officii partes ab eo neglectas enumerat. Affectus muliebris plena, et Cynthiae ingenio consentanea oratio. – *inclinavit oculos euntes*, id est oculos morientis cum nominis mei inclamatione clausit. Ovid. Trist. III, 3, 43: *Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo Labentes oculos condet amica manus.* Amici enim et propinqui hoc officii genus morientibus praestare debebant, vid. Ovid. Am. III, 9, 49. Clamor autem excitabatur, ut vel exeuntem animam retardarent, vel in corpore adhuc delitescentem excitarent; vid. Kirchman. Fun. Rom. I, 13; Gutherius de Iure Manium I, 12. *oculos euntes* sunt *ocelli madidi* Ovid. Am. III, 9, 49, fugientes, iam morte natantes, vid. Barth. ad Stat. Theb. XI, 558, modo labentes, modo rursus se aperientes. Caeterum conf. Obss. 24, et vid. notata ad II, 27, 15. – 24. Si tu mihi morienti adfuisses, me ad vitam revocare studuisses, forte unum saltem diem a Parcis impetrassem, Burmanno respexisse videtur poëta ad Protesilaum, de quo vid. I, 19, 7. – 25. Locus impeditus et obscurus. Vid. Obss. – *custos*, custos cadaveris, qui ad cadaver pernoctabat, vid. Virg. Aen. XI, 30; Gutherius de Iure Manium I, 14 extr. et c. 17; Morestelli Pompa Feralis in Thes. Antiq. Rom. Graev. tom. XII, p. 1382. – *propter me*, iuxta meum corpus, cadaver. – *fissa arundine crepuit*, fistula insonuit, vel crotalum id est virgulam ex arundine scissa, concussit. – 26. Mutila testa sub capite meo posita, quum pulvillus mollis subiiciendus fuisset. Sic recte haec verba intellexit Livineius.

Laesit et obiectum tegula curta caput.
Denique quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrymis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere: at illuc
Iussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat? nulla mercede hyacinthos
Iniicere, et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae.

27-32. Vulgare erat: tu in meo funere nulla moeroris signa dedisti, sed graphice et ornate pro eo dixit poëta: quis te in meo funere vidit curvum, atram quis lacrymis incaluisse togam? *curvum*, demisso capite incedentem, ut solent moesti atque lugentes, vid. II, 14, 11; Casaub. ad Pers. I, 91. – *atram togam*, insigne luctus, vid. Lips. Elect. I, 13; Manut. Quaesit. per Epist. III, 1, et scriptores de re Vestiar. – *incaluisse*, exquisite pro immaduisse. Frequentér poëtae ardentiorem affectum describentes, *lacrymas calidas*, *tepentes*, *δάκρυα θερμὰ*, Tibull. II, 5, 77; Homer. Il. H, 426; Odys. Δ, 523 commemorant. – 29. *si-procedere*, si tibi via ad rogum usque nimis longa, si tibi nimis molestum erat funus ad sepulcrum usque prosequi, *at illuc*, saltem usque ad portam, intra urbem, *iussisses*, iubere debuisses, ut funeris mei exsequiae lentius irent, nec tam celeriter per urbem lectus feralis ferretur. – 31. Compara Homer. Il. Ψ, 194 sqq. Nonn. Dionys. XXXVII, 72 seqq.; Herodian. IV, 14. Rogo incenso implorabant ventos, ut flammam suscitarent alerentque, quo citius cadaver cremaretur, et sacrificii pollicitatione eos rogare solebant, vid. Homer. l. c. Kirchman. Fun. Rom. III, 2. – *cur-meae*, vid. ad II, 13, 23. – *oluere*, construitur hoc verbum cum casu quarto et sexto, vid. Heins. ad Ovid. Heroidd. XV, 76. Ciofanus ad Met. V, 405. Avaritiae autem his verbis Propertium incusat.

33-36. *Nulla mercede*, parvo pretio, viles. – *hyacinthi*, ob colorem suum ad inferias inprimis apti, *ferrugineos hyacinthos* vocat Virg. Geor. IV, 183. – *iniicere*, nempe flammis. Corollas floreas, unguenta, vina etc. rogo et sepulcro ingesta fuisse, tralatitium. Laudat Burm. hanc in rem Lucian. in Contemplant. pag. 519: στεφανοῦσι τοὺς λίθους, καὶ χρίουσι μύρῳ· οἱ δὲ καὶ πυρὰν νήσαντες, καίουσί τε ταυτὶ τὰ πολυτελῆ δεῖπνα, καὶ εἰς τὰ ὀρύγματα οἶνον καὶ μελίκρατον ἐγχέουσιν· ubi vid. interpp. – *busta piare*, ultimam busto pietatem praestare, vid. III, 10, 19. Rogum et cineres vino conspergere solebant. Homer. Iliad. Ψ, 250; Ω, 792; Kirchman. F. R. III, 7; Servius ad Virg. Aen. VI, 226. – 35. *Lygdamus*, Propertii servus, et quidem verna, servus domi natus, vid. IV, 8, 37. Cynthiae servus eiusdem nominis memoratur supra III, 6: hunc igitur Lygdamum, et Nomada ancillam suam,

(Sensi ego, quum insidiis pallida vina bibi)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quae modo per viles inspecta est publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade signat humum.
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.

Propertii tunc temporis, ut videtur, amicam, Cynthia h. l. veneficii incusat, proptereaque torqueri ac puniri iubet. – *candescat vernae*, ad vernam cruciandum. – *lamina*, laminae candentes sive ardentes, quaestionum et cruciatus instrumenta. Charit. Aphr. I, 5, de Chaerea tormentis in ancillas animadvertente: *ἔτι δὲ καιομένων καὶ τεμνομένων αὐτῶν ἔμαθε τὴν ἀλήθειαν*· ubi vid. Dorvill. et ad III, 4, p. 50; add. Cic. Verr. V, 63; Lucret. III, 1030. – *pallida vina*, ab effectu explicandum, vinum, cui venenum mixtum, quod pallidos reddit, ut *venena* dicuntur *nigra*, *pallentia* II, 27, 10; Ovid. Art. Am. II, 105. – *insidiis*, pro insidiose.

37-40. Aut Nomas, facinoris socia, fatebitur usta. – *tollat*, amoveat, subintellige *si*. — *salivas arcanas*, id est magicas, saliva quam herbae magicae movebant. *Arcanus*, voc. de rebus magicis proprium, ut Horat. Epod. V, 52 al. De ritu magico mali ominis vel infortunii avertendi causa in sinum despuendi vid. interpp. ad Tibull. I, 2, 54; Theocrit. Id. VI, 127. Eo igitur h. l. verba *arcanas tollat salivas* referenda sunt. – *dicet testa*, indicabit, eam fateri coget. – *ignea testa*, quae antea *lamina* vs. 35. – *damnatas*, scelestas manus, quae venenum miscuerunt. – 39. *per viles noctes*, pro noctibus vilibus, parvo pretio emtis; opponitur *nox pretiosa* III, 13, 1. – *publica*, omnibus communis, famosa, prostibulum, vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, p. 438. – *inspecta est*, verbum de meretriculis, quae venales prostabant, solemne. – 40. *cyclas*, vestis feminea tenuissima, et fluens, ita dicta, ut suspicatur Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. c. 41, quod limbum, *κύκλον*, auro intextum in circuitu haberet ad oram extremam adsutum, eamque innui etiam a Virg. Aen. I, 649, ubi vid. Serv. et Heyne; add. Torrent. ad Sueton. Calig. c. 52. – *aurata*, auro intertexta. – *signat humum*, similiter Ovid. Met. XI, 166: *Verrit humum Tyrio saturata murice palla*.

41-46. Si qua ancillarum coram hac nova domina meam formositatem laudare ausa est, illa luit poenas. Nempe instigabant feminae huius Propertium amantis zelotypiam laudes, quibus defunctam heram ancillae ornabant; conf. eleg. 11, 89. – *graviora rependit pensa*, supra III, 15, 15: *pensis oneravit iniquis*. – *pensa* quod appendebantur ab hera, et rependebantur ab ancillis colo deducta et perfecta. – *quasillum*, vas vimineum, in quo ancillae lanam facientes pensa diurna reponebant, vid. Vulp. ad Tibull. IV, 10, 3; interpp. ad Cic. Phil. III, 4. – *facie*, pulchritudine. – 43. *Petale*, vetula Cynthiae ancilla. – *tulit ad monumenta coronas*, meum sepulcrum corollis ornavit. De more

Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula sentit anus.
Caeditur et Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum,
Te patiente meae conflavit imaginis aurum,
Ardenti nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Iuro ego fatorum nulli revocabile carmen,

floribus sertisque sepulcra ornandi vid. III, 16, 23; Moll. ad Long. Pastor. p. 33; Cerda ad Virg. Aen. V, 79; VI, 885; Noris. ad Cenotaph. Pis. III, 6; Broukhus. ad Tibull. II, 4, 8. – *codex*, ligneus stipes, qui alligabatur servorum qui deliquerant pedibus, quem trahebant (unde h. l. *immundi*) cuique vincti insidebant, vid. interpp. ad Plant. Poen. V, 3, 34; Iuvenal. II, 57; Turnebus Advers. XXIII, 21. – 45. *caeditur tortis s. capillis*, verberatur e crinibus suspensa. Rectius Burmannus intelligit flagella ex capillis, tanquam in funem contortis facta, quibus dominae in ancillas, praesertim ornatrices, saeviebant; vid. Vossius ad Catull. p. 224 seq.

47-48. Pretiosissima quaevis rogo iniici et una cum cadavere cremari solebant, vid. ad vs. 9. Iam h. l. conqueritur Cynthia, Nomada ex ardenti rogo mundum muliebrem, una cum cadavere cremandum, abstulisse, eumque in ornatum pellicis paulatim concessurum dolet. Sed quo gravius pungeret et exagitaret Propertium, imaginem tantum suam auream, a Propertio retinendam, a Nomade vero ex rogo ablatam et, patiente Propertio, conflatam commemorat, eamque satis mordaciter novae amicae *dotem* nominat. – *imaginis aurum*, auream mei imaginem. Intelligitur vel annulus aureus imagine Cynthiae insignitus, vel imago Cynthiae circulo aureo comprehensa. – *conflavit*, flando liquefecit, ut in aliam formam mutaret.

49-54. Cynthia, quae, quum viveret, acris, ac vehemens fuerat, quam propterea etiam hactenus Propertius, mores illius expressurus, asperam et ferocientem induxerat, iam resipiscit, atque animo ex affectuum tempestate recepto, tenerrimum amorem prodit, et molles tantum querelas effundit. – *non tamen insector*, te non insectabor, persequar, non furiali habitu te exterrebo, vultu truci ante torum tuum stabo et truculentis vocibus te agitabo; conf. vs. 89 seq.; Horat. Epod. V, 93 sq., ibique Mitscherlich.; Ovid. Ibid. 146. Tibull. II, 6, 37: *ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes*; conf. Drakenb. ad Sil. Ital. II, 704. – 50. *regna*, improprie, carmina tua me measque virtutes et laudes unice cecinerunt, versibus tuis me insignem fecisti; vid. III, 2, 16 seq. et de hoc huius voc. usu Burm. ad Lotich. II, 4, 70; Graevius ad Cic. ad Div. IX, 18. – 51. Per Parcas sive fatorum carmen iurat. – *Fata*, pro Parcis, vid. Barth. ad Stat. Silv. V, 259;

Tergeminusque canis sic mihi molle sonet;
Me servasse fidem: si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Vna Clytaemnestrae stuprum vehit, unaque Cressae
Portat mentitae lignea monstra bovis.

Theb. VIII, 26. – *carmen*, non *stamen*, sed *carmen*, vid. Obss., exquisite, quum de Propertii carminibus antea fuerit sermo. Canere aeque Parcarum est ac nere, et nentes hominum fata canere dicuntur; vid. Tibull. I, 7, 1; IV, 5, 3; Catull. LXIV, 307; Horat. Carm. Sec. 25 seqq. – *nulli revocabile*, quod revocari, irritum reddi non potest. – *sic*, optantis et iurantis. – *molle sonet*, vid. ad eleg. 5, 4. – 53. *Me servasse fidem*, me semper te amasse. – *vipera*, noxia Virg. Georg., III, 416; atra, venenata Horat. Carm. III, 4, 17, foeda. Non flores meum sepulcrum tegant, sed spinae et viperae, sit inamoenum et horridum, vid. ad eleg. 5, 1. Lucem quoque verba nostra accipere videntur e loco Ovid. Met. XV, 398: *Sunt qui, quum clauso putrefacta est spina sepulcro, Mutari credant humanas angue medullas.*

55 56. Afferenda erant nonnulla de fatis ac sorte Cynthiae post mortem, et loco commorationis illius. Iam artem poëtae facile agnoscis, si ornatam orationem in vulgarem transferas. Non te insector, tibi ignosco, nam in campis Elysiis versor, ubi Manes piorum me solantur, ubi dulcis praeteriti doloris recordatio. Haec luxuriantius poëta persecutus est. – *Nam*, ut γάρ, transeundi particula. – *sedes gemina*, innuitur, ut contextus docet, gemina, sive diversa sedes, quae in cymba Charontis turbae vectorum assignatur. – *sortita*, passive, assignata, data. – *turpem per amnem*, Acherontem seu Cocytum seu Stygа, vid. Heyne Exc. IX ad Virg. Aen. VI, ubi inter alia quoque monet, poëtas, quum de Charontis transvectione agant, non facile de triplici amni terras inferas ambiente cogitare, sed unum tantum fluvium nominare. – *turpem*, squalidum, ut Tibull. I, 10, 36. Sil. Ital. XIII, 571: *Tristior his Acheron sanie nigroque veneno Aestuat.* Virg. Aen. VI, 132: *Cocytusque sinu labens circumvenit atro.* – 56. *remigat*, nam ipsae animae sedebant ad remos, Charon clavum regebat, et velis ministrabat, vid. ad II, 27, 11. – *diversa aqua*, id est, qua in diversa loca itur. Huc omnino referenda illa Catonis apud Sallust. Cat. c. 52, memorantis Caesarem *falsa existimasse ea, quae de inferis memorantur, diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere.* Virg. Aen. VI, 540: *Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas;* dextra ad Elysium, sinistra ad Tartarum ducens; add. Tibull. I, 3, 60 seqq.

57-62. *Vna*, una eademque navis. – *Clytaemnestrae stuprum*, pro Clytaemnestra stuprata, vid. ad III, 19, 19. – *Cressae* etc. significatur Pasiphaë, vid. II, 28, 52; 32, 57; III,

Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
  Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybebes,
  Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque, et Hypermnestre sine fraude maritae,
  Narrant historias corpora nota suas.
Haec sua maternis queritur livere catenis
  Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores:
  In scelus hoc animum non valuisse suum.

19, 11. – *coronato*, in re laeta vel festo die, et in re sacra naves coronari solebant, vid. III, 24, 15; Heyne ad Virg. Aen. IV, 417. – *phaselo*, vid. III, 21, 20, vocatur ita h. l. Charontis cymba, animas pias, *alteram turbam*, in campos Elysios vehens. – 60. Compara Tibull. I, 3, 59 seqq.; Val. Flac. I, 843. – *mulcet*, leviter agitat, huc et illuc rosas movet. Sic *mulcere* passim legitur, ut Ovid. Fast. I, 61: *ventus mulcet summas aristas;* add. Catull. LXII, 41; Valcken. ad Eurip. Hippol. 78. – *beata*, epith. de sedibus Elysiis et rebus eo spectantibus solemne, h. l. benigna, dulcis. – 61. *numerosa fides*, seu cithara monente Burmanno dicitur, quia ad varios numeros et modos percutitur; quo eodem sensu *res numerosae* dicuntur, quae variis partibus constant, vid. Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, p. 264. – Campis in Elysiis *choreae cantusque vigent* (Tibull. I, 3, 59) cymbala *aera rotunda* et *plectra* ibi sonant. Iam quoniam cymbala in sacris Cybebes in usu erant, hinc h. l. *aera rotunda Cybebes* dicuntur, et quoniam sacra Bacchi et Cybebes communia multa habebant, adeoque a poëtis frequenter Bacchus et Cybebe iunguntur, vid. III, 17, 35: hinc h. l. chori tripudiantium *mitrati chori* vocantur, Bacchus enim et chori Lydorum, Phrygum et Bacchantium mitrati erant, vid. III, 17, 30. – *mitratis choris*, est casus tertius. Caeterum de campis Elysiis vid. Pindar. Olymp. II, 128 seqq. Heyne ad Virg. Aen. VI, 637.

63-70. *Andromede*, vid. ad I, 3, 4. – *Hypermnestre*, conf. II, 1, 67. – *sine fraude maritae*, viris suis fideles. – 64. Vulgarem lectionem *Narrant historiae pectora nota suae* Passeratius per hypallagen explicat, historiam notam pectoribus suis, id est sibi. Equidem reposui: *N. historias corpora* (e Cod. Scalig.) *n. suas. Corpora nota*, id est feminae illustres. Sic Graeci vocabulum σῶμα de homine usurpare solent. Eurip. Heracl. 91: οὐ γὰρ σῶμ' ἀκήρυκτον τόδε, *ille vir non est incelebris*. Alia exempla vid. apud Vigerum III, 11, §. 1; conf. Obss. – 65. *haec*, refertur ad remotius, Andromede, vid. ad III, 14, 18. – *maternis catenis*, quas mater Cassiope meruerat, vid. III, 22, 29. – *nec - manus*, quae non meruerant, ut frigidae rupi adstringerentur. – 68. Animum suum ei sceleri imparem fuisse, animum suum non adeo

Sic ortis lacrymis vitae sanamus amara.
  Celo ego perfidiae crimina multa tuae.
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
  Si te non totum Doridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
  Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usu,
  Ne speculum dominae porrigat illa novae.
Et quoscunque meo fecisti nomine versus,
  Vre mihi: laudes desine habere meas.

crudelem fuisse et durum, ut exemplum sororum sequeretur atque maritum interficeret. – 69. Passeratius explicat: sic medemur vulneribus amoris, quae in vita accepimus; et pro medicina eius mali sunt lacrymae. – *Mortis lacrymis*, id est quae a mortuis seu Manibus funduntur, ut *mors* pro mortuo II, 13, 22. – *Sic*, mutuis narrationibus, vicissim fata nostra narrantes. *ortis lacrymis*, quum lacrymas nobis elicit recordatio eorum, quae in vita nobis amara evenerunt, vid. II, 28, 27: *Narrabis Semelae, quo sis formosa periclo: Credet et illa suo docta puella malo*; add. Virg. Aen. VI, 679 sqq. – *sanamus*, sanare studemus; *sanamus amara*, ut *sanare curas* I, 10, 17; conf. Obss. – *celo*, mea fata exponens reticeo multa tuae perfidiae crimina.

71 80. *si forte moveris*, si qua tangeris cura mei. – *Doridos herba*, veneficia ac philtra Doridos ancillae, sagae, quam consuluit Nomas v. 37. *Doris*, nomen ancillulis et meretriculis datum, vid. Iuvenal. Sat. III, 94. – *tenet*, ita, ut in gratiam Nomadis, quae ancillas meas, pias in memoriam prioris dominae, crudeliter tractat vs. 41 seqq. omnem humanitatem exueris. *tenere* eodem sensu h. l. legitur, quo supra el. 5, 38. – *patuit*, obsequens fuit, accessus ad me per illam tibi facilis fuit. – *nec avara*, nec te emunxit. – 75. *Latris*, Λάτρις, ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, unde addit, *cui nomen ab usu*, vid. Valcken. Animadvv. ad Ammon. II, c. 4, p. 99. – *speculum porrigat*, matronis romanis, dum comebantur, ancillae speculum sustinebant, vid. Martial. II, 66; XI, 50: specula erant ex aere, stanno, argentoque polito, nonnunquam et auro, vid. interpp. Plin. XXXIII, 9; Stat. Silv. III, 4, 94. – 77. Sermo est h. l. de inferiis, quibus *pacem dabant exposcentibus umbris*, Sil. It. XVI, 293, quae nono post sepulturam die instituebantur, vid. Virg. Georg. IV, 544; Gutherius de Iure Manium I, 15; Turnebus Advers. XXIV, 23. Festus: Inferiae, sacrificia quae diis Manibus inferebant. Constabant aqua, lacte, melle, sanguine, etiam vino, vid. Kirchman. F. R. IV, 2; interpp. ad Horat. Carm. II, 20, 23; Anacr. IV, 11; Catull. CI, 1 seqq. Sensus ergo est: omnes de me scriptos versus, encomia versibus tuis mihi sacrata, tanquam feralia munera in ipsis meis inferiis in honorem meum, mihi, ad sepulcrum combure. – *laudes habere*, carmina,

Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
  Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
  Et nunquam Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen media dignum me scribe columna,
  Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
» Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra:
  » Accessit ripae laus, Aniene, tuae. »
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
  Quum pia venerunt somnia, pondus habent.

quibus meas laudes celebrasti, retinere: vel, carminibus me celebrare. – 79. *pugnante*, contra oppugnante, enitente corymbo et ramis enitentibus. Plin. H. N. XVI, 34: *hedera inimica arbori, satisque omnibus: sepulcraque ac muros rumpit.* Hedera ergo sepulcrum suum obumbrari vetat Cynthia, sicut et vepribus atque virgultis sepulcra sua obtegi deprecabantur veteres, vid. Turneb. Advers. XXIII, 6; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, p. 133 sq. – *alligat*, comis suis contortis ac serpentibus implicat, et mollia ossa laedit. – *comis*, vid. III, 16, 28.

81-88. *Anio*, vid. ad I, 20, 8: III, 22, 23. – *spumifer*, Ovid. Am. III, 6, 45: *per cava saxa volutans*; vs. 51: *Hanc amnis rapidis animosus vidit ab undis.* – *pomosis qua*, ubi *inc. arvis* significantur Tiburtinae regionis pomaria olim nobilissima, vid. Columella X, 407; Bentlei. ad Horatium Carm. I, 7, 14; Drakenb. ad Sil. It. IV, 225. – *incubat*, ornate pro fluit. – *nunquam pallet ebur*, Tibure enim beneficio aeris et erumpentis aurae e calidis atque sulphureis albulis, ipsoque Aniene (qui per Tiburtinum agrum fluit, et cuius *undas sulphureas* dicit Sil. Ital. XII, 539) ebur semper candidum manere, nunquam pallescere, veteres tradunt, vid. Martial. IV, 62; Drakenb. ad Sil. Ital. XII, 229. Hoc vero ipsum *Tiburtino monte quod albet ebur* (Martial. VIII, 28) poëtice noster *Herculi Tiburtino* (vid. Gruter. Inscr. p. 49, num. 6, p. 1013, et not. ad II, 32, 5) tribuit. – 84. *currens vector ab urbe*, Roma veniens, cursim ac properanter praeternavigans, vid. Horat. Carm. I, 28, 36. – *aurea*, optima, dulcis, Tibull. I, 6, 58, 63, ubi vid. Heyne. – 87. *Nec tu sperne*, ne tibi, neglecta, mala somnia mittam. – *piis-portis*, intelligit Somni portam corneam, qua *pia somnia* veniunt. Nempe duplices Somni portas, quibus somnia prodirent, statuebant veteres. E porta eburnea non ipsae umbrae, sed earum phantasmata seu larvae, impia somnia, procedebant. Contra e porta cornea verae umbrae exibant. Auctor epigr. in *αἴτια* Callimachi Anal. Brunckii tom. III, p. 270: *ἆ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ, ἦ ῥ' ἐτεὸν κεράων, οὐδ' ἐλέφαντος ἔης.* vid. Rittershus. ad Oppian. Cyneg. III, 46; Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, p. 365; interpp. ad Claudian. Praef. in VI Cons. Hon. vs. 22; Horat. Carm. III, 27, 40; Barth. ad Stat. Silv. V, 3, 288; Heyne ad Virg. Aen. VI, 894; et Exc. XV. – *pondus habent*, non sunt spernenda.

Nocte vagae ferimur. Nox clausas liberat umbras,
Errat et abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethaea ad stagna reverti.
Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliae: mox sola tenebo.
Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram.
Haec postquam querula mecum sub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

89–96. Elegantissimi versus: Cynthiae umbra iam discessura addit: *Nocte vagae ferimur*, umbras, manes mortuorum nocte errare credebant, vid. Meurs. ad Lycophr. vs. 1225, pag. 96. – *sera*, nempe catenae, vid. el. 11, 26, pro catena ipsa. — 91. Compara Virgil. Aen. V, 738 seqq. Vmbras sub ortum diei ad inferos redire fas est. Horat. Serm. II, 5, 110: *Sed me Imperiosa trahit Proserpina: vive valeque.* Conf. interpp. ad Senec. Herc. Fur. 123. – *leges* infernae. – *Lethaea ad stagna*, docte pro ad inferos. – *vehimur*, traiicimur. – *nauta recenset*, Charon recenset umbrarum numerum, ne qua forte desit. — 93. Licet nunc aliae te possideant, brevi, post fata, sola te fruar. Vid. de hoc verbi *tenere* usu Broukhus. ad Tibull. I, 6, 3. – *Mecum eris*, laudat Burm. epigr. editum Anthol. Lat. tom. II, pag. 262: *Semper ero tecum, et, me si sopor occupet, umbram Te umbra petam: ergo unquam ne metue abs te abeam.* – *et - teram*, ad summi amoris affectum de ossium et cinerum mixtura haec referenda esse, observarunt Broukhus. et Burm.; laudant Lucian. Amor. tom. II, pag. 449: ὀστέοις δὲ ἀναμίξαντας ὀστέα, μηδὲ τὴν κωφὴν κόνιν ἀπ' ἀλλήλων διακρῖναι. Val. Flacc. V, 60: *Quod tamen externis unum solamen in oris Restat, ait, caras humus haec non dividet umbras, Ossaque nec tumulo, nec separe conteget urna.* Mallem tamen equidem *ossa* de imagine, umbra ossea (vid. eleg. 5, 4) intelligere, ut sensus sit: mea umbra tuam amplexabitur, tuae adhaerebit. – 95. *mecum peregit*, mecum locuta erat. — *querula sub lite*, querens et litigans mecum. Martial. XI, 36, 3: *quare quereris litigasque?* – 96. Fundus Homer. Odyss. Ψ, 99 seqq. – *Inter complexus*, quum eam complecti vellem. Senec. Troad. 460: *Fallax per ipsos umbra complexus abis.* Ovid. Fast. V, 475 sqq.: *Mandantem amplecti cupiunt, et brachia tendunt, Lubrica prensantes effugit umbra manus.*

## ELEGIA VIII

### DE CYNTHIA

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
 Quum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,

Elegia VIII

Vna cum nepote quodam (vs. 22) Cynthia Lanuvium, ad concelebrandum Iunonis Sospitae festum, profecta erat, et quidem sic, ut in itinere ipsa satis petulanter aurigae munus obiret. His aliisque iniuriis Cynthiae motus, voluit Propertius aliquando castra mutare, et advocatis duobus scortillis, genio atque amori indulgere. Sed subito intervenit Cynthia, et quam male consilium illud ipsi, duabus meretriculis, et Lygdamo servo, qui lenonis partes egerat, cesserit, hac ioculari elegia copiosius poëta exposuit.

1-2. *Esquiliae*, pro ipsis incolis. In hac regione habitabat Propertius, vid. III, 23, 24. – *aquosas*, ubi aquarum copia, udas, ut *campus aquosus* Liv. IX, 2; Plin. XVIII, 17. *gelidas* dixit Iuvenal. V, 76. – *fugarit*, ad cursum inciterit, id est agitarit, turbarit, *alarmiren*. Verba φεύγειν et fugere haud raro ponuntur, pro celerrime currere. Liv. XXIX, 28: *eo maior tum fuga pavorque in urbe fuit*, id est trepidatio tota urbe cum pavore discurrentium; hinc *fugo*, celeriter currere facio. Ovid. Fast. IV, 752. – *novis agris* intelliguntur Esquiliae, illo tempore a Maecenate ad culturam et habitationem redactae, sublato ibi communi pauperum sepulcro. Horat. Serm. I, 8, 14 seqq.: *Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque Aggere in aprico spatiari; qua modo tristes Albis informem spectabant ossibus agrum*. Vid. interpp. ad h. l. et ad Epod. V, 100. — *Quum vicina turba cucurrit*, quum vicini de nocte exciti festinanter ad meas aedes procurrerent; restincturi nimirum, ut putabant, incendium, quia aquas inclamarat Teia, coll. vs. 58.

3–8. *Lanuvium* fuit Latii oppidum et municipium, fere inter Ariciam et Velitras, celebre Iunonis Sospitae cultu, vid. ad vs. 16; Cluver. pag. 935 seq.; Heins. ad Ovid. Fast. VI, 60. – *tutela Draconis*, in tutela draconis est, Lanuvinos draco tuetur. Rem omnem exposuit Aelian. H. V. XI, 16, ubi vid. interpp.; add. Murator. Thes. Inscript. tom. I, pag. 106, 4; Vaillant. Num. tom. II, tab. 96, n. 4, pag. 199; Vrsin. Fam. Rom. n. 3, pag. 176; Morell. Thes. Fam. Rom. tom. I, pag. 364. Genios autem locorum, urbium, antrorum, hominum etiam, omnis antiquitas per serpentes exhibuit, vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Del. 91; Heyne ad Virgil. Aen. V, 84. Caeterum docente Cicerone de Divin. I, 36, Lanuvii fuit

Hic, ubi tam rarae non perit hora morae;
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
Qua penetral (virgo, tale iter omne cave.)
Ieiuni serpentis honos, quum pabula poscit
Annua, et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae:
Quum tenera anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum;
Clamantque agricolae, Fertilis annus erit.
Huc mea detonsis advecta est Cynthia mannis:

maxima vis anguium, unde fabula de dracone Lanúvino orta. - *mord* explicant desidium, requies (sic Markland. ad Stat. Silv. pag. 222), vel tempus (ut Burm.); sed *mora* est hoc loco commoratio, ut *segnis mora* apud Liv. XXXIV, 9; XXXVII, 26. Ovid. Pont. IV, 10, 12 dicitur *rara mora*, quoniam raro spectaculum illud exhibebatur, annuum tantum erat, coll. vs. 8. - *non perit hora*, avide spectaculum, non nisi semel quotannis obvium, spectatores arripiunt. — 5. *Qua*, ubi, *abripitur descensus*, via qua descenditur. - *caeco*, obscuro, ut I, 19, 8: *τυφλῷ χάσματι*. - *penetral*, latibulum, adytum. *φωλεὸς μέγας καὶ βαθὺς, κοίτη δράκοντος*, Aelian. l. c. quo per descensum penetratur ad draconem. - *tale iter omne cave*, ut apud Cic. pro Ligar. 1: *qui omne tale negotium cuperet effugere*. Subintell. h. l. nisi castam te esse certo sciveris. Virgines, ut refert Aelianus, quotannis certis diebus in speluncam, oculos fasciis devinctae, et mazam manibus gestantes, demittebantur; si virgines castae erant, cibos, tanquam puros et deo convenientes, draco admittebat; sin minus, non attingebat. — 7. *ieiuni serpentis honos*, pabula praebentur draconi esurienti, *honos* de sacrificio, saepius. - *ex ima humo*, ex ima spelunca. - *torquet sibila*, ornate pro sibilat, ita et Val. Fl. qui VIII, 60 seqq. hunc locum nostrum imitatus est, formula *anguis torsit sibila* usus est VII, 525.

9–14. *Ad talia sacra* adeo periculosa. - *pallent*, exalbescunt metu. - *anguino ore*, id est draconi, sed *ore* positum est pro ori, ut *limine* pro limini I, 18, 12. - *sanguine*, pro sanguini III, 11, 40. — *corripit*, eleganter pingit esurientem serpentem avide escas captantem; vid. Virgil. Aen. VI, 422. — *ipsa canistra tremunt*, graphice, tremunt ob manus tremulas. — 13. *redeunt in colla p.*, exquisite, in amplexus parentum, ad parentes redeunt salvae et incolumes. - *clamant*, laetitia exsultant, nam si draco cibum admittit, hoc pro signo fertilitatis habetur. *clamare* prae laetitia, sic quoque *ὀλολύζειν* usurpatur, vid. Casaub. ad Athen. VII, 10.

15–20. *Huc*, nempe Lanuvium, ad

Causa fuit Iuno, sed mage causa Venus.
Appia dic quaeso, quantum te teste triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis.
Turpis in arcana sonuit quum rixa taberna,
Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
Ausa per impuros frena movere locos.

haec sacra spectanda. – *detonsis mannis*, quibus ademtae forcipe erant iubae. – *Manni*, equi Gallici, paullo brevioris staturae, unde et *mannuli* dicti (Plin. ep. IV, 2; Martial. XII, 24, 8): praecipua eorum virtus in velocitate, unde beatioribus Romanis in deliciis habiti, vid. Horat. Epod. IV, 14, ibique Mitscherlich. Gell. XIX, 13; Ovid. Am. II, 16, 49; Petron. 45. – *causa*, praetextus *fuit Iuno*, ut apud Ovid. Am. I, 8, 74: *Et modo quae causas praebeat, Isis erit.* Vid. Broukhus. ad Tibull. I, 7, 26. *Iuno*, Sospita, antiquis *Sispita* dicta, quae Lanuvii sancte colebatur, vid. Festus: ei quovis anno Consules Romani sacrificabant in hoc municipio, vid. schol. Cic. ad Orat. Milonianam pag. 782 ed. Graev. Liv. VIII, 14; Cic. pro Murena cap. 41; Sigonius ad Liv. VIII, 13, 2; Spanhem. de Vsu et P. Num. tom. II, pag. 200. Ex hoc autem Propertii loco satis perspicue patet, spectaculum draconis Lanuvini incidisse in festum Iunonis Sospitae, et ipsa draconis spelunca in luco Iunonis erat, vid. Aelian loco citato. – *sed mage causa*, sed vera causa erat Veneris capienda voluptas. – 17. Lepida apostrophe ad viam Appiam, qua Lanuvium tendebatur; ioculariter se in re parva extollit poëta. De *via Appia* vid. ad II, 32, 6. — *triumphum* intellige de omnibus Cynthiam videntibus, adeo ut et rixa oriretur de eius pulchritudine et amore. Barth. Coll. vs. 19. — *effusis rotis*, cum dilectu, pro, quum currum ageret per viam saxo et silice stratam. – 19. *rixa*, de Cynthiae pulchritudine et amore hominum dissolutorum in taberna congregatorum (unde *turpis rixa*), de quibus Cynthia praetervehens triumphum egerat. – *arcana*, obscura nec satis honesta. – *si sine me*, pro etsi, et subintelligitur *tamen*. – *famae non sine l. m.*, nam Cynthiae dedecus etiam in Propertium redundabat, nec satis honorifice illi inter se rixantes eum nominarant.

21-26. Pictura vivida et animata, Cynthiae petulantiam et lasciviam accuratius describens. Vt scilicet omnibus se conspiciendam praeberet, ipsa aurigae scamno equis proximo insidebat, prona more agitatorum propendebat, et verberibus mannos ad cursum incitabat. – *spectaculum*, spectanda ab omnibus. — *primo temone*, id est prima sella, vid. Phaedr. III, 6, 5. – *per impuros locos*, a via Appia deflectere ausa est per loca sordidiora, quo ostentaret, ut videtur, suam aurigandi artem et peritiam. – *movere*, id est dirigere. — 23. Sensum loci et cohaerentiam praeclare constituit Broukhusius: taceo nunc glabrum illum nepotem, cuius carpento sericis velis obducto vehebatur; taceo canes illos, quorum colla per insignem nequitiam suis ipsa Cyn-

Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes.
Qui dabit immundae venalia fata saginae,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Quum fieret nostro toties iniuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinae quaedam est vicina Dianae,
Sobria grata parum; quum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teia lucos,

thia armillis redimiverat. Haec, inquam, et talia quum fierent quotidie fere, visum et mihi fuit, tandem castra movere, atque in duobus lepidis mercimoniis animum oblectare. — *Serica*, vid. I, 14, 22. — *nam taceo*, vid. de hac paralepsi aculeata Voss. Instit. Orat. V, 6, 6; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 558; add. Cic. pro lege Manil. cap. 20, pro Cluent. cap. 36, 66. — *nepotis* luxuriosi; homines molles, dissoluti et luxuriosi dicebantur nepotes. Res nota. Vid. Cicero ad Attic. VI, 2; Casaub. ad Pers. VI, 71; Dorvill. ad Charit. VII, 1. — *volsi*, quia huius generis homines, ut glabri essent, pilos sibi evelli curabant. Plaut. Aul. II, 9, 5; Suet. in Galba cap. 21; Quinctil. II, 5, 12: unde *mens vulsa* de homine effeminato et molli Martial. III, 36, 6. — 24. *Molossi canes*, ex Epiro, acerrimi, venationi et gregum curae adhiberi soliti, vid. Horat. Epod. VI, 5; Virg. Georg. III, 405; Lucr. V, 1062; Martial. XII, 1, 1; Sil. It. II, 689; eos dono dedisse videtur Cynthiae ille nepos. — 25. Satis mordaciter et acerbe dicit nepotem illum, dilapidato patrimonio, lanistae sese traditurum, ob victum quaeritandum, ut saltem largiorem victum, cui adsuevisset, retineret. Gladiatores enim epulis largioribus alebantur, ad corporis vires augendas Tacit. Hist. II, 88: *Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, tanquam gladiatoriam saginam, dividebat.* Vid. Manil. IV, 225; Turneb. Advers. VIII, 2. — *fata*, se et vitam suam vendet. — *immundae saginae*, intelligitur cibus e variis ferculis mixtus, vid. Ruperti ad Iuvenal. Sat. XI, 20. — 26. *erasas*, pro evulsas vs. 23. — *vincet*, etc., id est ubi pili non amplius evelli poterunt, sed barba *pudenda*, cuius illum pudebit, succrescet. Homines molles et delicatuli, quo iuniores apparerent, pilos evellebant. Tibull. I, 8, 31 seqq.: *Carior est auro iuvenis, cui laevia fulgent Ora, nec amplexus aspera barba terit.*

27–36. Narrata occasione, iam ad ipsam rem gestam transit, ac primo quidem describit amicas, quas, absente Cynthia, advocaverat. — *vicina Aventinae Dianae*, quae iuxta templum Dianae in monte Aventino, vid. interpp. ad Horat. Carm. Sec. 69, habitat. — *omne decet*, decora et gratiosa omnia quae agit. *Omne* substantivi vim habet, ut apud Plaut. Curcul. II, 2, 7; Cic. pro Rosc. 13; Verr. III, 10, cap. 77; Ovid. Met. XI, 287. *cuncta decent* dixit Ovidius Met. X, 266. — *inter Tarpeios lucos*

Candida; sed potae non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta novare mea.
Vnus erat tribus in secreta lectulus umbra.
Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique aestiva supellex,
Et Methymnaei Graia saliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.

inter Capitolium et Campum, in mediis lucis, vid. Cic. ad Attic. IV, 3. – *candida*, pulchra, vid. Broukhus. IV, 4, 19; III, 6, 1. – *sed potae*, quum bibit lasciva est, nec uno contenta. – 33. *noctem lenire* amaram, vid. II, 17, 3, a Cynthia desertus. – *Venere ignota*, puella (III, 17, 3) nondum experta, instaurare, renovare volebam *furta*, amores. – 35. *in secreta umbra*, describitur compotatio in umbraculo, vid. Heyne ad Virgil. Cop. 8, et conf. Obss. Vocabulum *concubitus* de ordine iacendi in lecto convivali capiendum. Vid. el. 1, 4.

37–40. Iam praeclare convivium ipsum poëta repraesentat, atque ad horum versuum illustrationem facit quoque monumentum vetus apud Montefalconium Antiqq. tom. III, lib. 3, cap. 1, pag. 66. – *Lygdamus*, vid. ad el. 7, 35. – *ad cyathos*, a poculis, pocillator fuit, οἰνοχόος, ut apud Iuvenal. Sat. XIII, 42; Horat. Carm. I, 29, 8, ubi vid. Iani. Auson. Idyl. XII, 86. – *vitrique aestiva supellex* significantur scyphi capaciores, quibus aestiva sitis restinguitur. Auctor Copae vs. 29 hunc locum imitatus: *aestivo recubans te prolue vitro.* – 38. *Methymnaei meri*. Virg. Georg. II, 90: *Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos*. Methymna urbs Lesbi insulae, Cellar. Geogr. tom. II, pag. 15, unde Methymnaeum vinum, idem quod *Lesbium* I, 14, 2. – *saliva*, de gustu et sapore explicant Salmas. ad Solin. tom. II, pag. 1282; Casaub. ad Pers. Sat. VI, pag. 483; interpp. ad Petron. cap. 48. Burm. h. l. de spuma vini salientis alba cogitat. – *Nilotes*, Aegyptius, *tibicen erat*, pueros enim Aegyptios ad mensam adhibebant, qui tibiis canerent, dicteriis ac iocis procacibus convivas delectarent, vid. interpp. ad Iuvenal. Sat. XV, 49; ad Petron. cap. 31; Herald. ad Arnob. IV, pag. 164. – *crotalistria*, quae crotala manibus inter saltandum percutit. Crotala, crepitacula erant aenea, quae sonum non absimilem cymbali sono edebant; usus eorum in saltationibus solemnis, vid. interpp. ad Petron. cap. 67; Salmas. ad Vopisc. Carin. 19, tom. II, pag. 821; Heyne ad Virg. Cop. 4, et interp. ad Callim. hymn. in Dian. vs. 247. – 40. *munda rosa*, nempe erat, aderat, quae facit ad mundum, ornatum. – *facilis sine arte spargi*, quae facile, sine negotio, temere, sine ordine spargitur. Rosarum usus in conviviis et compotationibus satis notus, vid. III, 5, 22: h. l. de cubili rosis consito cogitandum, vid. Dorvill. ad Charit.

Nanus et ipse suos breviter concretus in artus,
  Iactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
  Recidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos,
  Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco.
  Lanuvii ad portas (heu mihi) solus eram:
Quum subito rauci sonuerunt cardine postes,
  Et levia ad primos murmura facta lares.

pag. 97. *facilis spargi*, ut *facilis cedere* I, 11, 12.

41–48. *Nanus.* Gellius XIX, 13: Νάνους *Graeci vocavere brevi atque humili corpore, paulum supra terram exstantes.* Add. Plin. XI, 49; Suet. vit. Augusti 83; Tiber. 61. Erant nani in deliciis mensarum, musica fere instrumenta edocti, unde et hoc loco pluribus interpretibus hic nanus tibicen fuisse videtur, qui breves digitos et manus operiendis atque aperiendis tibiae foraminibus frequenter moveret. Sed quum iam tibicinis mentio facta sit, quum *iactare manus*, scil. brachia, formula de saltantibus solemnis et propria sit: adstipulor Burmanno aliisque, hunc nanum risus movendi causa ad tibiam saltasse et gesticulatum esse, statuentibus. – *concretus*, coactus, contractus *in suos*, sibi proprios artus. — *truncas*, quasi mutilas ob brevitatem. – *cava buxa*, periphrasis tibiae, quae et simplic. *buxus* dicitur Ovid. Met. IV, 30; sed XII, 158 *tibia buxi*, id est buxo. — 43. Mala omina recenset. *neque constabat flamma*, id est languescebat, *dormitabat lucerna*, ut loquitur Ovid. Heroidd. XIX, 195. — *suppletis*, oleo suffuso. De omine a flamma lucernae vid. ad el. 3, 62. Ovid. Met. X, 5 seqq.: *nec felix attulit omen. Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo Usque fuit, nullosque invenit motibus ignes*, et interpp. ad Petron. cap. 22; ad Sueton. Tiber. cap. 19. – *mensa*, ex petulantia iam languescens, supina recidit in suos pedes. – 45. *Venerem*, intelligitur iactus talorum felicissimus, qui *Venus* dicebatur, sicut *canis* pessimus, vid. interpp. ad Horat. Carm. II, 7, 25; ad Sueton. Aug. 70; Casaub. ad Pers. III, 48; Ovid. Trist. II, 473; Gesner. Thesaur. sub v. *talus*; Markland. ad Stat. Silv. pag. 245; Ferrar. Elect. I, 16, pag. 58 seqq.; Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 718. — 47. Licet inter duas sederem meretriculas, blanditiis ac lenociniis variis me allicere studentes, tamen solus eram, desiderio absentis Cynthiae, animusque meus Lanuvii erat. Conf. Tibull. I, 6, 4.

49–56. Subito raucum sonitum ediderunt ianuae postes, a superveniente Cynthia cardine moto aperti. Ovid. Am. I, 6, 48: *Fallimur? an verso sonuerunt cardine postes, Raucaque concussae signa dedere fores.* – *postes*, pro valvis, vid. Gesner. ad Claud.

Nec mora, quum totas resupinat Cynthia valvas,
  Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
  Pallueruntque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, et, quantum femina, saevit.
  Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum coniicit ignes,
  Territa vicinas Teia clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
  Omnis et insana semita voce tonat.

Rapt. Proserp. III, 147. Esse autem hoc loco de vestibulo cogitandum, vel docent verba: *ad primos lares*, ad primam aedium partem, strepitus haud exiguus in prima aedium parte auditus. – 51 seqq. Ornati versus, adumbrati ex Theocrit. Id. XXIII, 14. – *totas resup. valvas*, furentem foeminam et cum impetu ingredientem significanter pingit. – *non operosa comis*, non operose comta, sed etiam furens, decora et venusta. – 53. Compara Hom. Odyss. X, 9–17; Ovid. Heroidd. XVI, 251. – *remissos*, nempe terrore et trepidatione. – *pallueruntque*, enallage temporum satis frequens. – *ipso soluta mero*, recte Barthius explicat: quum in eo ipso essem, ut biberem, et iam ad hoc labra solvissem, aperuissem. Sic Ovid. Met. VII, 190: *ternis ululatibus ora Solvit.* – 55. *fulminat oculis*, de ira nihil frequentius. Praeivit Homer. Odys. Δ, 662: ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην· add. Il. A, 104; O, 207. Ovid. Am, I, 8, 15: *oculis quoque pupula duplex Fulminat.* – *femina*, cum emphasi, ut Virg. Aen. V, 6; Ovid. Met. XIV, 384. – *Spectaculum* etc., hyperbole perquam usitata, vid. Virg. Aen. II, 746; Ovid. Trist. I, 3, 26; Met. XII, 225; Dorvill. ad Charit. I, 5, pag. 56.

57–60. Ad eventum festinat. — *ignes*, eleganter, quum praecesserit *fulminat*, et sequatur *clamat aquas*. Sed *ignes* (lucernae) *irati*, sunt, qui ab irata mittuntur, ut vers. seqq. *aquas vicinas*, quae a vicinis afferuntur. Val. Fl. I, 109: *humeris gaudentibus.* Ovid. Amor. II, 6, 5: *moestis capillis.* Vid. et not. ad III, 8. 7. – 58. *clamat aquas*, clamans, ut in incendio, publice poscit aquam; ut fieri solet in periculo subito, etiam sine incendio. *Clamare aquam*, καλεῖν ὕδωρ, vid. Salmas. ad Achill. Tat. pag. 657. Aristoph. Thesmoph. 248: ὕδωρ, ὕδωρ, ὦ γείτονες. – *Lumina elata*, nempe Phyllis et Teia, quas Cynthia persequebatur, elatis luminibus nocte domo se proripere conabantur, advolabant servi quoque et vicini cum luminibus, atque haec *lumina* extra aedes Propertii *elata*, somno *sopitos* excitabant, *turbabant Quirites.* – 60. *tonat*, verbum fortius pro sonat, ut eleg. 1, 134: *et vetat insano verba tonare foro.* Petron. cap. 78: *unus servus - tam valde intonuit, ut totam concitaret viciniam. Itaque vigiles - rati ardere Trimalchionis do-*

Illas direptisque comis, tunicisque solutis
  Excipit obscurae prima taberna viae.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
  Et mea perversa sauciat ora manu:
Imponitque notam collo, morsuque cruentat:
  Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque ubi iam nostris lassavit brachia plagis,
  Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Exuitur, geniumque meum prostratus adorat.
  Lygdame, nil potui; tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,

*mum, effregerunt ianuam subito, et cum aqua securibusque tumultuari suo iure ceperunt.*

61–70. *Excipit* fugientes per noctem taberna, quae prima oblata est, in via obscura. – *exuviis*, comis direptis, et discissarum vestium laciniis. – *perversa manu*, improba, saeva. Tibull. I, 10, 56: *dementes manus*. Prop. III, 15, 14: *immites fixit in ora manus*. Sed *sauciare ora manu* est idem quod aliis in locis *ungue petere*, *appetere genas*, *sauciare genas*, Ovid. A. A. II, 452; III, 567, 708. – 65. Conf. III, 8, 7, 21: *imponere notam collo*. Cic. pro Sext. 9: *plagam mortiferam reipublicae imponere*. Fin. IV, 24: *vulnus imponere*. Passerat. laudavit quoque illud Petronii: *placuit utrisque quingentas plagas imponi*. Quid vero h. l. sit *imponere n. c.* docent verba *morsuque*, impresso dente, *cruentat*. Tibull. I, 8, 38: *in collo figere dente notas*. – 66. *oculos ferit*, κόπτει τοὺς ὀφθαλμούς, Charit. III, 10, ubi vid. Dorvill. et pag. 561; Terent. Eun. IV, 3, 6: *unguibus in oculos involare*. Add. Martial. XI, 85, 15. – *qui meruere*, vid. II, 15, 12. – 67. Compara Terent. Adelph. II, 2, 3 seqq. — *pluteus*, tabula perpendiculariter ultra spondam eminens, quae in cubiculari lecto ad parietem spectat, in triclinari autem a mensa aversa est. De lectu cubiculari legitur Martial. III, 91, 10, et h. l. coll. vs. 88; de lecto triclinari sermo est, apud Sueton. Cal. cap. 26: *quosdam summis honoribus functos - coenanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo, passus est*. Vid. interpretes ad locos citatos; Gesner. Thes. L. L. s. h. v. – *fulcra plutei*, quae pluteum sustinent. – 69. *exuitur*, tunica ei detrahitur a Cynthia, caeditur. – *geniumque m. adorat*, per genium meum orat, auxilium meum implorat. Per genium, hominis cuiusque custodem ac comitem perpetuum, vid. Censorinus de die natali cap. 3, veteres rogare, orare solebant. Tibull. IV, 5, 8; Horat. Ep. I, 7, 93 sqq.; Terent. Andr. I, 5, 54: et servi etiam per domini genium jurabant, vid. Senec. ep. 12.

71–80. *Ad foedera*, ad pacem restituendam. — *vix tangendos pedes praebuit*, pro vix meas preces admittebat, vix furibundae animum precibus meis movere ac vincere poteram

Quum vix tangendos praebuit illa pedes;
Atque ait: admissae si vis me ignoscere culpae,
Accipe, quae nostrae formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra,
Nec quum lascivum sternet arena forum.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuae sidat aperta morae.
Lygdamus in primis omnis mihi causa querelae
Veneat, et pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges: respondi ego; legibus utar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcunque locum externae tetigere puellae
Suffiit, et pura limina tergit aqua.

*Pedes tangere*, amplecti, more supplicum, vid. Ovid. Heroidd. XVI, 270; Met. IX, 605. – 75. Cum hac oratione Cynthiae, Propertium iubentis fugere peccandi causas et illecebras, compara Ovidium Tristium II, 281 seqq.; Art. Am. I, 163. — *Pompeia in umbra*, id est porticu Pompeiana. Sic *umbra*, pro porticu Martial. V, 10; XI, 48: Ovid. A. A. I, 67; vid. Heins. ad Petron. cap. 119; conf. de hac porticu not. ad II, 32, 11. Vitruv. V, cap. 9. – *cultus*, pexus, ornatus, elegantioribus vestibus indutus. – *sternet arena forum*, intelligit ludos gladiatorios, qui in foro arena constrato exhibebantur, vid. Ovid. Trist. II, 282. – *lascivum*, quod *nequitiae semina* et fomenta *praebet*, quod *amori convenit* Ovid. loco citato et A. A. I, 79 seqq. – 77. *ad summum theatrum*, equites sedebant imo theatro, foeminae et promiscuum vulgus summo. Sensus ergo est: ne obliquo capite et cervice retroflexa oculos coniicias in foeminas, summa cavea, scil. loco superiori sedentes ac spectantes, vid. Ovidius Am. II, 7, 3; Sueton Octav. cap. 44; Lipsius de Amphith. cap. 14. — 78. Nec *sidat*, humi deponatur lectica aperta per viam praeteriens, in qua puella aliqua vehatur, ut confabuleris foeminae illi, vid. Obss. – *tuae morae*, pro tibi moranti, ut apud Virg. Aen. IV, 407: *castigatque moras* pro morantes. — 79. *omnis m. c. querelae*, nam Phyllida et Teiam, lenonis instar, advocaverat. – *veneat*, vendatur deteriore conditione, nempe ita, ut ad ergastulum damnetur. Servi enim nequam pessimis conditionibus haud raro vendebantur, vid. Lips. Elect. II, 15; Pignor. de Servis. – *bina vincula trahat*, duos truncos pedibus ligatos trahat, vid. ad el. 7, 44.

83–88. *Externae puellae*, vid. I, 3, 44. – *Suffiit*, suffitionibus purgavit locum, quem meretriculae illae tetigerant, tanquam suo contactu cuncta polluissent. Beroald. Vid. Lomeier. de lustrationibus vett. gentilium cap. 17 et 19; Cic. pro Cluent. cap.

Imperat et totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita, mutato per singula pallia lecto
Et spondis, toto movimus arma toro.

## ELEGIA IX

### DE HERCVLE ET MORTE CACI

Amphitryoniades qua tempestate iuvencos
Egerat a stabulis, o Erythia, tuis,

68. – *pura aqua*, aquae fluvialis in lustrationibus usus satis notus. Cic. de Leg. II, 10, incestum adspersione aquae *tollitur*. Vid. interpp. ad Catull. LXXXVIII, 6. – *lacerna*, vestis crassior, quam tunicae et togae iniiciebant, qua a frigore et pluviis se muniebant, vid. Ferrar. Re Vest. P. II, lib. 1, cap. 1, 6; Ruben. I, 6; Ernesti ad Sueton. Claud. 6; Salmas. ad Ael. Lamprid. Commod. cap. 16; Alex. Sev. 27. – *ter*, numerus ternarius mysticus et solemnis, Tibull. I, 5, 11. – *sulfuris igne* lustratio fiebat circumlato circa aliquem sulfure, vid. Claudian. VI Cons. Hon. 324 seqq.; Broukhus. et Vulp. ad Tibull. l. c.; Ovid. Met. VII, 261; A. A. II, 329 seqq.; Heinsius ad Ovid. Fast. IV, 740; Meurs. Exerc. Crit. P. II, cap. 17. – *tetigit*, admovit capiti sulfur, *circum caput rotavit*, ut loquitur Claudian. loco citato. – *mutatus lectus* dicitur ob mutata pallia, sive vestes stragulas. – 88. Compara Ovid. A. A. II, 461 seqq. – *Et spondis*, nempe mutatis, lecto ipso mutato, Veneris gaudia percepimus.

Elegia IX

Accuratius exponit, cur foeminis ab Herculis sacrificio abstinendum sit. Narrat Herculem, Caco latrone interemto, ut sitim exstingueret, a foeminis in nemore avio sacra Bonae Deae facientibus haustum aquae, cuius intra aedis tecta cadentis sonitum audiverat, petiisse; illis vero negantibus, humeris postes concussisse fani, et depulsa siti, fundasse Aram maximam omnibus puellis inaccessam. Hanc eandem fabulam tractarunt quoque Liv. I, 7; Virg. Aen. VIII, 190 seq.; Ovid. Fast. I, 543 seqq.; Aurel. Vict. de orig. v. Rom. cap. 6.

1–8. *Amphitryoniades*, Hercules, qui Amphitryonis, Thebarum regis, filius habebatur, quum verus eius pater esset Iupiter, qui Alcumenam, sumta Amphitryonis coniugis forma, vitiarat, vid. Hygin. fab. 29; Apollod. II, 4, 8. – *qua tempestate*, pro eo tempore quo, vid. interpp. ad Catull. LXIV, 73; LXVI, 11. Festus: *tempestatem pro tempore frequentes dixerunt antiqui.* Sic legitur Ovid.

Venit ad invictos pecorosa Palatia montes,
  Et statuit fessos fessus et ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
  Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
  Incolumes: furto polluit ille Iovem.
Accola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
  Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
  Aversos cauda traxit in antra boves.
Nec sine teste deo: furem sonuere iuvenci;
  Furis at implacidas diruit ira fores.

Met. I, 183; Cic. ad Div. I, 34; Cic. Orat. III, 38. – *iuvencos*, nempe Geryonae. – *Erythia*, vid. ad III, 22, 9. – *Palatia*, mons Palatinus, proximus Aventino. – *pecorosa*, quia nimirum Propertii aetate mons ille pecore abundabat, quo eodem sensu etiam *invicti montes* dicuntur, nempe respectu aetatis poëtae. — 5. *Velabra*, vid. ad el. 2, 6 seqq., in illam planitiem olim Tiberis exundare solebat, antequam cloacae substructae stagnantibus aquis et paludibus exitum fecerant, vid. Heyne ad Tibull. II, 5, 33. – *Iovem*, nempe ξένιον, hospitalem, sub cuius tutela hospites erant, Homer. Odyss. II, 179 seqq.; Virg. Aen. I, 731. – *polluit Iovem*, docte pro violavit hospitii iura.

9-14. *Raptor ab antro*, qui prodire ex antro ad rapiendum solebat. — *metuendo antro*. Virg. Aen. VIII, 193 seqq.: *spelunca – vasto submota recessu, – Solis inaccessam radiis; semperque recenti Caede tepebat humus; foribusque affixa superbis Ora virum tristi pendebant pallida tabo.* — 10. Trifaucem ac tricipitem noster Cacum proponit, conf. vs. 15, auctores deperditos, ut aliis in locis, ita hoc quoque loco secutus. Virgil. l. c. Cacum generatim *semihominem* vocat. Male Burm. per *tria ora* intelligit tria antri ora, per quae Cacus ignes evomebat. — *dabat*, edebat, *focos*, docte pro ignibus. Ovid. Fast. I, 572: *et flammas ore sonante vomit*, etiam Virg. loco cit. vs. 267, Caco ab Hercule interfecto *extinctos faucibus ignes* tribuit. – *aversos*, abactos. Sic *avertit* apud Virg. loco citato 208. – *deo*, Iove hospitali, coll. vs. 8, el. 4, 85. *furem*, contemtim nomen Caci omittit, *sonuere iuvenci*. Ovidius Fast. I, 560: *Mugitum rauco furta dedere sono.* Add. Virg. loco cit. 212 seqq. Mugitu Cacum abactorem prodiderunt. – *ira* Herculis (Virg. l. c. 230 seqq.; Ovid. l. c. 565 seqq.), docte pro Hercules iratus. – *implacidas fores*, saevas, crudeles, quibus crudelis latronis insignia erant affixa, vid. vs. 9. Ovid. l. c. 557 seq.: *Ora super postes affixaque brachia pendent, Squalidaque humanis ossibus albet humus.*

Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo
  Cacus: et Alcides sic ait, ite boves,
Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
  Bis mihi quaesitae, bis mea praeda boves.
Arvaque mugitu sancite boaria longo.
  Nobile erunt Romae pascua vestra forum.
Dixerat, et sicco torquet sitis ora palato,
  Terraque non ullas foeta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
  Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa deae, fontesque piandos,
  Impune et nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae,

15-22. Notabili cum brevitate Caci mortem poëta significat et ad eventum festinat. – *ramo*, pro clava, coll. vs. 17, et I, 1, 13; Beger. ad Flor. I, pag. 6. – *Maenalio*, e Maenalo Arcadiae monte excisa. – *ite boves, ite*, apostrophe pastoribus solemnis in agendo reducendove grege Virg. Ecl. VII, 44 al. – *labor ultime*, alium ordinem alii poëtae sequuntur, vid. Heyne ad Apollodor. – *bis quaesitae, bis mea praeda*, nam Geryonae eas primum abduxerat, vid. ad III, 22, 9. – *Arva boaria*, designat forum boarium perinde ac a bobus Herculis nominatum, vid. Adleri Beschreibung der stadt Rom. pag. 270. – *sancite*, vestro mugitu quasi inaugurate l. confirmate nobile fore aliquando forum boarium. – *nobile*, celebre, frequens. – *erunt p. v. forum*, ut el. 1, 14: *Centum senatus erant*. – 21. *torquet*, cruciat. Martial. I, 78: *Aut torsit lenta tristia fata fame*. Phaedr. I, 26, 9: *torquet convivam fame*. – 22. *foeta*, ferax, fecunda. – *ministrat*, cum dilectu, est enim verbum de servo, qui pocula et epulas ministrat, proprium.

23-30. Sacra Bonae Deae, de quibus hoc loco sermo est, fiebant iocis ad nocturna sacra admixtis (unde hoc loco *audit ridere*); in locis secretis peragebantur, foeminae his in sacris saltabant ad tibiam, vid. Iuvenal. VI, 314: non nisi foeminae ad illa sacra admittebantur, et quicunque illa vir vel imprudens adspexisset, eum oculis orbari credebant. Locus classicus de Bona Dea Macrob. Sat. I, 12; add. Cic. Harusp. Resp. cap. 17; Tibull. I, 6, 22; Heins. ad Ovid. A. A. III, 244. — 24. Plures arbores in luco effecerant nemus. – *umbroso orbe*, arbores umbrosae in orbem satae. Passerat. Significantur ergo *opaca silvis redimita loca*, ut loquitur Catullus LXIII, 3. – *ab*, redundat. – *nemus* prop. voluptatis est. – *femineae deae*, intelligitur Bona Dea, a foeminis culta, θεὸς γυναικεία Macrob. loco cit.; Plutarch. vit. Caes. – *piandos*, expiandos, si vir ex iis bibisset. — 27. *devia limina*, fores sacrarii devii, secreti. – *puniceae vittae*, templa et aras

Putris odorato luxerat igne casa.
Populus et longis ornabat frondibus aedem:
Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
Et iacit ante fores verba minora deo:
Vos precor, o luci sacro quae luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis:
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae?
Et nunquam ad notas irrita tela feras?
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?

* * * * * *

diebus festis ac solemnibus vittis coronari solebant. Res nota. Vid. Bernart. ad Stat. Theb. V, 678. – *putris casa*, innuitur sacrarium vetustate fere collapsum, ut apud Horat. Epist. I, 10, 49: *fanum putre Vacunae*. – *odorato igne*, suffitum significat. – *umbra*, nempe populi, id est frondes, vid. Drakenb. ad Sil. It. IV, 681.

31–40. *Congesto pulvere*, de via collecto, barbae inhaerente, *in siccam barbam*, graphice. – *verba minora deo*, deo non convenientia, nempe preces. Imitatus est nostrum Ovid. Met. VI, 367 seqq.: *nec dicere sustinet ultra Verba minora dea*. – *luditis*, vid. vs. 23. – *viris*, enallage, defesso viro, id est mihi. – *sonantia*, nempe antra, vel loca, audiebat enim murmur aquae. – *flumine*, pro fonte, ut I, 20, 43. – 37 seqq. Locus inter elaboratissimos referendus. Sum Hercules; hoc exquisita arte poëta extulit. – *orbem*, pro coelo. Sustulit Hercules coelum pro Atlante (III, 22, 7), quum eum misisset ad mala Hesperidum apportanda, vid. Apollod. II, 5, 11; Ovid. Met. IX, 198, ubi Hercules: *Hac coelum cervice tuli*. Add. Heroidd. IX, 58; Senec. Herc. Fur. 72; Claudian. R. P. II, Praef. 47; Laud. Stilic. I, 143. – *Alcides* antiquius Herculis nomen, Apollod. II, 5, 12, ubi vid. Heyne. – *terra recepta*, liberata, servata, recepta (Virg. Aen. VI, 111) ex tyrannis et monstris. Burm. explicat recuperata, in potestatem redacta, laudat patrui notas ad Vellei. Pat. II, 5. – *audit*, pro audivit simpl. – 40. *notas*, praeclare respondet verbis, quae praecesserunt: *quis non audit* etc. Horat. Epist. II, 1, 10, de Hercule: *diram qui contudit Hydram, Notaque fatali portenta labore subegit*. Sagittas suas ipse postea donavit Philoctetae, vid. II, 1, 59.

41–50. Conf. Obss. – *Stygias luxisse tenebras*, nempe immisso lumine (Sic Virg. Aen. VIII, 246: *trepidentque immisso lumine Manes*), quum

Quod si Iunoni sacrum faceretis amarae,
  Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, setaeque leonis
  Terrent, et Libyco sole perusta coma:
Idem ego Sidonia feci servilia palla
  Officia, et Lyda pensa diurna colu.
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
  Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos
  Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:
  Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
  Quae se submota vindicat ara casa.

Cerberum ab inferis adduceret, vid. Apollod. II, 5, 12, ibique Heyne; Sil. Ital. III, 35 seqq.; schol. ad Homer. Il. Θ, 336 sqq.; Ovid. Met. IX, 185. – 42. *ipsa noverca*, non illa, quamquam mihi privigno durior, vid. Virg. Aen. VIII, 292; Ovid. Met. IX, 135, mihi negaret aquam. – *vultus meus*, facies torva. – *setaeque leonis*, villosi pellis leonis, quae meum corpus, humeros tegit. Interdum, inquit Brouklius., Hercules fingitur sinistra gestans leonis exuvias: est ubi caput ferino rictu intectum habet, vid. Dausquius ad Sil. It. III, 35, pag. 104; Virg. Aen. VII, 666: talis hic erat. Sed huic interpretationi non magnopere favent verba *sole perusta coma*, id est flavus crinis in fuscum mutatus, vid. Tibull. I, 9, 15. – *Libyco*, Libyam enim quoque peragravit Hercules. – 47. Puellis formosis neutiquam terribilis sum, illae facile me flectere possunt. Affert hanc in rem officia servilia Omphalae praestita, vid. ad III, 11, 18. – *Sidonia palla*, purpurea. Seneca Herc. fur. 469: *Fulsitque pictum veste Sidonia latus.* Add. Stat. Theb. X, 643. – *facere pensa*, id est nere, ut Iuvenal. II, 57. – *Lyda colu*, Omphale enim Lydorum regina. – *fascia* pectoralis, Martial. XIV, 134: *Fascia lactentes dominae compesce papillas.* — *cepit*, continuit, inclusit, cinxit. – *puella*, serva, ut el. 3, 54, nominatim ancilla quasillaria, vid. el. 7, 42, ut omnino de quasillariis interpp. ad Petron. cap. 132.

51–62. *Alma*, ποτνία, veneranda. *Stamine*, pro vitta, infula, ut Sil. It. III, 25, sacerdotum comas vittis vinctas fuisse, tralatitium, vid. Virg. Aen. X, 538; Val. Fl. I, 480; Lucan. V, 142. – *Parce oculis*, averte oculos, metuenda tibi eorum orbitas, coll. vs. 55 seqq.; vid. Tibull. I, 2, 33; Callim. h. Pall. 54. – *metuenda lege*, si quis vir aspexit, caecus continuo fiet. – *submota casa*, in devia, remota aedicula, vid. Oudendorp. ad Lucan. V, 71. — 57. Fundus Callim.

Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
  Fortia dum, posita Gorgone, membra lavat.
Dii tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
  Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus: ille humeris postes concussit opacos,
  Nec tulit iratam ianua clausa sitim.
At postquam exhausto iam flumine vicerat aestum,
  Ponit vix siccis tristia iura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
  Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus devota est Ara repertis,
  Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat veneranda puellis,
  Herculis eximii ne sit inulta sitis.
Sancte pater, salve, cui iam favet aspera Iuno:

hymn. in Lav. Pall. 75–103, Tiresias, Thebanus, quum nudam vidisset Minervam in lavacro, ab ea oculis privatus est, ita tamen, ut ipsi vaticinandi facultatem tribueret, vid. Gierig. ad Ovid. Met. III, 316 seqq. — *magno*, cum magno suo malo, nempe a dea oculis orbatus. – *posita*, deposita *Gorgone*, docte pro armis, vid. II, 2, 8; 30, 4. – *limitis*, pro cursu aquae, ut el. 4, 50. – *postes opacos*, populi frondibus inumbratos, coll. vs. 29. – *iratam sitim*, ornate pro Herculem sitientem et iratum, id est impetum Herculis sitientis et irati, ab eo effracta est.

63–70. *Exhausto flumine*, de Hercule multibibo eiusque voracitate multa occurrunt, quae ex satyricis dramatibus ducta putat Heynius ad Apollod. II, 7, 7; Athen. X, pag. 413: *καὶ οὐδὲν παράδοξον τούτους τοὺς ἄνδρας ἀδδηφάγους γενέσθαι· πάντες γὰρ οἱ ἀθλοῦντες μετὰ τῶν γυμνασμάτων καὶ ἐσθίειν πολλὰ διδάσκονται.* Vid. Hermann. Handbuch der Mythologie B. II, pag. 274 s. 291 sqq. — *vix siccis labris*, ergo statim a potu. – *Ponit iura*, *νομοθετεῖ*. – *tristia*, dura, severa, nempe puellis. – 65. *mea fata trahentem*, exquisite pro vitam fato constitutam. *Vitam trahere* de iis qui vitam agunt aerumnosam et molestam, vid. Virg. Aen. II, 92; III, 647. — 67. Vid. Gronov. et Drakenb. ad Liv. I, 7; Heins. et Burmann. ad Ovid. Fast. I, 581; Cerda et Heyne ad Virg. Aen. VIII, 271; Alexand. ab Alex. II, 14. — 69. *nullis–veneranda*, nullae unquam puellae ad hanc aram venerandi causa accedant; *venerari aram*, *templa* dixit quoque Virg. Aen. XII, 220; III, 84. — *eximii*, sic quoque Aeneas apud Virg. Aen. I, 378, se ipsum *pium Aeneam* vocat, ubi vid. Heyne Excurs. XII.

71–74. Apostrophe ad Herculem, quem poëta fastos scripturus, vid. Argum. ad lib. IV, el. 1, rogat, ut

Sancte, velis libro dexter adesse meo.
Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum Tatiae composuere Cures.

ipse quoque coeptis suis favere velit. — *Sanctos* et *patres* deos omnes dictos fuisse, notissimum. Hercules *sanctus* quoque dicitur Phaedr. V, 4, 1; Cic. pro Sext. extr. al. – *aspera*, amara supra vs. 42. *saeva noverca* Sil. Ital. II, 478. – *cui iam favet*, cui utpote Iovis et Alcmenae filio Iuno saeva olim et iniqua, vid. Ovid. Met. IX, 21 seqq.; Apollod. II, 4, 12: nunc favet, postquam se in Oeta monte combussit: Apollod. II, 7, 8: τυχὼν ἀθανασίας, καὶ διαλλαγεὶς Ἥρᾳ, τὴν ἐκείνης θυγατέρα Ἥβην ἔγημεν. – *dexter*, propitius. — 73. *manibus*, sua vi ac virtute. – *purgatum orbem*, Hercules *orbis terrarum marisque pacator* dicitur Senec. de Benef. cap. 13. *pacifer* in nummis apud Beger. Thes. Brand. tom. II, pag. 779 seqq., et in marm. apud Gruter. pag. 49, 1, et 1113, 4. – *purgatum sanxerat*, pro simpl. purgarat, purgatum reddiderat. — *Sic*, hoc respectu, propterea Sancum nominarunt, qui graeca lingua Hercules dictus est, eumque coluerunt Sabini. – *Sancus* idem qui *Dius Fidius*, vid. Festus in *Praedia*; et *Hercules*, vid. Festus in *propter viam*. Conf. Heins. et Burm. ad Ovid. Fast. VI, 213; Voss. de Idololatr. gent. I, 12; Cluver. Ital. Antiq. lib. II, pag. 643; interpp. ad Phaedr. V, 4, 1; Muret. epist. 81 et 82. – *Cures*, urbs princeps Sabinorum, quorum rex quondam Tatius, vid. el. 1, 31; 4, 9. — *composuere*, id est constituerunt Herculi Sanco aedem, eumque sub hoc nomine coluerunt.

## ELEGIA X

### QVARE IVPITER FERETRIVS DICTVS

Nunc Iovis incipiam causas aperire Feretrî,
  Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter adscendo, sed dat mihi gloria vires
  Non iuvat ex facili lecta corona iugo.
Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
  Huius, et exuviis plenus ab hoste redis,

Elegia X

Duplicem nominis Iovis Feretrii causam affert (conf. hanc in rem Dausqueius ad Sil. Ital. pag. 147, et Freinshemius ad Flor. I, 1, 11; Plin. H. N. II, 53; Festus in Feretrius; Plutarch. vit. Rom. et Marcell.), et quinam Romanorum, ducibus hostium sua manu occisis, spolia opima in templum Iovis Feretrii retulerint, docet. Spolia opima dicta esse, non solum quae dux duci, sed etiam quae miles gregarius duci hostium sua manu interfecto detraxit, luculenter satis demonstravit Perizon. in Animadv. historicis cap. 7; add. Varro apud Festum in *Opima*. Occasionem huius elegiae scribendae obtulit poëtae, auctore et suasore Vulpio, instauratio templi Iovis Feretrii ab Augusto facta, suasu T. Pomponii Attici, vid. Cornel. Nep. vit. Att. cap. 20. Sed quidni sponte poëta in hoc argumentum deferri potuit, quum in animo haberet Fastorum libros conscribere, *Sacra diesque, et cognomina prisca locorum* (vid. el. 1, 69) canere? Conf. Argum. ad lib. IV, el. 1: quin et ipsa particula *nunc* initio carminis, alia similis argumenti carmina tunc temporis iam cecinisse poëtam, docere videtur.

1–6. *Incipiam aperire*, pro simpl. aperiam, id est explicabo, ut saepius. – *causas*, nominis rationes. – *arma*, vs. 6 *exuvias*, vs. 11 *spolia* dicit; nempe opima. – *de ducibus tribus*, Acrone vs. 7, Tolumnio vs. 37, et Virdumaro vs. 41, nam non nisi ter haec felicitas Roman. reipubl. contigit. – 3. *magnum iter adscendo* docte pro rem arduam, gravem laborem molior, grave argumentum carmine pertractandum mihi sumo. *Iter*, ut el. 4, 10. – *dat mihi gloria vires*, ingenio, *animo dat gloria vires Et facunda facit pectora laudis amor* Ovid. Trist. V, 12, 37 seqq. — 4. Vulgaris ratio erat, ingrata mihi sunt praemia sine labore parta; pro quo multo exquisitius dixit: me poëtam non iuvat corona decerpta e montis iugo, quod facile ac sine labore conscenditur. — *imbuis*, instituis, das exemplum, vid. Virg. Aen. VII, 572; Taubman. ad Virg. Ecl. I, pag. 7. –*palmae*, victoriae praemii. Liv. I, 10, Romulus: *me auctorem sequentes posteri ferent*, nempe spolia opima Iovi. – *exuviis*

Tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
  Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
  Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirinis
  Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
  Romulus, et votis occupat ante ratis.
Iupiter, haec hodie tibi victima corruet Acron.
  Voverat, et spolium corruit ille Iovi.
Vrbis, virtutumque parens sic vincere suevit,
  Qui tulit aprico frigida castra lare.

*plenus.* Liv. loco cit.: *Regem in proelio obtruncat, et spoliat. – Spolia ducis hostium caesi, suspensa fabricato ad id apte ferculo, gerens, in Capitolium ascendit, ibique ea quum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designavit Iovis templo fines.* Add. Val. Max. III, 2.

7–16. *Acron*, Caeninensium rex. *Caecina*, Sabinorum urbs non procul a Roma sita. Vid. Cluver. Itat. Ant. II, pag. 664 seqq.; Drakenb. ad Liv. I, 10, pag. 54. – *portas*, Romam. – 8. In equo prostrato hasta prosternis equitem. – *Acron* dicitur *Herculeus*, quia genus ad Herculem referebat. Sancus enim, id est Hercules, vid. el. 9, 74, Curium conditor, primus Sabinorum rex fuisse perhibetur, vid. Sil. It. VIII, 420 seqq.; Augustin. de Civ. Dei XVIII, 19. – *spolia ex humeris*, arma, *Quirinis*, eleganter pro Quirini, ut aliis in locis *gens Romula, venena Colcha, populus Quirinus* etc. Vid. Bentlei. ad Horat. Carm. I, 2, 46, et ipsum voc. Quirinus cum dilectu adhibuit noster, hoc enim nomine Romulus inter deos relatus. — 13. Notabili cum brevitate Romuli victoriam poëta designat. – *cavas*, pugnatoribus repletas, *turres*, nempe Vrbis. – *occupat ante*, redundat *ante*, ut apud Suet. vit. Aug. cap. 96: *ante praesensit.* Barthius explicat: caedit Acronem prius quam Acron Romulum, quia vota eius Iupiter rata habuit. Burm. – *occupat*, aggreditur, invadit Acronta occidendi animo, ut el. 4, 83. Romulum ante congressum arma hostis Iovi vovisse, Plutarch. in Rom. scribit. – 15. *haec victima tibi*, hunc tibi victimam voveo. Sic apud Livium IV, 19, Cossus de Tolumnio: *ego hanc mactatam victimam – legatorum manibus dabo.* – *spolium*, quia ei caeso detracta spolia opima, quae Iovi Feretrio dicata.

17–22. Laudes ac virtutes Romuli celebrat, fuit bello et pace clarus et magnus, durus, non mollis, antiqua simplicitate et frugalitate conspicuus. — *parens*, auctor. – *virtutum*, quibus ipsius posteri excelluerunt. – *aprico lare*, aperto, intelligitur, ut recte notavit Guyetus, habitatio subdivalis in castris frigidis, atque Romuli vita militaris opponitur vitae delicatiorum hominum molli et umbra-

Idem eques et frenis, idem fuit aptus aratris,
  Et galea hirsuta comta lupina iuba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
  Praebebant caesi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
  Vincere quum Veios posse laboris erat.
Nec dum ultra Tiberim belli sonus; ultima praeda
  Nomentum, et captae iugera terna Corae.
Et Veii veteres et vos tum regna fuistis,
  Et vestro posita est aurea sella foro.

ticae. – *eques*, et bellator aptus fuit frenis, non minus quam *aratris* durum terrae opus exercuit, quae laus ipsius in Cincinnatos, Curios et Fabricios derivata est. — 20. *et galea*, nempe apta fuit. – *comta*, ornata. — *galea lupina*, quia a lupa nutritus, vid. Stewech. ad Veget. II, 16, pag. 109 sqq., qui ibi plura notavit, quae hanc galeam lupinam eiusque ornatum illustrant. De galeis e pellibus ferinis vid. Drakenb. ad Sil. Ital. V, 132. – *picta*, versicolor e diversis metallis, vid. el. 4, 20. – *pyropus*, genus carbunculi, vulgo *rubinum* vocant. Ovid. Met. II, 2: *flammasque imitante pyropo*. Add. Lucretius II, 802, ubi smaragdo opponitur. Dicebatur quoque genus aeris *pyropus*, vid. Plin. H. N. XXXIV, 8; Isidor. XVI, 19. – *caesi boves*, pro corio caesorum bovum, quo eodem sensu *caeso iuvenco* legitur Lucan. IV, 32; coria caesorum boum cingulum militare praebebant Romulo. — *lenta*, ornat.

23–30. Cornelius Cossus Tolumnium, Veientum regem, cecidit, *spolia opima* (regi interfecto detracta) *in aede Iovis Feretrii, prope Romuli spolia, quae prima opima appellata, sola ea tempestate erant, cum solemni dedicatione dono fixit* Liv. IV, 20. – *insequitur*, sequitur; proximus Romulo. – *caede Tolumni*, pro caeso Tolumnio. – *Veios*, Veii, urbs Etruscorum tunc temporis florentissima, Romae emula, quam post decem annorum obsidionem, tandem M. Furius Camillus diruit. – *Vincere laboris erat*, nempe res, difficilis tunc laboris, res ardua erat, magnae molis opus, multoque labore parandum, vid. Burm. ad Sil. III, 582. — 25. Significat angustis limitibus tunc temporis circumscriptum fuisse Romanorum imperium, vid. el. 1, 8, nondum Romanos arma sua victricia late protulisse. – *Nomentum*, oppidum Latii, vid. Virgil. Aen. VI, 733, VII, 711, a Tarquinio Prisco captum, vid. Liv. I, 38; Cluver. Ital. Antiq. II, 9, pag. 666. – *iugera terna*, id est pauca iugera, militi pro virtute assignata. — *Cora*, oppidum Latii, vid. Liv. II, 16, 22, 27; Cellar. Not. O. A. II, 9, tom. I, pag. 813; Cluver. loco citato III, 8, pag. 1017. – *Veii veteres*, epitheton cum dilectu positum, vetustate nobiles, ut II, 1, 21: *veteres Thebas*. Virg. Aen. I, 375: *Troia antiqua*. – *fuistis*, vid. II, 8, 10. — *aurea sella foro*, in aurea sella sedentes reges vestri ius dixerunt. *aurea*

Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.
Forte super portae dux Veïus adstitit arcem:
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, Forti melius concurrere campo.

*sella*, κλίνη χρυσῆ, vid. Dorvill. ad Charit. pag. 706, magnificentiae et fastus regii signum. — 29. Quantam vos mutationem subiistis! fuistis! urbs vestra iam solo aequata. Egregie hanc sententiam exornavit poëta. — *intra muros*, in urbe, id est eo loco, ubi quondam urbs illa magnifica stetit. — *lenti*, a lento et tardo gregum ingressu, vid. Burm. ad Virg. Ecl. X, 19. Praeclare et elegiae convenienter, ad miserationem movendam additur: *in vestris ossibus*, significantur agri ossibus Veientum constrati. Ovid. Heroidd. I, 53 seqq.: *Iam seges est ubi Troia fuit, resecandaque falce, Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus. Semisepulta virum curvis feriuntur aratris Ossa.* Add. Virgil. Georg. I, 496 seqq. Flor. I, 12, 11: *Hoc tunc Veii fuere; nunc fuisse quis meminit? quae reliquiae? quod vestigium? Laborat annalium fides, ut Veios fuisse credamus.*

31–38. *dux Veius*, Tolumnius. — *ab*, redundat, ut III, 25, 5 al. — *colloquium dedit*, fecit Cosso potestatem colloquendi, ut solet, civium suorum praesidio et armis confisus. PASSER. De hoc colloquio nihil monuit Livius IV, 19. — *aries*, machina bellica, qua muri percutiebantur et rumpebantur. Isidor. XVIII, 11: *Arieti nomen species dedit, eo quod cum impetu impingitur in murum, in modum arietum pugnantium. Validae enim ac nodosae arboris caput ferro vestitur, eaque suspensa funibus multorum manu ad murum impellitur, deinde retrorsum ducta impetu maiore destinatur; sicque crebris ictibus concussum muri latus caedit, cavatumque irrumpit et fenestram facit.* Add. Veget. de re milit. cap. 14; Vitruv. X, 19; Lipsius Poliorcet. III, 1. — *cornu*, capite, *aheno*, pro ferreo, vel ferrato. — *Vinea.* Veget. IV, 15: *E lignis tenuioribus machina colligatur — huius tectum munitione duplici tabulatis cratibusque contexitur: latera quoque viminibus sepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concremetur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur. Istae quum plures factae fuerint, iunguntur in ordinem* (unde hoc loco *vinea longa*), *sub quibus obsidentes tuti* (unde h. l. legitur *tegebat*) *ad subruenda penetrant murorum fundamenta* (quod h. l. *opus* dicitur). Lucan. III, 487: *Tunc adoperta levi procedit vinea terra, Sub cuius pluteis et tecta fronte latentes Moliri nunc ima parant et vetere ferro Moenia.* Conf. de vinea, sub qua latentes milites muros fodiendo subruebant, Lipsius Poliorc. I, 7; Barth. ad Stat. Theb. tom. II, pag. 949; et interpp. ad Lucan. l. c. — *Forti melius*, honestius, fortem virum praestat in campi aequore di-

Nec mora fit, plano sistit uterque gradum.
Dii Latias iuvere manus: desecta Tolumni
Cervix, Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridanum traiectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti palma relata ducis
Virdumari; genus hic Rheno iactabat ab ipso
Nobilis e tectis fundere gaesa rotis.
Illi virgatis iaculantis ab agmine bracis
Torquis ab incisa decidit unca gula.

micare, melius est descendere in planitiem, quam fidere moenibus et arci. Si vir fortis es, veni in aequum et planitiem. – *plano*, in plano et aequo campo. – *sistit u. gradum*, consistit, stat uterque ad pugnam paratus. — 38. *Romanos equos*, pluralis pro singulari, vel intelligendi sunt equi Romanorum pugnam de proximo spectantium. – *lavit*, verbum gravius quam respersit.

39–42. M. Cl. Marcellus de Virdumaro Gallorum rege occiso spolia opima retulit, vid. Liv. epit. lib. XX; Serv. ad Virg. Aen. VI, 860; Flor. I, 1, pag. 16; II, 4 extr. ed. Graev.; Sil. Ital. I, 132; III, 587. – *Eridanum* (Padum, vid. I, 12, 4), res gesta ad Clastidium, quod oppidum Eridanus, sive Padus alluit, vid. Cluver. Ital. Ant. I, 10. — 40. *Belgica*, pro Gallica, cui enim non nota Gallia Belgica? Vid. Plin. H. N. VII, 16; sic *Belgica* simpl. Plin. XV, 2; Tacit. Hist. I, 58; add. Sil. Ital. X, 77. – *vastus*, ut *vasti Cyclopes* Virg. Aen. III, 647; add. Gell. IX, 13. – *palma*, vetere scriptura, pro parma, vid. Heyne ad Tibull. I, 9, 82. — 41. *Rheno iactabat ab ipso*, fluvii pro diis colebantur; Virdumarus igitur a flumine Rheno, tanquam divina origine, generis sui originem deductam iactabat. Sic apud Virg. Aen. X, 199: *Fatidicae Mantus, et Tusci filius amnis.* Add. Homer. Il. Π, 173 seqq. — *nobilis*, insignis in spargendis telis. – *gaesa*, vox Celtica, erant hastae longiores, sed leves et exiles, quae binae una manu ferri poterant, vid. interpp. ad Virgil. Aen. VIII, 662; Barth. ad Stat. Theb. IV, 64; Drakenb. ad Sil. It. II, 444; ad Livium XXVI, 6. – *tectis rotis*, intelligitur esseda superne tecta, vid. Flor. III, 4; Caes. B. G. IV, 33; Mela III, 6.

43–48. Passeratius verborum ordinem hunc in modum constituit: torquis iaculantis ab agmine, decidit illi, (qui) virgatis (erat) bracis. Scaligero *illi ἀρχαϊκῶς* dictum est pro illius. – *bracis*, a bracis bracata Gallia, etiam torquibus atque armillis ornati erant Galli. Res nota. – *virgatae bracae* sunt versicolores, maculis distinctae, vid. Diod. Sic. IV, 30, XII, 21; Sil. Ital. V, 148; Burm. ad Val. Fl. II, 159; Drakenb. ad Sil. It. III, 155; interpp. ad Virg. Aen. VIII, 660; ad Claudian. I de Laud. Stilic. vs. 66. – *torquis unca*, torques, cuius articuli orbibus alligati erant; *unci* enim et *hami* vocabantur orbes, qui catenas alligabant, vid. Heins. ad Ovid. Amor. I, 6, 25. — 45. *causa Feretri*, nominis causa et origo est. –

Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
  Omine quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis humeris huc arma ferebant,
  Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis.

*omine certo*, secundo, id est feliciter. — *huc*, nempe in templum Iovis Feretrii. Duplicem ergo nominis Feretrii causam affert, vel ab hoste feriendo, vel quod in Iovis templum spolia opima ferebant. — *superba*, magnifica.

# ELEGIA XI

## AD PAVLVM

Desine, Paule, meum lacrymis urgere sepulcrum.

Elegia XI

Scripta est ad L. Aemilium Paulum, virum Consularem et Censorium, nomine Corneliae, uxoris ipsius, Scipionis et Scriboniae filiae, A. V. DCCXXXVIII, praematura morte defunctae. Vid. Perizon. Animadv. hist. et epist. ad Morell. Consolatur Cornelia maritum, eumque a nimio luctu deterret; quod dii inferi nullis lacrymis precibusve moveantur; quod ipsa egregiam vitae sancte ac praeclare peractae famam reliquerit; quod non defuerint probitati suae praemia dulcissima, matrimonium felix, praeclara proles, fortuna fratris; quod morte liberata ab omnibus vitae molestiis atque aerumnis (vs. 70), iam uberrima et liquidissima gaudia in campis Elysiis percipiat. Quo vero plenius et accuratius exponere posset poëta matronae nobilissimae virtutes et ornamenta, quo magis recensendis accuratius Corneliae bonis, acerbum Pauli dolorem mitigaret, animumque ipsius confirmaret; quo fortius atque felicius defenderet Corneliam contra malevolorum obtrectationes (vid. vs. 58); eam induxit quoque causam suam apud inferorum iudices agentem, ita ut orationi ipsius omnia illa insereret doloris solamina, quae paullo ante attulimus. Scilicet in hac ipsa oratione egregie instructa, postquam Cornelia mentionem fecit generis sui nobilitatis, gloriae atque virtutum avorum suorum, a quibus se non degenerasse profitetur, vs. 29–40; virtutes suas, lacrymis Augusti et totius urbis comprobatas et laudatas (57–60) speciatim enumerat, vitae probitatem 40–48, castitatem 49–54, pietatem 55 seqq.: neque hoc commemorare omittit, quod fecunda fuerit mater trium liberorum, quorum summo cum affectu recordatur vs. 63 sqq. Tum ipsum alloquitur Paulum, eique commendat liberos vs. 73–84; ad hos ipsos deinde orationem convertit, eosque cohortatur, ut obsequio atque modestia futuram novercam sibi devinciant 85–90: quod si vero pater memor umbra Corneliae suae contentus manserit vs. 91, ut senectutis molestias atque incommoda coelibi patri omni modo et studio leniant vs. 92 seqq. Denique causa perorata, dignam se esse declarat, quae in Elysios transferatur campos vs. 99–102. — Si Propertius praeter hanc elegiam, nullam scripsisset aliam, vel ea solum ostenderet, quanta fuerit huius poëtae animi magnitudo, ingeniique felicitas. Sive enim spectes idearum sublimitatem, affectuum veritatem, sive ipsam argumenti tractationem, fictionum splendorem, picturarum colorumque suavitatem, dictionis exquisitae praestantiam; hanc elegiam reliquas omnes longo intervallo post se relinquere facile animadvertes; ultroque concedes, eam iure meritoque peritissimis elegantiarum veterum

Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae,
Nempe tuas lacrymas litora surda bibent.

arbitris (vid. Koppiers. Obss. Philol. pag. 151) elegiarum principem atque reginam nominatam fuisse.

1–4. *Lacrymis urgere sepulcrum*, vulgarius erat: desine lacrymas effundere, et immoderatum luctum depone: sed longe ornatius, et ad exprimendam luctus gravitatem dolorisque impatientiam exquisitius dixit: *desine lacrymis urgere sepulcrum*, cui similis locutio respondet: *lacrymis prosequi mortuos* apud Liv. XXV, 26. Putabant autem veteres, offendi Manes, carorum luctu immoderato, vid. Vulp. ad Tibull. I, 1, 68; Kirchman. F. R. IV, 10. — 2. Nullis lacrymis et precibus lurida porta patet, nemo mortuus in vitam revertitur. Homer. Il. Ψ, 549 seqq. — *ianua nigra*, sepulcri ianuam Burmannus intelligit, laudat Ovid. Trist. III, 2, 24; mallem tamen intelligere ianuam inferni. *niger, ater, luridus, pallidus*, epitheta rerum inferarum solemnia. — 3 sqq. Copiosius exornatur et docte variatur sententia vs. 2 proposita. — *semel* de iis dicitur, quae non iterantur, vid. Oudendorp. ad Lucan. III, 296. — *funera*, pro mortuis, ut saepius. — *infernas leges intrare*, paullo audacius dictum pro intrare locum, ubi leges immutabiles valent, et eas ipsas subire. Similes formulae a Santenio ad hunc locum notatae sunt: *insidias intrare* Caes. B. C. III, 83. *Cyaneos intrare fragores* Val. Fl. V, 483. *mensas intrare minores* Stat. Theb. V, 428. — 4. Homer. Il. Θ, 15: εἰς Τάρταρον — Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός· Alcaeus Anal. Brunck. tom. I, pag. 491: Εὖτε σιδηρείην οἶμον ἔβης Ἀΐδεω· Virg. Aen. VI, 551: *Porta adversa ingens, solidoque adamante columnae: Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro Coelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras.* — *viae*, exitus, ubi sunt portae durissimae, quae redituris nunquam reserantur. — *adamante*, ferro. Nam ἀδάμας prop. de ferro. Ovid. Fast. III, 805: *ex adamante securis;* et Graecis pariter atque Latinis *adamantinum* dicitur quidquid durum et satis firmum atque munitum est, vid. Graev. ad Hesiod. Ἀσπ. vs. 136. — *Non exorato*, non exorando, insuperabili.

5–6. *fuscae*, nigrae, ut Sil. It. III, 524, idem quod *furvae* Horat. Carm. II, 13, 21: *furvae regna Proserpinae.* Apulei. Metam. VI, pag. 185: *de quo fontis atri fuscae defluunt undae, et Stygiae irrigant paludes.* Per *deum fuscae aulae* intelligitur Pluto. — *litora surda*, Valcken. Diatrib. Eurip. pag. 187, comparat cum Homeri κύματι κωφῷ Il. Ξ, 16: intelligitur h. l. ripa paludis Stygiae. *Litus*, de fluvio saepius, ut Virgil. Aen. VI, 388. — *bibent lacrymas.* Ovid. Fast. III, 471 seqq.: *En iterum fluctus, similes audite querelas, En iterum lacrymas accipe, arena, meas.* Quam ornate hoc loco singula dicta sint, intelliges, si reputes, sententiam nudam ac simplicem esse hanc: quod si preces tuas audiret Pluto, eas tamen non exaudi-

Vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
 Obserat umbrosos lurida porta rogos.
Sic moestae cecinere tubae, quum subdita nostrum
 Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Pauli, quid currus avorum
 Profuit? aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
 En sum quod digitis quinque levatur onus.

ret, est inexorabilis, *illacrymabilis* Horat. Carm. II, 14, 6, nec precibus, nec lacrymis ille movetur, et preces et lacrymas tuas negligit.

7–10. *superos*, nempe deos, qui diis inferis hoc loco opponuntur. — *portitor aera recepit*, si Charon naulum recepit. In os mortui triens, vel quadrans, vel obolus inseri solebat pro vectura Charonti solvendus, vid Diod. Sic. II, 5; Hemsterhus. ad Lucian. dial. mort. 9, tom. I, pag. 422. — *umbrosos rogos*, de umbris et manibus capiendum, umbram ipsam, quae modo rogum effugit, audacius poëta nominat rogum., vid. Obss. — *umbrosos*, manes umbras, pallentes, nigras umbras. — *porta*, nempe *orci*. — 9. Sic, hoc respectu, propterea quod vota superos tantum, non inferos movent, rect e ad tubam mihi canebatur: immites sunt Parcae etc. Marklandus sensum loci ita constituit: hanc legem mihi indixit cantus iste tubae funereae, quum rogus iste accendebatur et corpus cremabatur. Broukhusius: ita visi sunt cecinisse tubicines, quasi Plutonis praecones. Sed ipsa affertur naenia ad rogum decantata. Triplex enim erat naenia. Prima in exequiarum comitatu. Secunda canebatur ad rogum. Tertia ad tumulum, vid. Gutherius de Iure Manium I, 22. Ad tubam canebatur naenia in funeribus divitum, vid. ad II, 13, 20; Morestellus de Pompa ferali II, 14 in Thes. Graev. tom. XII, pag. 1390. Caeterum compara cum h. l. Eurid. Alc. 424 seqq. — *quum subdita* etc., sermo est de corpore, igne rogali consumto, collabente in igne ferali. — *fax*, qua rogus incensus erat. — *lecto*, nempe ferali, in quo corpus in rogo comburebatur. — *nostrum caput*, cum dilectu, pro me mortuam, corpus meum.

11–14. Neque coniugii felicitas atque splendor, nec generis dignitas a morte vindicare potest, *Divesne prisco natus ab Inacho, Nil interest, an pauper, et infima De gente, sub divo moreris Victima nil miserantis Orci* Horat. Carm. II, 3, 21 seqq. — *currus avorum*, nempe triumphales, v. c. Scipionis Aemiliani, qui Numantiam evertit, vid. Iuvenal. VIII, 1, seqq. *famae pignora*, improprie repetit, quae proprie modo dixerat, intelliguntur coniugium Pauli et currus avorum. Caeterum comparant Ovid. Heroidd. XI, 17 seqq. — *Cornelia*, significanter, ego Cornelia illa. — 14. Soph. Electr. 1129: Νῦν μὲν γὰρ οὐδὲν ὄντα βαστάζω χεροῖν· Senec. Herc. Oet. 1762: *ecce vix totam Hercules Complevit urnam: quam leve est pondus mihi!* Add. Ovid. Met. XII, 612 seqq.; Amor. III, 9, 40; Prop. II,

Damnatae noctes, et vos vada lenta paludes,
Et quaecunque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni,
Det pater hic umbrae mollia iura meae.
Aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila.
Assideat frater, iuxta et Minoia sella, et
Eumenidum intento turba severa foro.

9, 14. – *levatur*, tollitur; sunt autem haec verba de urna cinerea exponenda, quae facile una manu gestetur.

15–26. Egregii versus. Alloquitur tenebras infernas, atque paludes, innocentiamque suam ac probitatem testatur; tum orationem suam ad iudices inferni convertit, eosque ad sententiam de se ferendam provocat. — *damnatae noctes*, tenebrae, noctes inferorum, ubi damnati sunt. – *vada l. paludes*, lente fluentes fluvii inferni, conf. Horat. Carm. II, 14, 17 sq., lenta et paludosa Orci flumina erant Styx et Cocytus; rapida Acheron, Phlegethon, vid. Virg. Aen. VI, 294, 322, 547, 701, et Heynii Exc. IX. — *unda*, nempe limosa, qualis erat Stygis et Cocyti, vid. Georg. IV, 478; Aen. VI, 439. — 17. *Immatura*, in flore aetatis mortua. Tibull. II, 6, 29: *immatura ossa*. Praematura morte exstingui eos credebant veteres, qui grave quoddam commisissent crimen. Itaque criminis suspicionem a se amoliri Cornelia studet. Vid. Sueton. Tit. cap. 10; Barth. Advers. XLIV, 26; Heyne ad Tibull. I, 3, 51. – *pater*, Pluto; inferos enim alloquitur. Vid. Tibull. l. c.; Stat. Theb. VIII, 22: *Dux Erebi populos poscebat crimina vitae*. – *hic* δεικτικῶς, hic Pluto, quem cerno. – *mollia*, benigna, aequa; mitem de me sententiam ferat.

19–20. Iudicium inferorum ad Romani exemplum conformavit poëta. Si non ipse Pluto de me iudicare vult, sorte constituat quaesitorem, extra ordinem quaesitorem det, qui de me cognoscat, in meam vitam inquirat. – *sedet*, verbum de iudicibus proprium, vid. Burm. ad Phaedr. I, 10, 6. – *Aeacus* sedet quaesitor et sortitur iudices, quorum nomina ex urna trahit. Vid. Heyne ad Virg. Aen. VI, 430, et Excurs. XI. – 20. *pila*, Ascon. in argumento Cic. Orat. Mil. pag. 780 ed. Graev. a Burm. laudatus: *lex iubebat, ut coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina iudicum inscripta essent, aequarentur: dein rursus postera die sortitio iudicum fieret*. Add. Gronov. ad Senec. Herc. Fur. vs. 732, 744. – *mea ossa*, i. e. manes, me. – *vindicet*, insolentius dictum pro iudicet, absque puniendi notione, quia non noxia Cornelia. Santenius explicat: sententia sua defendat, culpa absolvat.

21–28. *Assideat frater*, Rhadamanthus. – *iuxta et Minoïa sella*, scil. sit vel stet, pro ipso Minoë. – *intento foro*, supple *in*. *foro intento*, causae meae intento. *intenta silentia* dixit Val. Flacc. IV, 257. Adesse autem dicuntur Furiae iudicibus, tanquam apparitores a verberibus abstinentes et silentium facturae. Sic et Statio

Sisyphe, mole vaces: taceant Ixionis orbes.
  Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,
  Sed iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquar pro me: si fallo, poena sororum
  Infelix humeros urgeat urna meos.
Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
  Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exaequat turba Libones,

Theb. VIII, 24 Furiae dicuntur sellam inferni iudicis circumstare; et hoc a iudiciis Romanorum desumtum, vid. Cicero pro Cluentio cap. 53. Compara praeterea cum hoc loco Claud. R. P. II, 335 sqq. Senec. Med. 740 seqq. Lucian. tom. I, pag. 471. Caeterum Propertius h. l. secutus quoque est Platonem, qui Rep. lib. X, pag. 620, fingit animas defunctorum eadem, quae in priore vita tractassent, probare studia, quam eamdem opinionem exornarunt poëtae alii, vid. Virg. Aen. VI, 651; Horat. Carm. I, 10, 19; Ovid. Met. IV, 444 sqq. — 23. Cornelia audientiam sibi factura, cessent, inquit, infernales poenae, dum loquar; hoc praeclare specialibus ideis expressit poëta. — *Sisyphe*, vid. II, 17, 7; XX, 32. – *taceant*, cum dilectu, pro cessent, iaceant; concitatissimo enim per aërem motu strepitum faciebant ac sibilabant. Ovid. Met. X, 42: *stupuitque Ixionis orbis*. De Ixione vid. I, 9, 20. – *Tantaleo*, II, 1, 64; dativus graecus a Ταντκλεύς. – *improbus petat*, saevus invadat. – *tacita sera*, ablativi absoluti; *sera* pro porta. Stat. Theb. VIII, 56: *Ferrea Cerbereae tacuerunt limina portae*. – 27. *ipsa*, innocentiae suae confidens Cornelia, sibi non opus esse ait oratore et advocato, sed semetipsam suam causam esse dicturam. – *sororum*, Danaidum, vid. II, 1, 67.

29-32. Sequitur ipsa Corneliae oratio, quam a generis sui commendatione orditur. Si cuiusdam fama ex rebus maiorum suorum praeclare gestis, titulis et ornamentis, splendorem ducit: ego sane clarissima sum. Apodosis est in versu breviore. – *per avita tropaea*, per victorias insignes avorum virtute partas. – *Numantinos avos*, sunt paterni Corneliae avi, inprimis Scipio Africanus minor, Numantiae et Carthaginis expugnatione nobilis, vid. Flor. II, 18; Liv. epit. LVII, LIX; Cicero pro Murena c. 28; Aurel. Vict. Vir. Ill. cap. 58. – *loquuntur*, praedicant, vid. Cannegiet. ad Avian. II, 1; hoc ipsum autem verbum Santenio ostendere videtur, poëtam cogitasse verba Ennii ad Scipionem Africanum apud Trebell. Poll. in Claud. cap. 7: *Quantam statuam faciet Populus Romanus, quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?* eademque in animo habuisse Ciceronem, quum de eodem Scipione scriberet Acad. IV, 2: *quum historiae loquantur*. – 31. Altera turba, altera series maiorum exaequat avos maternos Libones antecedentibus paternis, gloria rerum gestarum; materni avi

Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit et adspersas altera vitta comas:
Iungor, Paule, tuo, sic discessura, cubili.
In lapide huic uni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa iacet:
Qui Persen proavi simulantem pectus Achillis,

aequales sunt celebritate paternis. Barth. Libo cognomen Scriboniae gentis, ex qua Corneliae mater. Libonum familia nobilis quoque ac splendida erat, vid. Plin. H. N. II, 35; XXXVI, 15; Cic. ad Att. XIII, 30; Suet. Tib. 25; Horat. Ep. I, 19, 8. – *domus utraque*, paterna et materna. – *titulis*, intelliguntur monumenta publica, statuae, nummi etc. quibus incisae epigraphae, memoriam viri de republica optime meriti, cui hic honos haberetur, propagabant.

33–36. Castitatem et pudicitiam suam commemorat. Ornati versus. Quum ad pubertatem transiissem, et maritanda essem, tua coniux facta sum. — *cessit praetexta*, nempe toga, nuptiarum die eam deponere solebant puellae et induere tunicam, vid. Manut. de toga romana in Graev. Thes. tom. VI, pag. 1192. – *facibus*, vid. ad eleg. 3, 13. — *adspersas comas*, vid. Obss. sponsae crines aqua adspergebantur nuptiarum die, vid. eleg. 3, 15. – *altera vitta*, nempe maritalis, deposita virginali, vid. Val. Flacc. VIII, 6; Spanhem. ad Callim. h. in Cer. vs. 5; Turneb. Advers. XXIII, 5. – *sic discessura*, recte Passerat. ut iam discessi, non divortio, sed morte. – *huic uni nupta*, laus pudicitiae mulieris uni tantum nupsisse. Val. Max. II, 1, 3: *quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae honorabantur*. Conf. interpp. ad Minuc. Felic. pag. 226; Kirchmann. F. R. III, 20; Markland. ad Stat. Silv. p. 242; Burm. ad Anthol. Lat. tom. II, pag. 127. Celebrantur quoque univirae Inscriptt. ap. Gruter. pag. 307, 3, pag. 305, 2; et Dorvill. Obss. Misc. Nov. tom. III, pag. 130.

37–40. Pietatis ac probitatis suae testes facit maiorum cineres. – *Africa tonsa iacet*, significatur monumentum, statua Scipionis Africani, cuius pedibus victarum gentium nomina inscripta erant, et adiacebant mulieres tonsis capillis, devictas gentes referentes, quales in nummis conspiciuntur. De ritu captivos tondendi omnia nota; vid. Heins. ad Ovid. Fastor. I, 645; Delrius ad Claudian. I in Rufin. 379; Victor. Lectt. Var. XXVIII, 9. Haec saltem interpretatio maiorem vim atque vigorem orationi conciliat, quam si cum aliis *tonsa* metaphorico sensu capias, ut omnino clades bellica significetur, ut ap. Cic. Tusc. V, 17: *consiliis nostris laus est attonsa Laconum*, ut ibi vertit epigr. de Epaminonda apud Pausan. Boeot. pag. 565: *ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν*· vid. Taylor. ad Aesch. c. Ctesiph. p. 605, ed. R. – 39. Vulgaris lectio: Et *Persen* – *Quique tuas proavo* etc. Vid. Obss. – *Qui* etc. testor eum, qui Persen vicit. Intelligitur Aemilius Paulus Macedonicus.

Et tumidas proavo fregit Achille domos:
Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
Labe mea nostros erubuisse focos.
Non fuit exuviis tantis Cornelia damnum:
Quin et eram magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas: sine crimine tota est.
Viximus insignes inter utramque facem.

(III, 3, 8) ex cuius gente ipsius Corneliae maritus Paulus, sed eum ipsa quoque Cornelia, ut bene monuit Santenius ad h. l. cognatione procul dubio tangebat, quum Africanus Maior in matrimonio habuerit Aemiliam, M. Aemilius Lepidus aliam Corneliam, et Pauli Macedonici filius ab Africano Minore adoptatus fuerit. – *simulantem pectus Achillis*, mentiebatur et simulabat animos Achillis, non referebat vero virtutem ipsius. Hoc sensu *simulare* Horat. Epist. I, 19, 13, et *assimulare* ap. Tac. Ann. IV, 59: *assimulabatque iudicis partes*. Vid. Heins. ad Vell. Paterc. I, 9. – *proavo Achille*, Macedonum enim reges, adeoque Perses, eorum ultimus, ab Aemilio victus, ab Achille genus ducebant, vid. Heyne ad Virg. Aeneid. VI, 840

41–44. *neque censurae legem mollisse*, Cornelia testes quidem facit vitae laudabiliter actae suos maiores, sed propterea non necesse est, ut h. l. de censura cuiusdam maiorum suorum, vel ipsius Aemilii Pauli Macedonici modo memorati cum Santenio cogitetur, immo maritum censorem innuit, coll. vs. 67, et sensus est: non peccatis meis maritum Censorem coegi, ut severus Censor ob exempla domestica non esset. Legitur etiam voc. *censura*, maxime ap. hist. Aug. scriptores, de morum integritate et gravitate, vid. Casaub. ad Trebell. Poll. in Gallieno cap. 3; Salmas. ad Capitolin. Antonin. cap. 22, pag. 376: sed haec significatio ab h. l. plane aliena – *focos*, i. e. lares, qui ad focum in atrio stabant. Vid. Ernesti Clav. Cic. sub voc. *ara*. – 43. *exuviae*, pro victoriis et triumphis, Claudian. Laud. Serenae vs. 50, tum pro fama, gloria per triumphos parta. – *damnum* pro damno, graec. οὐ λώβη. – *magnae domus*, illustris gentis. – *pars imitanda*, cuius virtutes imitandae et aemulandae.

45–50. Virtutis ac honestatis per omnem vitam studiosa fui. – *aetas*, i. e. vita, vivendi ratio. – *viximus*, ego et Paulus meus, coll. vs. 35, *insignes*, nempe virtute. – *inter utramque facem*, scil. nuptialem et rogalem, i. e. a die nuptiarum usque ad funus, omni matrimonii tempore; utraque *fax* coniungitur quoque apud Ovid. Heroidd. XXI, 172; vid. Delrius ad Senec. Herc. in Oet. vs. 1658; Pricaeus ad Apulei. pag. 240 sqq.; Gorius tom. II Inscr. Florent. pag. 22. – 47. Naturae ingeniique similitudo a maioribus meis ad me pervenit, origo mea mihi dedit leges, ut ad animi perfectionem mihi non opus esset iudicis metu, ut tum, quum viverem, non possem esse melior metu, eram enim per naturam optima. Hor. Epist. I, 16, 52 sqq.: *Oderunt peccare boni virtutis amore; Tu nihil admittes in te, formidine poenae*, Theo-

Mi natura dedit leges a sanguine ductas:
  Ne possim melior iudicis esse metu.
Quamlibet austeras de me ferat urna tabellas;
  Turpior adsessu non erit ulla meo.
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybebem,
  Claudia, turritae rara ministra deae:
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
  Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi.

erit. Id. XVII, 13: Ἐκ πατέρων οἷος μὲν ἔην τελέσαι μέγα ἔργον Ὁ Λαγίδας Πτολεμαῖος. – 49. Nihil mea interest, quaenam iudicum nomina ex urna protrahantur, vid. ad vs. 19, non reformido iudicium vel severissimum; at quanto ornatius haec poëta extulit! Licebat autem apud Romanos accusatori aeque ac reo, iudices sibi suspectos reiicere, vid. Plin. Panegyr. cap. 36. – *quamlibet*, quamvis – *Turpior* etc. Passerat. et Broukhus. haec verba explicant de more, quo in iudiciis amici reis assidebant. Sed lubens adstipulor Santenio, qui respexisse putat Corneliam ad sedem, quae sibi, iudicio absolutae, apud inferos adsignaretur, et quae nulli foeminae, castitatis laude cummaxime clarae, dedecori foret. Castae enim castis, formosae assident formosis, el. 7, 64, 69; II, 28, 27: sceleratae sceleratis, Tibull. I, 75 sqq.; Lucian. dial. mortuor. XVIII.

51–54. Vlterius et praeclare sententiam vs. 50 propositam exornat. – *Vel tu*, si vel tu mihi assideres Claudia etc. Claudia, Appii Caeci filia, Vestalis virgo, de stupro falso suspecta, (*casta quidem, sed non credita: rumor iniquus Laeserat, et falsi criminis acta rea est* Ovid. Fast. IV, 307 sqq.) navem, in qua Cybebe e Phrygia Romam adducta erat, quum sederet *limoso pressa carina vado* Ov. l. c. vs. 300; fune i. e. cingulo adhibito traxit, *et castas casta secuta est dea manus* Ovid. vs. 324. Claudia vero *credita vix tandem teste pudica dea* Ovid. l. c. vs. 344; Conf. Herodian. I, 35; Duker. ad Liv. XXIX, 14, 12; Drakenborch. ad Sil. It. I, 33; XVII, 40; Heins. et Gesner. ad Claudian. Laud. Seren. vers. 18. – *rara*, singularis exempli. – *turrita*, vid. ad III, 17, 35. – 53. *Vel cui*, vel tu cui etc. significat Aemiliam virginem Vestalem, de qua Dionys. Hal. lib. II: quum olim ignis Vestae defecisset, negligentius asservante Aemilia, quae eius custodiam alteri novitiae Vestali mandasset, venit in suspicionem, quasi parum caste rem sanctissimam tractasset: tum inops consilii, Vestam prius apprecata, iniecit arae avulsam partem carbasinae vestis; ac tum e frigido cinere per carbasum flamma emicuit. Passerat. Vid. Val. Max. I, 1, 7, ibique Kapp. Guellius ad Virgil. Aen. V, 744; interpp. ad Claudian. Bel. Get. 232. — *reposceret*, quam opportune positum! — *vivos focos*, docte pro igne ardente. — *carbasus*, vid. ad el. 3, 64.

55—60. Suavissimi versus, eximio cum artificio singula posita. Virtutem

In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,
Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.
Ille, sua nata dignam, vixisse sororem
Increpat: et lacrymas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paule, meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;

suas exemplis Cornelia probat. — *Scribonia*, Libonis soror, uxor Augusti, cum qua tamen divortium fecit, vid. interpp. ad Sueton. Aug. cap. 62; Perizon. Epist. ad Morell. de Num. Consul. pag. 222, et Morell. Thes. Fam. Rom. tom. I, pag. 375. — *In — velis*, optime Passeratius: nihil deliqui, mors tantummodo mea immatura tibi dolori fuit. — 58. *Defensa et gemitu C.*, satis perspicue ex his verbis patet, malos rumores a malevolis de Cornelia sparsos fuisse: illos vero rumores falsos et iniquos fuisse, satis luculenter demonstrasse ait Augusti lacrymas. Hinc quoque perspicitur, quam insigni cum dilectu supra vs. 51, 53, Claudiae et Aemiliae mentio facta sit. Minus vero recte ex his et vers. 60 verbis coniecisse mihi videntur interpretes, Augustum oratione funebri laudasse Corneliam, nam Suetonius hac de re silet; et ex verbis *lacrymas vidimus ire deo* non nisi hoc sequitur, Augustum lacrymantem funeris exequias prosecutum esse. Apposite cum h. l. contulit Santenius locum Albinov. Epiced. Drusi vs. 465: *Denique laudari sacrato Caesaris ore Emerui, lacrymas elicuique deo — Et voce et lacrymis laudasti, Caesar, alumnum.* — 59. *sua nata*, Iulia, quam Augusto peperit Scribonia; Cornelia igitur Iuliae semisoror erat. — *increpat*, conqueritur nempe vixisse, non amplius vivere, sororem sua nata dignam. — *deo*, vid. ad III, 4, 1. Ad miserationem faciendam exquisite addit poëta *lacrymas isse deo*, vid. II, 16, 54; Virg. Aen. I, 229.

61—64. Me vixisse, mortem meam praematuram, lugebant omnes; quamquam vero adolescens mortua sum, tamen foecunda trium liberorum mater fui. Etenim *generosos vestis honores* recte explicant interpretes, tantum non omnes, de veste matronali, quae foecundis mulieribus concedebatur, et matribus trium liberorum, v. Turneb. Advers. XXIII, 7. — *nec rapina facta*, nec mors me rapuit sterilem. — 63. *Lepide*, *Paule*, Corneliae filii, *post fata levamen*, solatium mortis praematurae, quum vos florentes reliquerim. — 64. Mihi, in vestro sinu positae, oculos clausistis, vid. Albinov. ad Liv. vs. 89 sqq.; Callim. epigr. 42 a Vulp. laudat.: Καί μοι τέκν' ἐγένοντο δύ' ἄρσενα, κἠπέμυσ' ἐκείνων Εὐγήρως ἐνὶ χερσὶν, ἔρπε χαίρων. Anal. Brunck. I, 472.

65–72. Ad generis ostentationem quoque effert, et in magna felicitatis

Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus: mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis non mea fata malis.
Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Haec cura et cineri spirat inusta meo.

suae parte ponit, quod viderit *fratrem*, P. Cornelium Scipionem, *sellam geminasse curulem*, bis magistratus curules gessisse, aedilitatem et praeturam. Sic fere et Ovidius dixit, *geminabit honorem Filius*, Pont. III, 4, 99. — *Consule quo facto*, creatus est consul A. V. DCCXXXVIII, cum L. Domitio. — *rapta soror*, me rapuit mors. – *tempore*, explicant, opportune, tempestive, quum iam sat felix fuissem, quum liberos peperissem et fratrem consulem vidissem. *tempore*, pro opportune, Plaut. Asin. III, 3, 143. Epidico III, 3, 25 al. – 67. Filia nata, ut sis specimen censurae paternae, ut censuram patris moribus tuis exprimas, v. vs. 41; meum exemplum imitare, et sis unius tantum viri sancta et casta uxor, coll. vs. 36. Cornelia pia in maritum uxor, decore laudibus effert censuram mariti, de qua tamen Vellei. Pat. II, 95: *Censura Planci et Pauli, acta inter discordiam, neque ipsis honori, neque reipublicae usui fuit.* — 69. *serie fulcite genus*, gentem nostram longo liberorum nepotumque ordine propagate. *fulciri* enim familia dicitur, uxore ducta liberisque procreatis, et filii dicuntur σθένος ας στῦλοι οἴκων Eurip. Iphig. Taur. 57; Troad. 570, vid. Burm. ad Val. Fl. I, 721; Stat. Silv. IV, 7, 30; Virg. Aen. XII, 59. – *mihi cymba* etc. lubens Charontis cymbam ingressa sum, quum sic mala multa, curas et aerumnas effugerim, quum sic non auctura sint nova mala, mea infortunia, quae habui. Respicit socerum a Triumviris olim proscriptum, matrem ab Augusto repudiatam. Sed poëta, qui Paulum Corneliae maritum consolari volebat et Augustum reverebatur, notabili cum brevitate h. l. Corneliam dolores, quos, quum in vivis esset, pertulerat, commemorare iubet. Caeterum conf. Obss. — 71. Hoc quidem satis honori et gloriae est foeminis, et quasi instar triumphi, si post mortem, ubi et metus et adulatio abest, adhuc laudantur, quod mihi contigit. Barth. — *extrema merces triumphi*, ornate pro simpl. maximus triumphus, maximum praemium. — *emeritum rogum*, docte pro rogo extincto, rogo, qui ardere desiit, vid. Heins. ad Ovid. Met. XV, 186, i. e. h. l. foeminam, post mortem.

73–80. Egregie omnia ad affectus amoris tenerrimi veritatem. Comparant Virg. Aen. II, 789; Chariton VIII, 4, pag. 134, ubi vid. Dorville. — 74. Haec mihi unica post mortem cura, de hoc unice post mortem sollicita sum, ut tibi (ad maritum orationem convertit) curae sint liberi nostri. Sed

Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum
 Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adiice matris.
 Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis:
 Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paule, fatiges:
 Somniaque in faciem credita saepe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
 Vt responsurae singula verba iace.

multo exquisitius haec dixit poëta. — *spirat*, vivit, ornate pro est. — *inusta* est quasi cineri meo. Cicer. de Orat. II, 45: *omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur.* Harusp. Resp. 25: *inustum animis hominum odium.* — 75. Locus adumbratus ex Eurip. Alc. 375, 377: *Επὶ τοῖσδε παῖδας χειρὸς ἐξ ἐμῆς δέχου — Συ νῦν γένου τοῖσδ' ἀντ' ἐμοῦ μήτηρ τέκνοις.* — *illa turba meorum*, liberi mei, infra vers. 98, *caterva.* — *collo ferenda tuo* suavissima imagine dixit, pro tibi est eorum cura habenda. — 79. Quum te dolori dare vis, ne sint liberi nostri lacrymarum tuarum testes! — *siccis – genis*, dum liberos oscularis, eos siccis genis falle. Apposite attulit Santenius locum Plin. epp. III, 16: *Quum diu cohibitae lacrymae vincerent, prorumperentque, egrediebatur; tunc se dolori dabat. Satiata, siccis oculis, composito vultu redibat, tanquam orbitatem foris reliquisset.*

81–84. *Noctes* etc. satis tibi sit tristes propter me consumere noctes, eas cum dolore perferre. — *fatigare*, docte pro consumere, exigere, tribuit sensum rei inanimatae, ut Virg. Aen. VIII, 94: *Olli remigio noctemque diemque fatigant.* Vbi vid. Heyne. — 82. Colorem orationis illustrabit comparatio loci Eurip. Alc. 353 sqq. — *somniaque*, nempe tibi sat sint. — *credita*, oblata, data. Nihil amplius. — *in faciem meam*, concise dictum pro somnia faciem meam tibi referentia, somnia, visa nocturna, ad oris habitusque mei similitudinem. — 83. Conf. Eurip. Alc. 348 sqq.; Ovid. Heroidd. XIII, 152. — *secreto*, sine testibus liberis, aliisve. — *ad simulacra loqueris*, solebant mortuorum imagines, velut praesentes, alloqui, vid. quos laudavit Santenius: Ovid. Heroidd. VII, 99, 101; Rem. Am. 724; Stat. Silv. III, 3, 200 seqq.; Apulei. Met. VIII, pag. 157; Barth. Advers. IV, 22; interpp. ad Sil. VIII, 91, et Mariette tom. II, *des pierres gravées*, ubi uxor I. Caesaris sedens eius imaguneulam alloquitur. Est vero et h. l. de simulacro Corneliae in cubiculo maritali sermo, ut vel Eurip. locus citatus docet. De imaginibus cubicularibus vid. Casaub. ad Sueton. Aug. cap. 7, pag. 240 sqq. ed. Wolfii. Neque enim cum Degenio Anthol. Eleg. Rom. pag. 207, mihi persuadere possum, hanc ideam loquentis Pauli

Seu tamen adversum mutarit ianua lectum,
  Sederit et nostro cauta noverca toro:
Coniugium, pueri, laudate, et ferte paternum.
  Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
  Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
  Et tanti cineres duxerit esse meos:
Discite venturam iam nunc lenire senectam,
  Caelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.

cum cara uxore defuncta nil esse, nisi memoriam Corneliae animatam ac poëtice expressam, adeoque *nostra ad simulacra*, quum non verum simulacrum intelligendum sit, omnino docte positum esse pro ad me; loquere ut cum quadam responsura ad singula. — Iam illa defunctorum simulacra credebant veteres annuere vel negare, vid. Dorvill. ad Charit. pag. 169. Itaque sensus verborum esse potest hic; vota precesque tuas audiam, conquerere mihi, et spera responsa remitti. Sil. It. l. c. At potest et hic verbis subesse sensus: Noli tuo dolori nimis indulgere, sed si in secreto doles, si ad simulacrum meum loqueris, loquere ac si praesens tibi adessem, te audirem, tibi responderem. Nimio enim luctu Manes laedi credebantur, vid. interpp. ad Tibull. I, 1, 67. Sic omnia optime cohaerent.

85–90. Apostrophe ad liberos, quibus pietatem et modestiam commendat, nova uxore a patre domum ducta. — *adversum lectum*, lectus genialis ex adverso, e regione ianuae in atrio stabat, hinc *adversus* dicitur, nova nupta domum ducta, hic lectus mutabatur, novus lectus supponebatur, hinc h. l. *seu mutarit lectum*, vid. Ascon. ad Cic. pro Milon. cap. 5; Torrent. ad Horat. epp. I, 1, 87; Wouwer. ad Petron. cap. 26, pag. 88 sqq. — *Sederit toro*, matres familias puellaeque ingenuae lanam facientes, omninoque operantes, torum premere solebant I, 3, 12, coll. 41 sqq. al. — *cauta*, quae facile suspicionibus locum dat, l. quae sibi a privignis metuit. — *Capta dabit manus*, eleganter dictum pro pietate obsequioque vestro vincetur, vobis benevola erit. *Manus dare*, locutio solemnis de iis, qui victos se fatentur, Ovid. Heroid. IV, 14; Trist. I, 3, 88; Plaut. Pers. V, 2, 72. — 89. Nolite matrem (exquisite, pro me) multo sermone celebrare, ne succenseat noverca laudantibus, vid. eleg. 7, 41. — *priori*, Pauli uxori.

91–98. Quod si pater vester mei amore ductus, caelebs, quod reliquum vitae est, vivere constituat. Vid. Eurip. Alc. 330 sqq. — *Caelibis – via*, omni modo senis curam habete; bene Vulp. nullum officium praetermittite, quod pietati vestrae in parentem caelibem convenire videatur. *Via*, pro modo et ratione, frequens. — *Prole mea*,

Prole mea Paulum sic iuvet esse senem.
Et bene habet: nunquam mater lugubria sumsi.
Venit in exsequias tota caterva meas.
Causa perorata est: flentes me surgite testes,
Dum pretium vitae grata rependit humus.
Moribus et coelum patuit: sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa vehantur avis.

propter prolis meae obsequium et sedulitatem in levandis senectutis incommodis atque molestiis. Vulpius: aetas illa ingravescens, quae aliis molesta est, hac conditione ipsum delectet. — 97. *bene habet*, gratulantis suae fortunae est; laetatur liberos suos non in iuventute decessisse; ego, inquit, sorte mea contenta sum. — *lugubria*, scil. vestimenta, ut ap. Ovid. Met. XI, 669. — *caterva*, supra vers. 76, *turba*. Martial. X, 63: *Quinque dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas; Clauserunt omnes lumina nostra manus.*

99–102. *Causa perorata est*, finita est mea ad iudices oratio. Saepius hac voce eo sensu Cicero usus est Acad. IV, 48, ad Attic. IV, 2, de Orat. I, 2, al. — *surgite*, nempe dicturi. Passeratius: Erant iudicum, reorum, accusatorum et testium subsellia, qui omnes dicturi surgebant, postquam dixerant, rursus adsidebant. — *testes*, supra vs. 21 sqq. memorati. — *humus*, pro terra, opponitur coelo. Sensus: dum grati homines mihi rependunt praemium vitae laudabiliter actae, me nimirum post obitum laudando, coll. vers. 71 seqq. Broukhus. *humus*, de inferis accipit. Santenius, de terra, ut quietem respiciat Cornelia, et voveat, ut ossa molliter cubent. Male. — *Moribus et coelum patuit*, ob vitam sancte atque honeste peractam ipsum coelum patere debuit. — *sim digna merendo*, utinam digna a vobis ob mea merita iudicer, quae vehar ad avos in Elysium, ad Scipiones et Libones, claros illos et honoratos viros. — *ossa*, i. e. manes, ut vs. 20. — *vehantur avis*, pro ad avos advehantur. Postquam igitur Cornelia de culpae omnis suspicione, coll. vs. 58 sqq., se purgavit, causamque peroravit, optat, ut a iudicibus inferorum, quum ei ob virtutis merita vel coelum ipsum patere debuerit, digna iudicetur, quae in Elysium vehatur. Conf. Obs.

# INDEX NOMINVM

## L

## M

## Q



## R

## V

# INDEX VERBORVM

## D

F

I

## N

## O

## P

## S

## T

# COLLATIO

## BROVKHVSIANAE EDITIONIS

### CVM VVLGATIS.

*Ex edit. Londin. Michaëlis Maittairii.*

| Edit. Broukh. *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* | | | Edit. vulg. *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 8 | 13 | distichon hoc postponitur proximo. | | | | |
| 2 | 1 | 48 | Posse frui | | 2 | 1 | 48 |
| | | 49 | His saltem | | | 3 | 45 |
| | | 50 | Venerit | | | | 46 |
| | | 51 | Sed memini | | | 1 | 49 |
| | | 52 | Brachia, | usque ad | | | 70 |
| | | 73 | Non hic herba | | | 4 | 7 |
| | | 80 | Sic est incaut. | usque ad | | | 14 |
| | | 81 | Quandocunque | | | 1 | 71 |
| | | 88 | Huic misero | usque ad | | | 78 |
| | 2 | 1 | Qui nullam | | | 3 | 1 |
| | | 4 | Et turpis | usque ad | | | 4 |
| | | 5 | Liber eram | | | 2 | 1 |
| | | 6 | At me | | | | 2 |
| | | 7 | Quaerebam | | | 3 | 5 |
| | | 10 | Differtur | usque ad | | | 8 |
| | | 11 | Ac Veluti | | | | 47 |
| | | 18 | Mox Amyt. | usque ad | | | 54 |
| | | 19 | Nec me | | | | 9 |
| | | 54 | Vret et Eoos | usque ad | | | 44 |
| | | 55 | Cur haec in terris | | | 2 | 3 |
| | | 68 | Etsi Cumaeae | usque ad | | | 16 |
| | 3 | | | | | 4 | |
| | 4 | | | | | 5 | |
| | 5 | 14 | Et miser | | | 6 | 14 |
| | | 15 | Felix Admeti | | | | 23 |
| | | 32 | Quam peccare | usque ad | | 7 | 40 |
| | | 6 | Nec mea dicetur | | | 8 | 6 |
| | 6 | 7 | Hic olim ignaros | | 3 | 18 | 29 |
| | 7 | 8 | Atridae magno | | | | 30 |
| | | 9 | His olim | | 2 | 6 | 15 |
| | | 16 | Per te nunc | usque ad | | 6 | 22 |
| | | 17 | Ille etiam | | | 8 | 29 |
| | | 28 | Mirum | usque ad | | | 40 |
| | | 29 | Magni saepe | | | | 9 |
| | | 30 | Et Thebae | | | | 10 |
| | | 31 | Omnia vertuntur: | | | | 7 |

| Edit. Broukh. Lib. | Eleg. | Vers. | | | Edit. vulg. Lib. | Eleg. | Vers. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 7 | 32 | Vinceris | | 2 | 8 | 8 |
| | | 33 | Iste quod est | | | 9 | 1 |
| | | 34 | Hoc ipso | | | | 2 |
| | | 35 | Munera quanta | | | 8 | 11 |
| | | 40 | In nostrum | usque ad | | | 16 |
| | | 41 | Penelope | | | 9 | 3 |
| | | 78 | Sanguis erit | usque ad | | | 40 |
| | | 79 | Sic igitur | | | 8 | 17 |
| | | 90 | Mors iuhon. | usque ad | | | 28 |
| | | 91 | Sidera | | | 9 | 41 |
| | | 98 | Ille vir in | usque ad | | | 48 |
| | 8 | 1 | Non ob regna | | | | 49 |
| | | 4 | Mortem ego | usque ad | | | 52 |
| | | 5 | Sed tempus | | | 10 | 1 |
| | | 30 | Sed modo | usque ad | | | 26 |
| | | 31 | Scribant | | | 11 | 1 |
| | | 36 | Nec dicet | usque ad | | | 6 |
| | 9 | 1 | Quicunque ille fuit | | | 12 | |
| | 10 | | | | | 13 | |
| | 11 | | | | | 14 | |
| | 12 | 2 | Lectule | | | 15 | 2 |
| | | 3 | Nam modo | | | | 5 |
| | | 4 | Interdum | | | | 6 |
| | | 8 | Oscula | usque ad | | | 10 |
| | | 9 | Quam multa | | | | 3 |
| | | 10 | Quantaque | | | | 4 |
| | | 11 | Non iuvat | | | | 11 |
| | | 54 | Forsitan | usque ad | | | 54 |
| | 13 | | | | | (16 | |
| | | | | | | (17 | |
| | 14 | 4 | Aut si quid | | | 18 | 4 |
| | | 5 | Quin ego deminuo | | | | 21 |
| | | 6 | Huic malus | | | | 22 |
| | | 7 | Quid si iam | | | | 5 |
| | | 22 | Ipsa anus | usque ad | | | 20 |
| | | 23 | Cum tibi nec | | | | 33 |
| | | 24 | Frater ego | | | | 34 |
| | | 25 | Nunc etiam | | | | 23 |
| | | 26 | Ludis | | | | 24 |
| | | 27 | An si caeruleo | | | | 31 |
| | | 28 | Tinxerit | | | | 32 |
| | | 29 | Vt natura | | | | 25 |
| | | 34 | Mi formosa | usque ad | | | 30 |
| | | 35 | Ipse tuus | | | | 35 |
| | | 38 | Et terram | usque ad | | | 48 |
| | 15 | | | | | 19 | |
| | 16 | | | | | 20 | |
| | 17 | | | | | 21 | |
| | 18 | | | | | (22 | |
| | | | | | | (23 | |
| | | 90 | Parcius | usque ad | | (24 | 11 |
| | | 58 | Herculis | | | 23 | 8 |
| | | 59 | Et modo | | | 24 | 11 |
| | | 64 | Fallaci dominae | usque ad | | | 16 |

| Edit. Broukh. | | | | | Edit. vulg. | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* | | | *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* |
| 2 | 18 | 65 | Cernere uti | | 2 | 33 | 9 |
| | 19 | 1 | Hoc erat | | | 24 | 17 |
| | | 16 | Dissidium | usque ad | | | 32 |
| | | 17 | Dura est | | | | 47 |
| | | 18 | Et se plus | | | | 48 |
| | | 19 | At me non | | | | 33 |
| | | 32 | Et modo | usque ad | | | 46 |
| | | 33 | Noli nobilibus | | | | 49 |
| | | 36 | Demissis | usque ad | | | 12 |
| | | 37 | Vnica nata | | | 25 | 1 |
| | | 46 | Sive ego | usque ad | | | 20 |
| | | 47 | Et secla | | | | 31 |
| | | 50 | Vnusquisque | usque ad | | | 38 |
| | | 51 | Nonne fuit | | | | 11 |
| | | 74 | Invidiam | usque ad | | | 34 |
| | | 75 | At vos | | | | 39 |
| | | 84 | Vna sit | usque ad | | | 48 |
| | 20 | | | | | (26 | |
| | | | | | | (27 | |
| | 21 | 2 | Tam formosa | | | 28 | 2 |
| | | 3 | Hoc tibi | | | | 33 |
| | | 4 | Frangitur | | | | 34 |
| | | 5 | Venit enim | | | | 3 |
| | | 6 | Incipit | | | | 4 |
| | | 34 | Et Deus | usque ad | | | 32 |
| | | 35 | Deficiunt magico | | | | 35 |
| | | 62 | Votivas | usque ad | | | 62 |
| | 22 | | | | | 29 | |
| | 23 | 1 | Quaeris | | | 31 | 1 |
| | | 16 | Pythius | usque ad | | | 16 |
| | | 17 | Illic adspicias | | | 30 | 27 |
| | | 20 | Denique ut | usque ad | | | 30 |
| | | 21 | Qui videt | | | 32 | 1 |
| | | 22 | Non cupiet | | | | 2 |
| | | 23 | Quod si nemo | | | 30 | 31 |
| | | 24 | Communis | | | | 32 |
| | | 25 | Vna contentum | | | | 23 |
| | | 28 | Roscida | usque ad | | | 26 |
| | | 29 | Nec tu virginibus | | | | 33 |
| | | 36 | Nam sine te | usque ad | | | 40 |
| | | 37 | Hoc utinam | | | 32 | 7 |
| | | 40 | In nemus | usque ad | | | 10 |
| | | 41 | Nam quid Praenestis | | | | 3 |
| | | 44 | Appia | usque ad | | | 6 |
| | | 45 | Scilicet | | | | 11 |
| | | 52 | Non urbem | usque ad | | | 18 |
| | | 53 | Quo fugis | | | 30 | 1 |
| | | 64 | Si modo | usque ad | | | 12 |
| | | 65 | Nunc iam dura | | | | 19 |
| | | 68 | Et ferre | | | | 22 |
| | | 69 | Nil agis | | | 32 | 19 |
| | | 70 | Tendis iners | | | | 20 |
| | | 80 | Consumta est, | usque ad | | | 30 |
| | | 81 | Ista senes | | | 30 | 13 |

| Edit. Broukh. *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* | | | Edit. vulg. *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 23 | 86 | Turpia | usque ad | 2 | 30 | 18 |
| | | 87 | Tyndaris | | | 32 | 31 |
| | | 118 | Semper vivo | usque ad | | | 62 |
| | | | | | | 33 | |
| | | | | | | 34 | |
| | 24 | | | | | (1 | |
| | 25 | | | | | (2 | |
| 3 | 1 | | | | | 3 | |
| | 2 | | | | | (4 | |
| | 3 | | | | | (5 | |
| | 4 | | | | | 6 | |
| | 5 | 8 | Et nova | | | 7 | 8 |
| | | 9 | Flens tamen | | | | 55 |
| | | 20 | Vltima | usque ad | 3 | | 66 |
| | | 21 | Paete quid | | | | 17 |
| | | 24 | Omnia detrito | usque ad | | | 20 |
| | | 25 | Et mater | | | | 9 |
| | | 32 | Portabat | usque ad | | | 16 |
| | | 33 | O centum | | | | 67 |
| | | 36 | Non poterat | usque ad | | | 70 |
| | | 37 | Reddite | | | | 25 |
| | | 46 | Quid meritum | usque ad | | | 34 |
| | | 47 | Fortuna insidias | | | | 37 |
| | | 48 | Vt tibi | | | | 38 |
| | | 49 | Ventorum | | | | 35 |
| | | 50 | Conseruit | | | | 36 |
| | | 51 | Sunt Agamemnonias | | | | 21 |
| | | 54 | Pro qua mactata | usque ad | | | 24 |
| | | 55 | Saxa | | | | 39 |
| | | 58 | In mare | usque ad | | | 42 |
| | | 59 | Hunc parvo | | | | 53 |
| | | 60 | Paetus ut | | | | 54 |
| | | 61 | Non tulit | | | | 47 |
| | | 66 | Et miser | usque ad | | | 2 |
| | | 67 | Quodsi contentus | | | | 43 |
| | | 70 | Pauper | usque ad | | | 46 |
| | | 71 | At tu saeve | | | | 71 |
| | | 72 | Ante fores | | | | 72 |
| | 6 | | | | | 8 | |
| | 7 | | | | | 9 | |
| | 8 | | | | | 10 | |
| | 9 | 58 | Femineos | | | 11 | 58 |
| | | 59 | Nunc ubi | | | | 67 |
| | | 60 | Et modo Pompeia | | | | 68 |
| | | 61 | Hannibalis | | | | 59 |
| | | 68 | Vix timeat | usque ad | | | 66 |
| | | 69 | Leucadius | | | | 69 |
| | | 72 | Caesaris | usque ad | | | 72 |
| | 10 | | | | | 12 | |
| | 11 | | | | | 13 | |
| | 12 | 12 | Virginiumque | | | 14 | 12 |
| | | 13 | Et modo | | | | 15 |
| | | 14 | Sectatur | | | | 16 |

| Edit. Broukh. Lib. | Eleg. | Vers. | | | Edit. vulg. Lib. | Eleg. | Vers. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 12 | 15 | Qualis Amazonidum | | 3 | 14 | 13 |
| | | 16 | Thermodontiacis | | | | 14 |
| | | 17 | Qualis et Eurotae | | | | 17 |
| | | 34 | Carior | usque ad | | | 34 |
| | 13 | | | | | 15 | |
| | 14 | | | | | 16 | |
| | 15 | | | | | 17 | |
| | 16 | 28 | Croesum | | | 18 | 28 |
| | | 29 | At tibi, nauta, | | | | 31 |
| | | 32 | Caesar ab | usque ad | | | 34 |
| | 17 | 28 | | | | 19 | |
| | 18 | 10 | Fidus ero | | | 20 | 10 |
| | 19 | 1 | Nox mihi prima | | | | 13 |
| | | 2 | Longius | | | | 14 |
| | | 3 | Tu quoque | | | | 11 |
| | | 4 | Phoebe | | | | 12 |
| | | 5 | Foedera | | | | |
| | | 20 | Semper amet, | usque ad | | | 30 |
| | 20 | | | | | 21 | |
| | 21 | | | | | 22 | |
| | 22 | | | | | 23 | |
| | 23 | | | | | (24 | |
| | | | | | | (25 | |
| 4 | 1 | 70 | Has meus | | 4 | 1 | 70 |
| | | 71 | Dicam | | | | 87 |
| | | 72 | Et maris, | | | | 88 |
| | | 73 | Quo ruis | | | | 71 |
| | | 84 | Iupiter | usque ad | | | 82 |
| | | 85 | Dixi ego | | | | 89 |
| | | 104 | Trames | usque ad | | | 108 |
| | | 105 | Felicesque | | | | 83 |
| | | 108 | Laetus et Hesp. | usque ad | | | 86 |
| | | 109 | Exemplum | | | | 109 |
| | | 150 | Octipedi | usque ad | | | 150 |
| | 2 | | | | | 2 | |
| | 3 | 34 | Et Tyria | | | | 34 |
| | | 35 | Cogor | | | | 37 |
| | | 36 | Qualis | | | | 38 |
| | | 37 | Et disco | | | | 35 |
| | | 38 | Quot | | | | 36 |
| | | 39 | Quae tellus | | | | 39 |
| | | 72 | Subscribam | usque ad | | | 72 |
| | 4 | 16 | Vrgeba | | | 4 | 16 |
| | | 17 | Vidit | | | | 19 |
| | | 18 | Pictaque | | | | 20 |
| | | 90 | Haec virgo | usque ad | | | 92 |
| | | 91 | Et satis una | | | | 17 |
| | | 92 | Quae voluit | | | | 18 |
| | | 93 | A duce | | | | 93 |
| | | 94 | O vigil | | | | 94 |
| | 5 | | | | | 5 | |
| | 6 | | | | | 6 | |
| | 7 | 20 | Fecerunt tepidas | | | | 20 |

| Edit. Broukh. | | | | | Edit. vulg. | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* | | | *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* |
| 4 | 7 | 21 | Nec crepuit | | 4 | 6 | 25 |
| | | 22 | Laesit | | | | 26 |
| | | 23 | Foederis | | | | 21 |
| | | 26 | Vnum impetr. | usque ad | | | 24 |
| | | 27 | Denique | | | 7 | 27 |
| | | 34 | Iniicere | usque ad | | | 34 |
| | | 35 | Quo modo | | | | 39 |
| | | 42 | Per nomen | usque ad | | | 46 |
| | | 43 | Lygdamus | | | | 35 |
| | | 44 | Sensi | | | | 36 |
| | | 46 | Ducet damn. | usque ad | | | 38 |
| | | 47 | Te patiente | | | | 47 |
| | | 99 | Inter compl. | usque ad | | | 96 |
| | | | | | | (8 | |
| | 8 | | | | | (9 | |
| | 9 | | | | | 10 | |
| | 10 | 22 | Praebebant | | | 11 | 22 |
| | | 23 | Necdum ultra | | | | 25 |
| | | 24 | Nomentum | | | | 26 |
| | | 25 | Cossus | | | | 23 |
| | | 26 | Vincere | | | | 24 |
| | | 27 | Et Veii | | | | 27 |
| | | 48 | Hinc Feretri | usque ad | | | 48 |
| | 11 | 2 | Panditur | | | 12 | 2 |
| | | 3 | Te licet orantem | | | | 5 |
| | | 4 | Nempe | | | | 6 |
| | | 5 | Quum semel | | | | 3 |
| | | 6 | Non exorato | | | | 4 |
| | | 7 | Vota | | | | 7 |
| | | 66 | Consule | usque ad | | | 66 |
| | | 67 | Et bene habet | | | | 97 |
| | | 68 | Venit in | | | | 98 |
| | | 69 | Nunc tibi commendo | | | | 73 |
| | | 70 | Haec cura | | | | 74 |
| | | 92 | Prole mea | usque ad | | | 96 |
| | | 93 | Filia | | | | 67 |
| | | 98 | Laudat | usque ad | | | 72 |
| | | 99 | Causa | | | | 99 |
| | | 102 | Cuius honor. | usque ad | | | 102 |

# COLLATIO

## VVLGATARVM EDITIONVM

### CVM BROVKHVSIANA

| Edit. vulg. Lib. | Eleg. | Vers. | | Edit. Broukh. Lib. | Eleg. | Vers. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 8 | 13 | Atque ego non | 1 | 8 | 15 |
| | | 15 | Et me defixum | | | 13 |
| 2 | 1 | 48 | Posse frui, fruar | 2 | 1 | 48 |
| | | 49 | Si memini, solet | | | 51 |
| | | 50 | Et totam ex | | | 52 |
| | | 71 | Quandocunque igitur | | | 81 |
| | | 78 | Huic misero | | | 88 |
| | 2 | 1 | Liber eram, et | | 2 | 5 |
| | | 2 | | | | 6 |
| | | 3 | Cur haec in terris | | | 55 |
| | | 4 | | | | 56 |
| | | 5 | usque ad finem ubi versus | | | 68 |
| | 3 | 1 | Qui nullam tibi | | 2 | 1 |
| | | 4 | Et turpis de te | | | 4 |
| | | 5 | Quaerebam sicca | | | 7 |
| | | 8 | Differtur, nunquam | | | 10 |
| | | 9 | Nec me tam facies | | | 19 |
| | | 44 | Vret et Eoos | | | 54 |
| | | 45 | His saltem ut tenear | | 1 | 49 |
| | | 46 | | | | 50 |
| | | 47 | Ac veluti primo | | 2 | 11 |
| | | 54 | Mox Amythaonia | | | 18 |
| | 4 | 1 | Multa prius dominae | | 3 | 1 |
| | | 6 | Ibat et expenso | | | 6 |
| | | 7 | Non hic herba valet | | 1 | 73 |
| | | 9 | Quippe ubi | | | 75 |
| | | 11 | Non eget hic medicis | | | 77 |
| | | 13 | Ambulat | | | 79 |
| | | 15 | Nam cui non ego sum usque ad finem | | 3 | 7 |
| | 5 | | Hoc verum est | | 4 | |
| | 6 | | Non ita complebant | | 5 | |
| | | 14 | Et miser in tunica | | | 14 |
| | | 15 | His olim ut fama est | | 7 | 9 |
| | | 22 | Per te nunc Romae | | | 16 |
| | | 23 | Felix Admeti | | 5 | 15 |
| | | 40 | Quam peccare pudet | | | 32 |
| | | 41 | Vxor me nunquam | | 6 | 21 |
| | 7 | | Gavisa est certe | | 6 | |
| | 8 | 1 | Eripitur | | 7 | 1 |
| | | 7 | Omnia vertuntur | | | 31 |
| | | 9 | Magni saepe duces | | | 29 |

| Edit. vulg. Lib. | Eleg. | Vers. | | Edit. Broukh. Lib. | Eleg. | Vers. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 8 | 11 | Munera quanta dedi | 2 | 7 | 35 |
| | | 16 | In nostrum iacies | | | 40 |
| | | 17 | Sic igitur prima | | | 79 |
| | | 28 | Mors inhonesta quidem | | | 90 |
| | | 29 | Ille etiam abrepta | | | 17 |
| | | 40 | Mirum si de me vers. ult. | | | 28 |
| | 9 | 1 | Iste quod est, ego saepe | | | 33 |
| | | 3 | Penelope poterat | | | 41 |
| | | 40 | Sanguis erit vobis | | | 78 |
| | | 41 | Sidera sunt testes | | | 91 |
| | | 48 | Ille vir in medio | | | 98 |
| | | 49 | Non ob regna magis | | 8 | 1 |
| | | 52 | Mortem ego non. vers. ult. | | | 4 |
| | 10 | 1 | Iam tempus lustrare | | | 5 |
| | | 28 | Sed modo Permessi. fin. Eleg. | | | 30 |
| | 11 | 1 | Scribant de te alii | | | 31 |
| | | 6 | Nec dicet. fin. Eleg. | | | 36 |
| | 12 | 1 | Quicunque ille fuit | | 9 | 1 |
| | 13 | | Non tot Achaemeniis | | 10 | 1 |
| | 14 | | Non ita Dardanio | | 11 | 1 |
| | 15 | | O me felicem | | 12 | 1 |
| | | 3 | Quam multa adposita | | | 9 |
| | | 5 | Nam modo nudatis | | | 3 |
| | | 7 | Illa meos somno | | | 5 |
| | | 9 | Quam vario amplexu | | | 7 |
| | | 11 | Non iuvat in | | | 11 |
| | 16 | 1 | Praetor ab Illyricis | | 13 | 1 |
| | | 56 | Vt timeas | | | 56 |
| | 17 | 1 | Mentiri noctem | | | 57 |
| | | 18 | Tum flebit | | | 74 |
| | 18 | 1 | Assiduae multis | | 14 | 1 |
| | | 5 | Quid si iam canis | | | 7 |
| | | 7 | At non Tithoni | | | 9 |
| | | 20 | Ipsa anus haud | | | 22 |
| | | 21 | Quin ego deminuo | | | 5 |
| | | 23 | Nunc etiam infectos | | | 25 |
| | | 25 | Vt natura dedit | | | 29 |
| | | 27 | Illi sub terris | | | 31 |
| | | 30 | Mi formosa sat es | | | 34 |
| | | 31 | An si caeruleo | | | 27 |
| | | 33 | Quum tibi nec frater | | | 23 |
| | | 35 | Ipse tuus semper | | | 35 |
| | 19 | 1 | Etsi me invito | | 15 | 1 |
| | 20 | | Quid fles abducta | | 16 | |
| | 21 | | At quantum de me | | 17 | |
| | 22 | | Scis here mi multas | | 18 | |
| | 23 | 1 | Cui fuit indocto | | | 51 |
| | | 8 | Herculis, ut scribat | | | 58 |
| | | 9 | Cernere uti possis | | | 65 |
| | | 11 | Quam care semel | | | 67 |
| | | 13 | Contra reiecto | | | 69 |
| | | 24 | Nullus liber erit | | | 80 |
| | 24 | 1 | Tu loqueris, quum sis | | | 81 |
| | | | Parcius infamant | | | 90 |

| Edit. vulg. Lib. | Eleg. | Vers. | | Edit. Broukh. Lib. | Eleg. | Vers. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 24 | 11 | Et modo pavonis | 2 | 18 | 59 |
| | | 13 | Et cupit iratum | | | 61 |
| | | 15 | Ah peream, si me ista | | | 63 |
| | | 17 | Hoc erat in primis | | 19 | 1 |
| | | 19 | Vna aut altera nox | | | 3 |
| | | 33 | Dissidium nobis proximus | | | 16 |
| | | 34 | At me non aetas | | | 19 |
| | | 36 | Tu mea compones | | | 21 |
| | | 47 | Et modo servato | | | 32 |
| | | 48 | Dura est, quae multis | | | 17 |
| | | 50 | Noli nobilibus, noli | | | 33 |
| | | 52 | Ii tibi nos erimus | | | 35 |
| | 25 | 1 | Vnica nata meo | | | 37 |
| | | 10 | Sive ego Tithonus | | | 46 |
| | | 11 | Nonne fuit satius | | | 51 |
| | | 34 | Invidiam quod habet | | | 74 |
| | | 35 | Et si tecta forent | | | 47 |
| | | 37 | Non tamen ista meos | | | 49 |
| | | 39 | At vos qui officia | | | 75 |
| | | 48 | Vna sit et cuivis | | | 84 |
| | 26 | 1 | Vidi te in somnis | | 20 | 1 |
| | 27 | | At vos incertam | | | 59 |
| | 28 | | Iupiter affectae | | 21 | 1 |
| | | 3 | Venit enim tempus | | | 5 |
| | | 5 | Sed non tam ardoris | | | 7 |
| | | 32 | Et Deus et durus | | | 34 |
| | | 33 | Hoc tibi vel poterit | | | 3 |
| | | 35 | Deficiunt magico | | | 35 |
| | 29 | 1 | Hesterna mea lux | | 22 | 1 |
| | 30 | | Quo fugis, ah demens | | 23 | 53 |
| | | 3 | Non si Pegaseo | | | 55 |
| | | 12 | Si modo praesentes | | | 64 |
| | | 13 | Ista senes licet | | | 81 |
| | | 15 | Illorum antiquis | | | 83 |
| | | 17 | Quae non iure vado | | | 85 |
| | | 18 | Turpia cum faceret | | | 86 |
| | | 19 | Num iam dura paras | | | 65 |
| | | 21 | Spargereque alterna | | | 67 |
| | | 22 | Et ferre ad patrios | | | 68 |
| | | 23 | Vna contentum | | | 25 |
| | | 25 | Mi nemo obiiciat | | | 27 |
| | | 26 | Roscida muscosis | | | 28 |
| | | 27 | Illic adspicias scopulis | | | 17 |
| | | 29 | Vt Semele est comb. | | | 19 |
| | | 31 | Quod si nemo exstat | | | 23 |
| | | 33 | Nec tu virginibus | | | 29 |
| | | 35 | Si tamen Oeagri | | | 31 |
| | | 40 | Nam sine te | | | 36 |
| | 31 | 1 | Quaeris cur veniam | | | 1 |
| | | 16 | Pythius in longa | | | 16 |
| | 32 | 1 | Qui videt is peccat | | | 21 |
| | | 3 | Nam quid Praenestis | | | 41 |
| | | 5 | Curve te in Herc. | | | 43 |
| | | 7 | Hoc utinam spatiere | | | 37 |

| Edit. vulg. *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* | | Edit. Brouklı. *Lib.* | *Eleg.* | *Vers.* |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | 32 | 9 | Quum videt accensis | 2 | 23 | 39 |
| | | 11 | Scilicet umbrosis | | | 45 |
| | | 17 | Falleris ista tui | | | 51 |
| | | 18 | Non urbem demens | | | 52 |
| | | 19 | Nil agis insidias | | | 69 |
| | | 21 | Sed de me minus est | | | 71 |
| | | 30 | Consumta est | | | 80 |
| | | 31 | Tyndaris externo. usque ad fin. contin. | | | 87 |
| | 33 | | Tristia iam redeunt | | 24 | 1 |
| | 34 | | Cur quisquam faciem | | 25 | |
| 3 | 1 | 1 | Callimachi manes | 3 | 1 | |
| | | 40 | Gaudeat ut solito | | | 40 |
| | 2 | 1 | Orphea detinuisse | | 1 | 41 |
| | | 26 | Et videt: ingenio | | | 64 |
| | 3 | 1 | Visus eram molli | | 2 | 1 |
| | 4 | | Arma Deus Caesar | | 3 | |
| | 5 | | Pacis Amor Deus est | | | 23 |
| | 6 | | Dic mihi de nostra | | 4 | 1 |
| | 7 | | Ergo sollicitae tu | | 5 | |
| | | 8 | Et nova longinquis | | | 8 |
| | | 9 | Et mater non iusta | | | 25 |
| | | 11 | Sed tua nunc volucres | | | 27 |
| | | 16 | Portabat sanctos | | | 32 |
| | | 18 | Paete, quid aetatem | | | 21 |
| | | 19 | Nam tibi nocturnis | | | 23 |
| | | 21 | Sunt Agamemnonias | | | 51 |
| | | 23 | Hoc iuvene amisso | | | 53 |
| | | 25 | Reddite corpus humo | | | 37 |
| | | 34 | Quid meritum dicas | | | 46 |
| | | 35 | Ventorum est quodc. | | | 49 |
| | | 37 | Fortuna insid. | | | 47 |
| | | 39 | Saxa triumphales | | | 55 |
| | | 41 | Paullatim sociûm | | | 57 |
| | | 43 | Quod si contentus patr. | | | 67 |
| | | 45 | Viveret ante suos | | | 69 |
| | | 47 | Non tulit hic Paetus | | | 61 |
| | | 51 | Huic fluctus vivos | | | 65 |
| | | 52 | Et niger invitam | | | 66 |
| | | 53 | Hunc parvo ferri | | | 59 |
| | | 55 | Flens tamen extremis | | | 9 |
| | | 66 | Vltima quae Paeto | | | 20 |
| | | 67 | O centum aequoreae | | | 33 |
| | | 70 | Non poterat vestras | | | 36 |
| | | 71 | At tu saeve Aquilo | | | 71 |
| | 8 | 1 | Dulcis ad extremas | | 6 | 1 |
| | 9 | | Maecenas eques Hetr. | | 7 | |
| | 10 | | Mirabar, quidnam | | 8 | |
| | 11 | | Quid mirare meam | | 9 | |
| | | 58 | Femineas timuit | | | 58 |
| | | 59 | Hannibalis spolia et | | | 61 |
| | | 61 | Curtius expletis | | | 63 |
| | | 63 | Coclitis abscissos | | | 65 |
| | | 65 | Haec Dii condiderunt | | | 67 |

| Edit. vulg. Lib. | Eleg. | Vers. | | Edit. Broukh. Lib. | Eleg. | Vers. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 11 | 67 | Nunc ubi Scipiadae | 3 | 9 | 59 |
| | | 69 | Leucadius versas | | | 69 |
| | 12 | 1 | Postume plorantem | | 10 | 1 |
| | 13 | | Quaeritis unde avidis | | 11 | |
| | 14 | | Multa tuae Sparte | | 12 | |
| | | 13 | Qualis Amazonidum | | | 15 |
| | | 15 | Et modo Taygeti | | | 13 |
| | | 17 | Qualis et Eurotae | | | 17 |
| | 15 | | Sic ego non ullos | | 13 | 1 |
| | 16 | | Nox media et dominae | | 14 | |
| | 17 | | Nunc o Bacche tuis | | 15 | |
| | 18 | | Plausus ab umbroso | | 16 | |
| | | 28 | Croesum aut Pactoli | | | 28 |
| | | 29 | Hic olim ignaros | 2 | 7 | 7 |
| | | 31 | At tibi nauta pias | 3 | 16 | 29 |
| | 19 | | Obiicitur toties a te | | 17 | 1 |
| | 20 | | Credis eum iam posse | | 18 | |
| | | 11 | Tu quoque qui aestivos | | 19 | 3 |
| | | 14 | Nox mihi prima venit | | | 1 |
| | | 15 | Foedera sunt ponenda | | | 5 |
| | | 17 | Haec Amor ipse suo | | | 9 |
| | | 19 | Quam multae ante | | | 7 |
| | | 21 | Namque ubi non certo | | | 11 |
| | 21 | | Magnum iter ad doctas | | 20 | 1 |
| | 22 | | Frigida tam multos | | 21 | |
| | 23 | | Ergo tam doctae nobis | | 22 | |
| | 24 | | Falsa est ista tuae | | 23 | |
| | 25 | | Risus eram positis | | | 11 |
| 4 | 1 | 1 | Hoc quodcunque v. | 4 | 1 | 1 |
| | | 70 | Has meus ad metas | | | 70 |
| | | 71 | Quo ruis imprudens | | | 73 |
| | | 82 | Iupiter obliquae | | | 84 |
| | | 83 | Felicesque Iovis | | | 105 |
| | | 85 | Quid moveant pisces | | | 107 |
| | | 87 | Dicam, Troia cades | | | 71 |
| | | 89 | Dixi ego cum geminos | | | 85 |
| | | 91 | Non posse ad patrios | | | 87 |
| | | 108 | Trames et ab zonis | | | 104 |
| | | 109 | Exemplum grave erit | | | 109 |
| | 2 | | Quid mirare meas | | 2 | 1 |
| | 3 | 1 | Haec Arethusa suo | | 3 | |
| | | 35 | Et disco, qua parte | | | 37 |
| | | 37 | Cogor et e tabula | | | 35 |
| | | 39 | Quae tellus sit lenta | | | 39 |
| | 4 | 1 | Tarpeium nemus et | | 4 | 1 |
| | | 16 | Vrgebat medium | | | 16 |
| | | 17 | Et satis una malae | | | 91 |
| | | 19 | Vidit arenosis | | | 17 |
| | | 21 | Obstupuit regis facie | | | 19 |
| | | 92 | Haec virgo officiis | | | 90 |
| | | 93 | A duce Tarpeio | | | 93 |
| | 5 | | Terra tuum spinis | | 5 | 1 |
| | 6 | | Sacra facit vates | | 6 | |
| | 7 | 1 | Sunt aliquid manes | | 7 | |

| Edit. vulg. Lib. | Eleg. | Vers. | | Edit. Broukh. Lib. | Eleg. | Vers. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 4 | 7 | 20 | Fecerunt tepidas | 4 | 7 | 20 |
| | | 21 | Foederis heu taciti | | | 23 |
| | | 23 | At mihi non oculos | | | 25 |
| | | 25 | Nec crepuit fissa | | | 21 |
| | | 27 | Denique quis nostro | | | 27 |
| | | 34 | Iniicere et fracto | | | 34 |
| | | 35 | Lygdamus uratur | | | 43 |
| | | 37 | Aut Nomas arcanas | | | 45 |
| | | 39 | Quae modo per viles | | | 35 |
| | | 41 | Et graviora rependit | | | 37 |
| | | 43 | Nostraque quod Petale | | | 39 |
| | | 45 | Caeditur et Lalage | | | 41 |
| | | 47 | Te patiente meae | | | 47 |
| | 8 | 1 | Disce, quid Esquilias | | 8 | 1 |
| | 9 | | Amphitryoniades qua | | 9 | |
| | 10 | | Nunc Iovis incipiam | | 10 | |
| | 11 | | Desine, Paulle, meum | | 11 | |
| | | 3 | Quum semel infernas | | | 5 |
| | | 5 | Te licet orantem | | | 3 |
| | | 7 | Vota movent superos | | | 7 |
| | | 66 | Consule quo facto | | | 66 |
| | | 67 | Filia tu specimen | | | 93 |
| | | 69 | Et serie fulcite | | | 95 |
| | | 71 | Haec est feminei | | | 97 |
| | | 73 | Nunc tibi commendo | | | 69 |
| | | 96 | Prole mea Paullum | | | 92 |
| | | 96 | Et bene habet | | | 67 |
| | | 97 | Causa perorata est | | | 99 |

## ERRATA.

Lib. II, Eleg. 28, vs. 51, legendum: *Vobiscum est Iöle.*

---

FINIS PRIMI VOLVMINIS

---

Facultate obtenta.